






600044342N

CÆREMONIALE

FF. MINORUM RECOLLECTORUM

ALMÆ PROVINCIÆ

GERMANIÆ INFERIORIS,

IN TRES PARTES DISTRIBUTUM.




TRAJECTI AD RHENUM,
Typis P. W. VAN DE WEIJER.
MDCCCLXXXIV.

IMPRIMATUR.

WERTHÆ, 25. Maji. 1884.

FR. J. TRIX,
Prov. Germ. Inf. FF. Min. Recoll.
Minister Provincialis.



APPROBATIO ORDINIS.

FR. BERNARDINUS A PORTU-ROMATINO

STRICTIORIS OBSERVANTIÆ

SANCTI PATRIS NOSTRI FRANCISCI,

JAM. S. THEOLOGIÆ LECTOR, VENETÆ PROVINCIÆ EX-MINISTER,

EX-PROCURATOR REFORMATORUM, TOTIUS ORDINIS

MINORUM MINISTER GENERALIS, ET

HUMILIS IN DOMINO SERVUS.

DECRETUM.

Cum Cæremoniale juxta Ritum Romanum ad usum FF. Minorum Recollectorum Almæ Provinciæ Germaniæ Inferioris, uti Missalis, et Ritualis Romani, nec non Breviarii Romano-Seraphici Rubricis consonum, imo valde utile, recognitum fuerit ab Adm. Rev. Patre Carmelo a Neapoli, Definitore generali Ordinis, a Nobis deputato; vigore præsentis Decreti, illud approbamus, atque ut pie ac fideliter ab omnibus præfatæ Provinciæ Religiosis servetur, vehementer in Domino hortamur.

Datum Romæ, ex Aracœli, die 11. Junii 1881.

FR. BERNARDINUS,
Min. Glis.

L. ✠ S.

De mandato P. S. Remæ.

FR. SATURNINUS A MODIONA,
Pro-Secr.

PRÆFATIO.

Beatissimus ac Seraphicus Pater noster Franciscus, volens se suosque pedibus sanctæ Romanæ Ecclesiæ omnino subditos et subjectos, cap. tertio Regulæ sub gravi obligatione statuit, ut „Clerici faciant Divinum Officium secundum ordinem sanctæ Romanæ Ecclesiæ." Huic præcepto Seraphici Patris obtemperantes, Superiores et Subditi a Religionis nostræ primordiis singulari studio allaborarunt, ut Divinum Officium secundum Ritus, ab Ecclesia Romana, omnium Ecclesiarum Matre atque Magistra, præscriptos, religiosissime celebraretur. Eodem concordi studio incensi, Patres Capitulares in Comitiis Provincialibus anno 1871. *Trajecti ad Mosam celebratis, perpendentes, antiquum Provinciæ nostræ Cæremoniale, utpote duobus abhinc sæculis, tempore quo unaquæque ferme Diœcesis particulari Rituali utebatur, concinnatum, in aliquibus a sanctæ Romanæ Ecclesiæ Ritibus deflectere atque imprimis cum posteriorum temporum S. R. Congregationis Decretis ac Decisionibus plus nimio discordare, præfatum antiquum Cæremoniale corrigendum et ad normam Ritualis Romani, quod non absque speciali Dei Providentia jam ævo nostro per totum fere orbem terrarum receptum est, redigendum, unanimi consensu decreverunt.*

Arduum et laboriosum trium annorum opus, decennali praxi

—

usuque probatum, optatam tandem in lucem prodit, typis impressum.

Erunt fortasse, quibus nonnulla in novo Cæremoniali videantur aliam (quidni et veriorem?) posse habere interpretationem aut convenientiam. Hi autem advertant, venerabilis Capituli Patribus visum esse expedire, ut ubi diversæ sunt sententiæ seu opiniones probabiles, unica tantum, quæ magis arrideat, allegetur et propter uniformitatem sequenda præscribatur, ablata sic occasione Ritus aliquos pro cujuslibet arbitratu ac genio immutandi. „Quis autem (ait Seraphicus Doctor Spec. Discipl. Part. I. cap. XVI.) sine grandi conscientiæ scrupulo, proprium Officii ordinem, sibique Religionis sanctione impositum, pro alienis quibuslibet prætermittat, aut qualibet varietate deformet? Quis nisi vanissimus et imprudens, pro certis dubia, pro authenticis vana, pro necessariis curiosa inducat? Sint igitur sanctorum Officii conditorum devota et stabili ordinatione contenti, nihil eorum vel communi Ordinis institutioni præponant, quantumlibet serium et devotum."

Voluerunt insuper iidem Patres Capitulares, ut novum Cæremoniale sit expers novitatum, de quarum necessitate non certo constet, sed retineantur, uniformiter observandæ, probatæ ac laudabiles hactenus, tum in ordine tum in Provincia nostra, usitatæ consuetudines.

Quapropter admonentur et affectuose rogantur in Domino omnes Superiores, nec non Clericorum et Novitiorum Instructores, ut ad eorum, quæ in hoc Cæremoniali præscripta sunt, uniformem et sedulam observantiam Fratres sibi respective commissos verbo ac exemplo excitare studeant et procurent. Ita certe eveniet, ut ubicumque Fratres habitant in unum, pulchra et jucunda fulgeat unitas; unitas in celebrando sacrosancto Sacrificio Missæ; unitas in persolvendo Divino Officio; unitas in administrandis Sacramentis; unitas denique in omnibus nostris muneribus, ad statum Religiosum et rem domesticam pertinentibus. Uno verbo, ita eveniet, ut unum Deum in Trinitate, et Trinitatem in unitate uno modo veneremur in terris, quem Angeli atque Archangeli, Cherubim quoque ac Seraphim, non cessantes clamare quotidie, una voce glorificant in cœlis.

Esto tu populo in his, quæ ad Deum pertinent, ut referas, quæ dicuntur ad eum; ostendasque populo Cæremonias, et Ritum colendi, viamque per quam ingredi debeant, et opus, quod facere debeant.. Exod. XVIII : 20.

Audi Israel Cæremonias atque judicia, quæ ego loquor in auribus vestris hodie: discite ea, et opere complete.

Deut. V : 1.

Ama itaque Dominum Deum tuum, et observa præcepta ejus, et Cæremonias, judicia atque mandata ejus, omni tempore.

Deut. XI : 1.

Nec addas quidquam, nec minuas. Deut. XII : 32.

CÆREMONIALIS
FF. MINORUM RECOLLECTORUM
ALMÆ PROVINCIÆ
GERMANIÆ INFERIORIS
PARS PRIMA.

DE SACROSANCTO MISSÆ SACRIFICIO, TAM PRIVATO QUAM SOLEMNI, DEQUE BENEDICTIONIBUS, PROCESSIONIBUS ALIISQUE NON PAUCIS, AD MISSÆ SACRIFICIUM ET AD SS. SACRAMENTI CULTUM PERTINENTIBUS.

PRÆNOTANDUM.

„Cum (inquit SS. Dominus noster PIUS Papa IX.) nihil sit majus, nihil salutarius, nihil sanctius, nihil divinius incruento Missæ Sacrificio, quo idem Corpus, idem Sanguis, idem Deus et Dominus noster Jesus Christus Deo pro omnium salute in Altari per Sacerdotes offertur, et immolatur, idcirco Sancta Mater Ecclesia, tanto Divini sui Sponsi ditata thesauro, numquam destitit, omnem curam, operam, diligentiamque in id conferre, ut tam tremendum Mysterium a Sacerdotibus, quanta maxima fieri potest, interiore cordis munditia ac puritate perageretur, debitoque sacrarum Cæremoniarum, ac Rituum apparatu, cultuque celebraretur, ut ipsius Mysterii magnitudo et majestas, vel externa quoque specie magis eluceat, et Fideles ad rerum divinarum, quæ in tam admirabili ac venerando Sacrificio occultæ continentur, contemplationem excitentur." Litt. Encycl. Pii IX. *Amantissimi Redemptoris.* Die 3. Maji 1858.

„Omnes autem Sacerdotes enixe commonemus, ut in Missæ celebratione Ritus omnes ac Cæremonias, ab Ecclesia constitutas, adamussim expleant; tum scilicet in iis attente ac devote dicendis, quæ elatiori vel submissiori voce legenda sunt, tum in iis studiose agendis, quæ facienda præcipiuntur. Ne quid autem per incuriam vel ignorantiam admittatur, quod a sacræ Liturgiæ præscriptis vel minimum abscedat, meminerint Sacerdotes omnes, se obligatione teneri sæpius legendi, diligenterque considerandi, quæ, in Synopsim redacta, de Sacrificii celebrandi ratione, Missalis Romani Rubrica complectitur." Syn. Prov. Ultraj. Tit. V. Cap. II.

CAPUT I.

DE REQUISITIS AD SACROSANCTUM MISSÆ SACRIFICIUM DIGNE DEO OFFERENDUM.

§ 1.

DE PRÆPARATIONE ALTARIS ET ORNAMENTORUM EJUS.

1. *Altare, in quo sacrosanctum Missæ Sacrificium celebrandum est, debet esse lapideum, et ab Episcopo, sive Abbate, facultatem a Sede Apostolica habente, consecratum, vel saltem Ara lapidea, similiter ab Episcopo, vel Abbate, ut supra, consecrata, in eo inserta, quæ tam ampla sit, ut Hostiam et majorem partem Calicis capiat.*

Hæc *Ara lapidea*, quæ etiam *Altare portatile* dicitur, in medio mensæ, non nimis ab anteriore parte Altaris, ita inseratur, ut Calici non sit offendiculo, et tamen tactu digitorum dignoscatur ubi sit. Attendant diligenter Sacerdotes, in tali Altari portatili celebrantes, ubi sint termini Aræ consecratæ, ne contingat super lignum vel Altaris antipendium fieri Consecrationem.

2. *Hoc Altare*, sive portatile sit, sive fixum, *operiatur tribus mappis seu tobaleis mundis, ab Episcopo, vel alio habente potestatem benedictis, superiori oblonga, quæ* hinc inde *usque ad terram*

dependeat, duabus aliis brevioribus, vel una duplicata: latitudine vero totam Altaris mensam contegant.

3. *Pallio*, quod idem est ac antipendium, *quoque ornetur coloris, quoad fieri potest, diei Festo vel Officio convenientis.* Dum autem Altaris pars anterior est opus sculptile, aut aliter ornata, ut vulgo nominatur, tumba, poterit in eo, licet pallio sit destitutum, Missa celebrari. Antipendium est mutandum ante Vesperas, quando dicuntur de sequenti, aut a Capitulo de sequenti Festo, exigente diversum colorem; alias post Completorium. Color antipendii Altaris, in quo SS. Sacramentum exponitur, debet esse albus, etiamsi Officium occurrens alium exigat colorem.

4. *Super Altare collocetur Crux in medio*, quæ imaginem habeat Crucifixi, et ita alta sit, ut pes Crucis adæquet altitudinem candelabrorum, et Crux ipsa tota candelabris superemineat, ita ut facile ab ipso Celebrante et a populo conspici valeat. Talis Crux ita in Altari necessaria est, ut tenuis et exigua Crux, posita super vel ante Tabernaculum, aut super aliquam tabulam vel statuam, in medio Altaris sitam, non sufficiat. Non tamen talis Crux requiritur, quando Salvator noster crucifixus in majori tabula Altaris depictus aut cælatus appareat, dummodo tamen primum locum obtineat præ cæteris omnibus, quæ in eadem tabula exprimuntur. Nec etiam talis Crux requiritur super Altare, in quo SS. Sacramentum est expositum, nisi contraria sit consuetudo.

5. *Et candelabra saltem duo cum candelis accensis hinc et inde in utroque ejus*, scilicet Crucis, *latere* sint posita super Altare; nullatenus vero parieti, Altare fere tangenti, sint infixa. Quando plura quam duo candelabra collocantur, non sint omnino inter se æqualia, sed paulatim quasi per gradus ab utroque Altaris latere surgentia, ita ut altiora ex eis sint immediate hinc et inde a lateribus Crucis posita.

6. Candelæ debent esse ex cera; perinde vero est, an sint ex alba cera, an ex communi, seu flava: convenit tamen, ut in Missa et Officio lugubri, v. g. Defunctorum, et de tempore Adventus et Quadragesimæ cerei flavi adhibeantur, albi vero in Festis et Solemnitatibus, uti etiam exposito SS. Sacramento, et celebrante Episcopo. Convenit insuper ut cerei sint benedicti.

7. *Ad Crucis pedem ponatur tabella Secretarum appellata.* Ad majorem Celebrantium commoditatem sit altera tabella in cornu Evangelii posita, ex qua legi poterit Evangelium S. Joannis, et altera in cornu Epistolæ, ex qua legitur Psalmus: LAVABO.

8. *In cornu Epistolæ sit cussinus, supponendus Missali.* Loco cussini adhibetur lectionarium, quod decet ut velo coloris Missæ convenientis tegatur. *Et ab eadem parte Epistolæ paretur cereus, ad Elevationem Sacramenti accendendus.* Cereus hic in omnibus Missis per Ministrum accenditur inchoato Canone, et post ultimam ablutionem manuum Sacerdotis per eumdem extinguitur. Itaque ad quodlibet Altare, ubi commode fieri potest, sit candelabrum, cui dictus cereus imponatur.

9. Parentur quoque ab eadem parte Epistolæ *parva campanula, ampullæ vitreæ vini et aquæ, cum pelvicula et manutergio mundo, in fenestella, seu in parva mensa, ad hæc præparata.* Ampullæ etiam possunt esse ex auro vel argento, juxta Decretum S. R. C. 28. Aprilis 1866.

10. *Super Altare nihil omnino ponatur, quod ad Missæ Sacrificium, vel ipsius Altaris ornatum non pertineat.*

11. Inter candelabra alternatim disponi poterunt Reliquiæ et imagines Sanctorum; et etiam vascula cum flosculis frondibusque odoriferis naturalibus seu artificialibus, serico contextis, studiose ornata adhiberi poterunt. Vide Cærem. Episc. Lib. I. Cap. XII. n. 12.

12. In ornatu vero Altaris habenda est ratio temporis, et loci, et personarum. Decet enim, ut pro Festi et Celebrantis qualitate plus minusve ornetur Altare.

13. Altare vero vel locus, ubi est repositum SS. Sacramentum, semper præ cæteris sumptuosius ac nitidius exornandum est.

14. Tempore Adventus et Quadragesimæ, quando Officium fit de Feria vel de Dominica, (Dominica tertia Adventus, et quarta Quadragesimæ, item Altari, ubi SS. Sacramentum est expositum, exceptis) item in Missis et Officiis Defunctorum, Altare floribus non ornatur; neque Sanctorum Reliquiæ seu imagines inter candelabra apponuntur.

§ 2.

DE CALICE EJUSQUE SUPELLECTILI.

1. *Calix* sit vel aureus, vel argenteus, aut saltem habeat cuppam argenteam, intus deauratam.

2. *Patena* ex eadem, qua calix, conficienda est materia; et saltem quoad partem concavam inaurata sit oportet.

3. *Purificatorium*, *Palla* et *Corporale* debent esse ex lino vel ex cannabe confecta; possunt tamen texto denticulato circumduci eorum extremitates. In medio anterioris plicæ *Corporalis*, ad ejus marginem, et in medio *Purificatorii* Crux parva acu pingatur. *Palla* tam a parte superiori quam inferiori ex lino aut ex cannabe esse debet; et nullo ornamento a parte superiori cooperta sit.

4. *Velum Calicis* debet esse sericum, ejusdem tamen coloris ac cætera paramenta: *Bursa* vero ejusdem materiæ et coloris ac paramenta, sitque quadrata, et a fronte Cruce vel alia sacra imagine in medio intexta; a tergo etiam ex eadem materia, ejusdemque coloris; intrinsecus autem subserico aut tela candida circumvestita.

5. *Parvum cochlear*, de quo nihil in Rubricis, permittitur per Decretum. S. R. C. 6. Febr. 1858.

6. Invigilent Sacristæ, ut singulis diebus eadem adhibeantur Corporalia, Purificatoria et Pallæ, usque dum lavanda sunt, quod tempestive fiat.

7. Hæc lavare peculiare officium Subdiaconi est, quod de prima tantum lotione intelligendum est. In Conventibus, ubi Clerici, in sacris Ordinibus constituti, non habentur, juniores Sacerdotes hoc pietatis officium prompte et religiose exequantur.

8. Vasa, in quibus prædicta lavantur, debent esse ad hoc tantum munus destinata. Lotionis aqua in sacrarium, quod et piscina sacra dicitur, projicienda est.

§ 3.

DE VESTIBUS SACRIS.

1. De *Superpelliceo* et *Rochetto* prænotandum, hujusmodi vestes neque pertinere ad immediatum Sacrificii, et Altaris usum, neque supellectilibus Sacerdotalibus ad sacrificandum stricte necessariis adnumerari, sed haberi posse potius ut Choralia indumenta. Vide Gardell. ad Decr. 15. Maji 1819.

Hæ vestes differunt in eo, quod *Superpelliceum* sit valde amplum, ad genua usque longum, et manicas admodum amplas habeat; *Rochettum* vero non ita amplum sit, et manicas angustas habeat.

Solis Episcopis et Prælatis sæcularibus de jure competit usus *Rochetti*; Prælatis vero regularibus, aliisque Sacerdotibus et Clericis utendum est *Superpelliceo*.

Hæ vestes potius ex lino aut ex cannabe conficiuntur, quam ex alia materia.

2. *Amictus*, qui primum locum inter sacra indumenta pro Missæ Sacrificio tenet, debet esse ex lino, aut ex cannabe, et habere in medio Crucem acu pictam.

3. *Alba* etiam debet esse ex lino aut ex cannabe.

4. *Cingulum* potest quidem esse sericum vel laneum, et coloris paramentorum; sed congruentius est lineum et album.

5. *Manipulus* Crucem habeat in medio, et in partibus extremis. Idem dicendum de *Stola*.

6. *Planeta* græce, latine *Casula* dicitur, quia tamquam parva casa totum Sacerdotis corpus a collo ad pedes usque olim tegebat.

7. *Dalmatica*, vestis Diaconalis, et *Tunicella*, vestis Subdiaconalis, hodie potius nomine, quam re differunt.

8. *Pluviale*, a pluvia dictum, nuncupatur etiam *Cappa*. Hæc non est vestis propria Sacerdotis, sicut *Planeta*.

9. *Velum humerale* pro portanda SS. Eucharistia in Processionibus, et pro Benedictionibus cum SS. Sacramento dandis, debet esse sericum, amplum, pulchre ornatum, et in omni casu album.

Velum Subdiaconale, quod vices veli Calicis subit, debet etiam esse sericum et amplum, sed coloris paramentorum.

10. Paramenta coloris, Officio aut Missæ convenientis, scilicet Manipulus, Stola, Casula, Dalmatica, Tunicella, Pluviale, Antipendium et Bursa Corporalis confici debent ex panno non vulgari, sed peculiari, et quidem aureo, argenteo, serico, aut etiam laneo.

11. Romana Ecclesia *quinque coloribus uti consuevit: Albo, Rubeo, Viridi, Violaceo et Nigro.* Quis color die quolibet adhibendus sit, præscribunt Rubricæ Generales Missalis. Tit. XVIII.

Prohibentur paramenta *a*) variorum colorum, v. g. Casula alba cum Cruce rubea; *b*) coloris flavi et cærulei. Attamen sub colore flavo non comprehenditur verus pannus aureus (vulgo: echt goudmoor); imo toleratur consuetudo adhibendi talia paramenta aurea pro colore albo, rubeo et viridi; non vero pro violaceo et nigro. Decr. S. R. C. 28. Aprilis 1866.

12. Quoad ornatum, sequi licet consuetudinem receptam, et non reprobatam, juxta quam extremitates Albæ et Superpellicei texto denticulato circumducuntur. In fimbriis autem et manicis sub velo transparenti fundum rubrum mittere non licet.

§ 4.

DE PRÆPARATIONE SACERDOTIS CELEBRATURI.

1. *Sacerdos celebraturus Missam, prævia Confessione Sacramentali, quando opus est, et saltem*, nisi rationabilis causa excuset, *Matutino cum Laudibus absoluto, orationi aliquantulum vacet, et Orationes inferius*, id est, in Missali Romano, *positas*, vel etiam alias, in piis libris contentas, aut in Sacristiis ordinarie affixas, *pro temporis opportunitate* et sua devotione *dicat.*

2. *Deinde accedit ad locum, in Sacristia vel alibi præparatum, ubi paramenta, aliaque ad celebrationem necessaria habentur.* Paramenta non debent sumi de Altari, cum id tantum Episcopis competat, nisi deficiat Sacristia vel mensa ad hoc præparata; quo in casu paramenta collocanda sunt non in medio Altaris, ut pro Epis-

copis, sed ad cornu Evangelii. Numquam vero licet sumere paramenta de Altari, ubi SS. Sacramentum est expositum.

3. *Accipit Missale* Romano-Seraphicum: in Ecclesiis tamen Regularium, qui habent indultum Apostolicum, aut in necessitate v. g. in itinere, dum Missale Romano-Seraphicum non habetur, potest, licet ex sola devotione celebret, Missam legere ex Missali proprio Ecclesiæ, in qua celebrat, attamen Ritu Romano. *Perquirit Missam*, eamdem *perlegit et signacula ordinat ad ea, quæ dicturus est*, ne postea erret, vel ad Altare, perquirendo Missam, cunctari debeat.

Hæc ordinantur ad omne præcavendum erroris periculum et adstantium tædium; ideo non videntur necessario agenda in omni casu.

4. *Postea lavat manus, dicens Orationem:* Da Domine etc.

5. *Deinde præparat Calicem... super os ejus ponit Purificatorium mundum et super illud* parvum cochlear, ac desuper *Patenam cum Hostia integra, quam leviter extergit, si opus est, a fragmentis, et eam tegit parva palla linea, tum velo serico; super velum ponit bursam coloris paramentorum, intus habentem Corporale plicatum.* Ita ponenda est bursa, ut apertura sit versus celebrantem, dum tenet Calicem. Super bursam non licet deferre manutergium, perspicilla, clavem Tabernaculi, vel quid aliud; sed hæc omnia a Ministro ad Altare deferenda sunt.

6. Sacerdos, omnibus circa Calicem rite dispositis, *accedit ad paramenta, quæ non debent esse lacera aut scissa, sed integra et decenter munda ac pulchra et ab Episcopo itidem, vel alio facultatem habente, benedicta: ubi calceatus pedibus, et indutus vestibus sibi convenientibus, quarum exterior saltem talum pedis attingat, induit se, si sit Prælatus sæcularis, supra Rochettum; si sit Prælatus regularis, vel alius Sacerdos sæcularis, supra Superpelliceum, si commode haberi possit, alioquin sine eo, supra vestes communes, dicens ad singula paramenta singulas orationes*, in initio Missalis *positas.*

7. *Ac primum accipiens Amictum circa extremitates et chordulas, osculatur illud* (illum Amictum) *in medio, ubi est Crux, et ponit super caput, et mox*, si caput non sit tectum caputio,

dulas sub brachiis, et circumducens eas *per dorsum ante pectus reducit et ligat.*

8. *Tum Alba induitur, caput submittens, deinde manicam dextram brachio dextro, et sinistram sinistro imponens; Albam ipsam corpori adaptat, elevat ante et a lateribus hinc inde, et cingulo per ministrum a tergo sibi porrecto, se cingit* circa lumbos. *Minister elevat Albam super cingulum circumcirca, ut honeste dependeat et tegat vestes*; *ac ejus fimbrias diligenter aptat, ut ad latitudinem digiti vel circiter, super terram æqualiter fluat.*

9. *Sacerdos accipit Manipulum, osculatur Crucem in medio* positam, *et imponit brachio sinistro* infra cubitum, non supra, nec longius a manu.

10. *Deinde ambabus manibus accipiens Stolam, simili modo*, id est, Crucem in medio positam, *deosculatur, et imponit medium ejus collo, et transversando eam ante pectus in modum Crucis, ducit partem a sinistro humero pendentem ad dextram, et partem a dextro humero pendentem ad sinistram. Sicque utramque partem Stolæ extremitatibus cinguli hinc inde ipsi cingulo conjungit.*

11. *Postremo Sacerdos accipit Planetam*, quam osculari non debet.

12. Sudariolum, si cingulo appendatur, sit album, et nullatenus extra Casulam appareat.

§ 5.

ANIMADVERSIONES GENERALES DE REVERENTIA, VARIA POSITIONE MANUUM ET DE PRONUNTIATIONE.

1. *Reverentia* est nomen genericum, quod *inclinationes* et *genuflexiones* comprehendit.

2. *Inclinatio* est duplex, *corporis* scilicet et *capitis. Inclinatio corporis* est *profunda* et *mediocris. Inclinatio capitis* est *profunda, media* seu mediocris, et *parva* seu minima.

3. *Inclinatio corporis profunda* est illa, quæ fit per talem corporis incurvationem, ut manus, si per modum Crucis extendantur,

ad genua perveniant. Hæc ut decenter fiat in Altari, Celebrans sese profunde inclinaturus, debet medio circiter passu pedes ab antipendio removere, et ita se constituere, ut frons ejus fere tangat partem superiorem antipendii.

4. *Inclinatio corporis mediocris* est media inter profundam corporis et capitis inclinationem. Ut hæc inclinatio debite fiat in Altari, pedes paululum ab antipendio sunt removendi.

5. *Inclinatio capitis profunda* fit magna capitis depressione, quæ secum trahit aliquam humerorum inclinationem. Hæc correspondet cultui *Latriæ.*

6. *Inclinatio capitis media* fit magna solius capitis depressione. Hæc correspondet cultui *Hyperduliæ.*

7. *Inclinatio capitis parva* fit levi tantum capitis depressione. Hæc correspondet cultui *Duliæ.*

8. *Genuflexio* duplex est, *unius* nempe et *utriusque genu.*

9. *Genuflexio unius genu* fit demittendo genu dextrum usque ad terram juxta talum pedis sinistri, nisi fiat in gradibus Altaris, et semper fit absque ulla capitis inclinatione.

10. *Genuflexio utriusque genu* fit demittendo prius genu dextrum juxta talum pedis sinistri, et deinde sinistrum genu juxta dextrum. Hæc genuflexio semper conjunctam habet profundam capitis inclinationem, quando fit coram SS. Sacramento.

11. Celebrans genuflectens ad Altare, sive uno sive utroque genu, manus hinc inde super mensam Altaris disponit; sed intra Corporale, si facta sit Consecratio: et si utrumque genu flectat, manus post genuflexionem jungit ante pectus usque ad surrectionem, quæ fit iterum manibus super Altare extensis. Si Sacerdos genuflectat, non stans ad Altare, sed in gradibus aut extra Altare, manus semper tenet junctas ante pectus, nisi forent impeditæ.

12. *Junctio manuum* ante pectus fit hoc modo: palma et digiti extensi et conjuncti unius manus exacte applicantur palmæ et digitis alterius manus: pollex autem dexter super sinistrum ponitur in modum Crucis ante Consecrationem et post Communionem: inter Consecrationem vero et Communionem extremitates indicis et pollicis utriusque manus sibi invicem unitæ manent. Manus ita junctæ

parum distent a vestibus; et digitorum extremitates neque Altare neque faciem directe respiciant, sed per gestum naturalem sint mediocriter elevatæ.

Manus junctæ quomodo super Altare ponendæ sint, dicitur cap. II. § 2. n. 10.

13. *Manus separatæ* super Altare ponuntur hoc modo: ante Consecrationem et post ablutionem digitorum, manus, extensis et unitis omnibus digitis, ex parte palmæ usque ad pulsum super Altaris planitiem, extra Corporale, æqualiter hinc inde ponuntur. Post Consecrationem Hostiæ usque ad ablutionem, pollices et indices tenentur conjuncti, et reliquis digitis extensis et unitis, manus ponuntur super Corporale, ita ut palmæ planitiem mensæ attingant.

14. Quando una manus aliquid agit, altera numquam in aere potest esse suspensa, sed poni debet super Altare, pectus aut librum, eodem modo, quo dictum est n. 13.

15. *Manuum extensio* et *junctio* ante pectus fit hoc modo: manus positæ ante pectus, ut n. 12. dictum est, linea recta, eas non elevando nec deprimendo, extenduntur ad humeros, ita quidem ut palma unius manus respiciat palmam alterius, et manus humerorum latitudinem non excedant, neque altitudinem superent. Si manus extensæ teneri debeant, in eadem latitudine et altitudine tenentur: et dum jungi debent, eadem linea recta ante pectus reducuntur.

16. Cum manus extendendæ, simulque elevandæ et jungendæ sunt, utraque manu describendus est quasi circulus, id est, manus ante pectus junctæ non deprimendo, sed elevando expanduntur ad humerorum latitudinem, et elevantur ad superiorem humerorum partem, ibique, id est, ad eamdem altitudinem, junguntur, et junctæ ad pectus demittuntur. Ad Gloria in excelsis dicit Rubrica: *manus extendens elevansque;* ad Credo vero *elevans et extendens manus.* Plane autem indifferens est, an prius ponatur *extendens* et deinde *elevans;* an vero prius dicatur *elevans* et deinde *extendens;* manus enim eodem plane modo sunt extendendo seu dividendo elevandæ, et elevando extendendæ.

17. Quoad *pronuntiationem* dicit Rubrica: *Sacerdos autem maxime*

curare debet, ut ea, quæ clara voce dicenda sunt, distincte et apposite proferat, non admodum festinanter, ut advertere possit quæ legit; nec nimis morose, ne audientes tædio afficiat; neque etiam voce nimis elata, ne perturbet alios, qui fortasse in eadem Ecclesia tunc temporis celebrant; neque tam submissa, ut a circumstantibus audiri non possit, sed mediocri et gravi, quæ et devotionem moveat, et audientibus ita sit accommodata, ut quæ leguntur intelligant. Quæ vero secrete dicenda sunt, ita pronuntiet, ut et ipsemet se audiat, et a circumstantibus non audiatur.

18. In præcitata Rubrica fit mentio tantum duplicis vocis, *claræ* scilicet et *secretæ:* alibi tamen Rubrica loquitur etiam de voce *mediocri* seu *aliquantulum elata.* Triplex ergo est vox pro Missa privata. *Secreta*, quæ a Sacerdote ita emittitur, *ut et ipsemet se audiat, et a circumstantibus non audiatur.* Vox *media* seu *mediocriter clara* est, quæ ita alte profertur, ut a Ministris et propioribus adstantibus percipi possit, sed tamen est magis v. g. uno tantum tono, depressa, quam vox *alta* seu *simpliciter clara.* Vox *alta* seu *elata* seu *simpliciter clara* est, quæ ad circumstantium aures perveniat.

CAPUT II.

DE RITIBUS IN CELEBRATIONE MISSÆ PRIVATÆ OBSERVANDIS.

§ 1.

DE INGRESSU SACERDOTIS AD ALTARE.

1. *Sacerdos omnibus paramentis indutus, accipit manu sinistra Calicem, ut supra præparatum, quem portat elevatum ante pectus,* sic, ut parvum spatium sit Calicem inter et pectus, *bursam manu dextra super Calicem tenens*, ne aliquid decidat; *et*, tecto capite, *facta* per capitis inclinationem *reverentia Cruci vel imagini illi, quæ in Sacristia erit, capite cooperto accedit ad Altare, Ministro*

cum Missali, et aliis ad Celebrandum necessariis (nisi antea fuerint præparata, quod apud nos fiat. Vide § 7. n. 2.), *præcedente, superpelliceum induto.*

2. *Procedit autem* Sacerdos *oculis demissis, incessu gravi, erecto corpore*, quem incedendi modum etiam observet Minister.

3. *Si vero contigerit, eum transire ante Altare majus*, in quo SS. Sacramentum non asservatur, *capite cooperto faciat ad illud reverentiam* per profundam capitis inclinationem.

4. *Si* transeat *ante locum Sacramenti*, Tabernaculo inclusi, *genuflectat*, dextro scilicet genu, sed capite cooperto. Eamdem exhibeat reverentiam, si transeat a latere loci supradicti.

5. Si transeat ante Altare, quod non sit Altare majus, nullam per se reverentiam facere debet.

6. Si in Altari, quod transit, quodcumque sit, celebretur Missa, et si sit inter Consecrationem et Communionem, Sacerdos agit ut n. 4. Si autem transeat ante Consecrationem et post Communionem, nullam reverentiam facit, nisi sit Altare majus, aut nisi ibi asservetur SS. Sacramentum.

7. Præteriens ante Altare, ubi Missæ cujuspiam jam immineat Consecratio et Elevatio, flectit utrumque genu, et detecto capite SS. Sacramentum adorat profunda capitis inclinatione, dum elevantur Sacræ Species. Reposito autem Calice super Corporale, tegit caput, tum manu dextra Calici superposita, erigit se, neque aliam, postquam se erexerit, exhibere debet reverentiam. Vide etiam n. 4.

8. Eodem modo genuflectit, detegit caput, adorat, caput tegit, surgit et abit, transiens ante SS. Sacramentum, licet in Pyxide expositum, ac ante locum, ubi cum SS. Sacramento datur benedictio, et ubi ministratur Sacra Communio. Vide etiam n. 4.

9. Idipsum præstat, si obviam veniat Sacerdoti, SS. Sacramentum deferenti: non tamen surgit prius quam ille e conspectu excesserit.

10. Sacerdos transiens ante Altare, in cujus loco principali Reliquia Sanctæ Crucis est exposita, agit ut n. 4. Si vero præfata Reliquia recondita sit in custodia, Sacerdos tantum caput inclinat. Idem dicendum de aliis instrumentis Dominicæ Passionis.

11. Ante Reliquias vero Sanctorum, etiam expositas, specialis

... ...facienda, nisi sit Reliquia insignis, cui convenit ... si sit solemniter exposita. Quænam sit Reliquia ... Vide Rubr. pecul. Brev. Rom. Seraph. n. 4. III.

... Si duo Sacerdotes sibi occurrant parati, alter alterius transit ...n, nullam autem aliam sibi invicem exhibeant reverentiam, ...t caput detegendo, aut humeros inclinando.

13. Si Sacerdos rationabili ex causa Calicem ad Altare non deferat, tum ad Altare accedit junctis manibus, et reverentias facit capite detecto.

14. *Cum* Celebrans *pervenerit ad Altare*, *stans ante illius infimum gradum*, *caput* manu dextra *detegit*,... *et* illa denuo super bursam posita, *Altari*, *seu imagini Crucifixi*, *desuper positæ*, *profunde*, id est, profunda corporis incurvatione, *se inclinat. Si autem in eo sit Tabernaculum SS. Sacramenti*, vel exposita sit Reliquia S. Crucis, *genuflectens* dextro genu in plano, *debitam facit reverentiam.*

15. *Tunc ascendit ad medium Altaris*, *ubi ad cornu Evangelii sistit Calicem*, et Cruci caput inclinat: quo facto, ambabus manibus, aut deposita dextra super Altare, sinistra accipit bursam, et manu dextra *extrahit Corporale de bursa*, *quod* ambabus manibus *extendit in medio Altaris*, *et super illud Calicem*, *velo coopertum collocat; bursam autem* statim ac ex ea Corporale extraxit, sinistra collocat *ad cornu Evangelii*, cum apertura versus medium Altaris.

Not. Corporale supponitur totaliter extendi: attamen usus laudabilis est, ut pars anterior, ubi deponi solet Hostia, non explicetur nisi ad Offertorium, ut hoc modo præcaveatur periculum, ne particulæ, forsan relictæ ex præcedenti Sacrificio, adhæreant velo aut pedi Calicis.

16. *Si* Sacerdos *in Altari paramenta accepit*, *hoc idem* quod jam dictum est, *facit*, *antequam descendat ab Altari*, *ut Missam inchoet.*

17. *Collocato Calice in Altari* super Corporale, Sacerdos manibus ante pectus junctis, caput Cruci profunde inclinat, *accedit ad cornu Epistolæ*, in incessu prorsus Altari obvertens latus sinistrum, *Missale super cussino* seu pulpito *aperit*, *reperit Missam*, *et signacula suis locis accommodat.* Cfr. cap. 1. § 4. n. 3.

Deinde, manibus ante pectus iterum junctis, dextrumque latus Altari obvertens, *rediens ad medium Altaris*, *facto primum*, ut prius, *Cruci reverentia*, *vertens se*, facie scilicet versa *ad cornu Epistolæ*, retrahendo se aliquantulum a medio Altaris, ne directe vertat terga Cruci vel Tabernaculo, *descendit* manibus junctis *post infimum gradum Altaris*, id est, in planum capellæ, ut ibi faciat Confessionem.

§ 2.

DE PRINCIPIO MISSÆ USQUE AD ORATIONES.

1. *Sacerdos cum primum descenderit sub infimum gradum Altaris*, sive in planum capellæ, *convertit se ad ipsum Altare*, *ubi stans in medio*, *junctis manibus ante pectus*, *extensis et junctis pariter digitis*, *et pollice dextro super sinistrum posito in modum Crucis*, (*quod semper servatur*, *quando junguntur manus*, *præterquam post Consecrationem*) *detecto capite*, *facta prius Cruci vel Altari profunda reverentia* per profundam corporis inclinationem, *vel*, *si in eo sit Tabernaculum SS. Sacramenti* actu inclusi, aut si in Altari exposita sit reliquia S. Crucis, *facta* genu dextro tantum super infimum Altaris gradum *genuflexione*, *erectus incipit Missam.*

2. *Et producens manu dextra a fronte ad pectus*, et ab humero sinistro ad dextrum *Signum Crucis*, *dicit intelligibili voce*, IN NOMINE PATRIS etc. Dicens IN NOMINE PATRIS, tangit physice frontem suam tribus mediis digitis dextræ. Cum dicit ET FILII, eodem modo tangit pectus. Cum dicit ET SPIRITUS, tangit humerum sinistrum. Cum dicit SANCTI. AMEN, tangit humerum dextrum. *Et postquam id dixerit*, junctis iterum manibus ante pectus, *non debet advertere quemcumque in alio Altari celebrantem*, *etiamsi Sacramentum elevet*, *sed continuate prosequi Missam suam usque ad finem.*

3. Si, antequam Sacerdos inceperit dicere IN NOMINE PATRIS etc., in vicino Altari elevetur SS. Sacramentum, debet utrumque genu flectere in loco, in quo est; et deposito in vicino Altari sacrato Calice, surgit et peragit, quæ habet agenda.

4. Si in ipso Altari habeatur Tabernaculum, ex quo SS. Sacramentum deferendum, vel ad quod ex alio Altari transferendum foret, Celebrans utrumque genu flectit etiam infra Missam, modo non sit infra Canonem, aut modo aliquam Orationem aut partem non inceperit et necdum finierit. Si enim Canonem inceperit, non potest interrumpere Missam et genuflectere, et si Orationem, Epistolam, Evangelium aut aliam partem inceperit, præstat etiam non genuflectere, donec finierit; in omni tamen casu, quo est in medio Altaris, parum a medio recedere potest, si opus sit, etiam infra Canonem, nisi actione impediatur.

5. *Cum* Sacerdos *seipsum signat, semper sinistram ponit infra pectus*, super cingulum tamen, et ita ut manus sinistra sit extra terminos Crucis, impressæ per dextram; *in aliis benedictionibus, cum est ad Altare*, id est, facie conversus ad Altare, *et benedicit oblata, vel aliquid aliud, ponit eam super Altare, nisi aliter notetur.*

6. *Seipsum benedicens, vertit ad se palmam manus dextræ, et omnibus illius digitis junctis et extensis, a fronte ad pectus, et ab humero sinistro ad dextrum, signum Crucis formal* ut supra n. 2. *Si vero alios, vel rem aliquam benedicit, parvum digitum vertit ei, cui benedicit, ac benedicendo totam manum dextram extendit, omnibus illius digitis pariter junctis et extensis, quod in omni benedictione observatur*, excepto pollice et indice a Consecratione usque ad Communionem.

7. *Postquam* Sacerdos *dixerit*: In nomine Patris etc. *ut supra, jungens iterum manus ante pectus, pronuntiat clara voce Antiphonam*, Introibo ad Altare Dei. *Deinde Sacerdos eodem modo stans incipit, et prosequitur cum Ministro alternatim Psalmum*, Judica me Deus, *usque ad finem, cum* Gloria Patri, ad quod caput inclinat Cruci. Finito Psalmo, et *repetita Antiphona* Introibo, *dextra manu producens signum Crucis*, dicit ad frontem Adjutorium, ad pectus nostrum, ad humerum sinistrum in nomine, ad dextrum Domini. *Deinde Altari se*, id est, corpus, *profunde inclinans, junctis manibus dicit*: Confiteor Deo, *ut in Ordine Missæ, et prosequitur eodem modo stans inclinatus, donec a Ministro vel Ministris dictum sit*: Misereatur. *Cum incipitur a Ministris* Con-

FITEOR, *se erigit*, adeoque post MISEREATUR respondet AMEN adhuc inclinatus. *Cum dicit*, MEA CULPA, *ter pectus dextra manu percutit, sinistra infra pectus posita.*

Sacerdos sub CONFITEOR dum dicit: VOBIS FRATRES, nullatenus se debet ad Ministrum convertere. Debet quoque sibi ab inordinato strepitu cavere, dum percutit pectus ad MEA CULPA.

Facta a circumstantibus, vel a Ministro, eorum vices supplente, *Confessione*, *Celebrans stans* erectus, *respondet*, MISEREATUR VESTRI etc. *Deinde producens manu dextra a fronte ad pectus signum Crucis, dicit* ad frontem INDULGENTIAM, ad pectus ABSOLUTIONEM, ad humerum sinistrum ET REMISSIONEM, et ad dextrum PECCATORUM NOSTRORUM. Reliqua pergit Sacerdos dicere junctis manibus. *Et stans* corpore mediocriter *inclinatus*, *junctis manibus prosequitur*, DEUS TU CONVERSUS, *et quæ sequuntur in Ordine Missæ clara voce usque ad Orationem*, AUFER A NOBIS etc.

9. *Et cum dicit* OREMUS, *extendit*, *et jungit manus* tantum, non autem illas elevat, aut faciem in cœlum erigit. Dicit autem OREMUS adhuc inclinatus, et tunc se erigens dicit submisse: AUFER A NOBIS. Et *junctis manibus ascendit ad medium Altaris*, *et ibi* corpore mediocriter *inclinatus*, *manibusque item junctis super eo positis*, (ut n. seq. explicatur) *secreto dicit*, ORAMUS TE DOMINE, etc.

10. Manus autem sic ponantur super Altare, *ut digiti parvi dumtaxat frontem*, *seu medium anterioris partis tabulæ*, *seu mensæ Altaris tangant*, et sex digiti majores, simul juncti, absque ulla separatione a parvis digitis, in superiori parte mensæ Altaris quiescant, *residuo manuum inter Altare et se retento*, *pollice dextro super sinistrum in modum Crucis posito.* (*Quæ omnia semper observantur*, *cum manus junctæ super Altare ponuntur*, cum hac tamen differentia, quod a Consecratione usque ad Ablutionem digitorum pollices ab indicibus non disjungantur)

11. *Et cum dicit*, QUORUM RELIQUIÆ HIC SUNT, osculatur *Altare in medio*, *manibus extensis æqualiter hinc inde super eo positis*, ut dictum est cap. I. § 5. n. 13.

12. *Osculato Altari* et finita Oratione, Sacerdos sine ulla Cruci inclinatione, quia osculando Altare Cruci se inclinavit, (quod semper

in simili casu observandum) *accedit ad cornu ejus sinistrum*, *id est Epistolæ*, *ubi stans versus Altare*, *et producens a fronte ad pectus signum Crucis*, *incipit intelligibili voce* INTROITUM *Missæ*, *et prosequitur junctis manibus*. *Cum dicit* GLORIA PATRI, *tenens junctas manus*, *caput inclinat versus Crucem*, et inclinatum tenet usque ad SPIRITUI SANCTO inclusive. *Cum repetit* INTROITUM, *non signat se*, *ut prius*, *et eo repetito*, *junctis manibus ante pectus accedit ad medium Altaris*, *ubi stans versus illud*, *similiter manibus junctis* caput profunde inclinat, et erecto capite, et non prius, *dicit eadem* intelligibili *voce ter* KYRIE ELEISON, *ter* CHRISTE ELEISON, *et iterum ter* KYRIE ELEISON, *alternatim cum ministro*.

13. *Dicto ultimo* KYRIE ELEISON, *Sacerdos stans in medio Altaris*, *et manus extendens*, *elevansque usque ad humeros*, (vide cap. I. § 5. n. 16.) *voce prædicta incipit*, *si dicendum sit*, GLORIA IN EXCELSIS. *Cum dicit* DEO, *jungens manus*, *caput Cruci* profunde *inclinat*: *quo erecto*, *stans junctis manibus ante pectus*, *prosequitur usque ad finem*. *Cum dicit*: ADORAMUS TE, GRATIAS AGIMUS TIBI, *et* JESU CHRISTE, SUSCIPE DEPRECATIONEM NOSTRAM, *et iterum* JESU CHRISTE, *caput Cruci* profunde *inclinat*. *Cum dicit in fine* CUM SANCTO SPIRITU, sinistra infra pectus posita, dextra *seipsum a fronte ad pectus signat*, *interim*, dum nempe se signat ab humero sinistro ad dextrum, *absolvens*, IN GLORIA DEI PATRIS. AMEN, quin postea manus jungat.

14. *Dicto Hymno* GLORIA IN EXCELSIS, *vel*, *si non sit dicendus*, *eo omisso*, *celebrans osculatur Altare in medio*, *manibus hinc inde super eo*, *ut supra*, *extensis*: *tum illis ante pectus junctis*, *et demissis ad terram oculis*, *vertit se a sinistro latere ad dextrum versus populum*, *hoc est*, *per eam partem*, *quæ respicit cornu Epistolæ*, *et extendens et jungens manus ante pectus*, *ut prius*, *dicit voce prædicta*, DOMINUS VOBISCUM. In hac salutatione, et quotiescumque se vertit, attendat, ut aliquantulum se elonget ab Altari, ne Planeta complicetur; neque iterum ad Altare se vertat, donec absolverit salutationem, sive illam cantet, sive legat. Aperit autem manus ad ly DOMINUS, et claudit ad ly VOBISCUM. Caput etiam non inclinet versus populum, dum illum salutat.

15. Dicto DOMINUS VOBISCUM, *et junctis ut prius manibus, revertitur per eamdem viam ad librum, ubi eas extendens et jungens ante pectus, caputque Cruci* profunde *inclinans, dicit* OREMUS. *Tum extendit manus ante pectus* modo præscripto cap. I. § 5. n. 15. Et stans manibus sic extensis, dicit Orationem unam vel plures pro ratione temporis vel Officii.

§ 3.

DE ORATIONIBUS.

Quædam de quibusdam Orationibus notanda sunt.

1. Quoad Orationem A CUNCTIS, notandum:

a) Juxta tenorem Decreti Apost. 7. Julii 1871. in Oratione A CUNCTIS nominandus est S. Joseph, Sponsus B. V. Mariæ, eo ordine, quo infra ad *g*).

b) Ad litteram N. nominandus est sanctus Titularis, seu Patronus Ecclesiæ, in qua celebratur; non autem Titularis Ecclesiæ Celebrantis, neque Patronus vel Fundator Ordinis.

c) Si fuerint plures alicujus Ecclesiæ Patroni æque principales, omnes nominandi sunt; secus solus principalior.

d) Si Patronus jam nominatus sit, ut puta, si de Patrono celebrata sit Missa, vel si Titularis sit ex ipsis, quorum nomina in dicta Oratione exprimuntur, omittenda est ejus iterata nominatio; et nullus ad litteram N. est nominandus, omittendo verba: ATQUE BEATO N.

e) Si Ecclesia dedicata sit Divinis Personis, vel alicui Mysterio, omittenda pariter sunt verba ATQUE BEATO N. et nullus Sanctus nominari debet.

f) Si celebretur in Oratorio, quod non habet sanctum Patronum, nominandus est Patronus civitatis vel loci.

g) In hac Oratione servari debet idem ordo ac in Litaniis Majoribus, adeoque nomina SS. Angelorum, S. Joannis Baptistæ et S. Joseph præponenda sunt nominibus Apostolorum, et Oratio recitanda est hoc modo: INTERCEDENTE BEATA .... MARIA, CUM BEATIS

ANGELIS, vel CUM BEATO MICHAELE, GABRIELE etc. CUM BEATO JOANNE BAPTISTA, CUM BEATO JOSEPH, (non *Josepho*) BEATIS APOSTOLIS TUIS PETRO ET PAULO, ET OMNIBUS SANCTIS.

Not. In omnibus Sacristiis loco patenti tabula appendatur, in qua magno charactere nomen *Patroni*, in præfata Oratione, uti et nomen *Ordinarii*, in Canone exprimendum, inscriptum sit.

2. Oratio *ad libitum* est, quæ certis diebus tertio loco dicenda præscribitur. Vocatur *ad libitum*, non quia ad libitum ponenda vel omittenda; sed quia ad libitum eligenda est. Priori tamen sensu *ad libitum* etiam vocantur Orationes, quæ in quibusdam Missis, ultra Orationes de præcepto, pro libitu Celebrantis addi vel omitti possunt, et ideo etiam Orationes *votivæ* nuncupantur.

Quoad hanc Orationem notandum:

a) Oratio *ad libitum*, in utroque sensu, eligi potest non tantum ex Orationibus, quæ in fine Missalis *ad libitum* assignantur; sed etiam ex quacumque Missa de *Proprio* vel de *Communi*, dummodo hæc ut Missa votiva celebrari possit.

b) Si in Oratione electa occurrat vox: ANNUA, HODIE, vel quid simile, ea omittitur; vox vero: NATALITIA, FESTIVITAS, vel SOLEMNITAS, mutatur in COMMEMORATIO, vel MEMORIA.

c) Oratio *ad libitum*, tertio loco ponenda, semper dicenda est, quando in Directorio notatur; et numquam ipsi substitui potest Oratio *imperata*, aut *de SS. Sacramento exposito*.

d) Cavendum etiam, ne pro hac Oratione *ad libitum* talis sumatur, in qua iterum fieret mentio ejus, de quo jam in præcedentibus facta fuit; ideoque, cum Oratio A CUNCTIS semper secundo loco dicenda ponitur, quando tertia est *ad libitum*, pro hac sumi non potest neque Oratio de Beata, neque de S. Joseph, neque de SS. Apostolis Petro et Paulo, neque de S. Patrono Ecclesiæ, quia horum omnium mentio jam occurrit in Oratione A CUNCTIS. Vide Gav. Part. IV. tit. XVII. n. 27.

3. Quoad Orationem *de SS. Sacramento publice exposito*, notandum:

a) In omni Missa, quæ cum vel sine Ministris sacris *cantatur* ad Altare expositionis, *semper* addenda est Orationi Missæ cantatæ

Oratio de SS. Sacramento; in duplicibus quidem 1. et 2. Classis, item in Missis votivis solemnibus, nec non in Vigiliis Nativitatis Domini et Pentecostes, et in Dominica Palmarum, *sub unica conclusione*, nisi aliæ Commemorationes faciendæ occurrant, quibus tunc Oratio de SS. Sacramento *sub altera conclusione* adjungenda est. In duplicibus vero non Classicis, sed inferioris Ritus, fit semper *sub altera conclusione*, licet etiam tunc nulla alia commemoratio facienda occurreret.

b) In Missis cantatis ad aliud Altare, et in privatis ad quodcumque Altare, hæc Oratio additur vel omittitur *ad arbitrium* Sacerdotis, nisi occurrat Festum duplex 1. vel 2. Classis, quo casu omittenda est; quod etiam extendendum est ad Missam votivam solemnem, ad Dominicam Palmarum, et ad Vigilias Nativitatis Domini et Pentecostes.

c) Exposito SS. Sacramento occasione 40 horarum, in omnibus Missis, etiam privatis, ad quodcumque Altare celebrentur, adjungi debet hæc Oratio; dummodo excipiantur Festa 1. et 2. Classis et alia ut ad litteram *b*), et dummodo preces 40 horarum fiant juxta Instructionem Clementinam. Si vero hæ preces non fiant juxta prælaudatam Instructionem, observanda sunt ea, quæ hac de re in qualibet Diœcesi ab Ordinario præscripta sunt. Si vero nihil quoad hanc Orationem de SS. Sacramento in Diœcesi ordinatum existat, observentur ea, quæ ad litteras *a*) et *b*) præscripta sunt.

d) Oratio hæc debet poni *post omnes Commemorationes speciales* et etiam *communes*, quæ aliquando 2° et 3° loco dicendæ præscribuntur; sed *ante Orationes imperatas et votivas*, licet digniores.

4. Quoad Orationem, dicendam in Anniversario *Creationis* et *Coronationis* Summi Pontificis, nec non *Electionis Consecrationis* et *Translationis* Episcopi, prout ipse ordinaverit, notandum:

a) Hæc Commemoratio facienda est in omnibus Missis tam lectis, quam cantatis; et hoc quidem *in Festis duplicibus*, *etiam majoribus*, sub distincta conclusione, et post alias Commemorationes a Rubricis præscriptas, sed ante Orationes *imperatas* et *votivas*, vide litteram *f*).

b) *In Festis* 2. *Classis* etiam facienda est, *sed sub unica conclusione*, nisi alia Commemoratio occurrat.

c) In *Festis* 1. *Classis*, item in Dominica Palmarum, ultimo triduo Majoris Hebdomadæ, et in Vigiliis Nativitatis Domini et Pentecostes, prædicta Oratio est omittenda.

d) Pro Commemoratione *Creationis* et *Coronationis* summi Pontificis sumatur Oratio, DEUS OMNIUM FIDELIUM PASTOR, quæ 4° loco inter *Orationes ad libitum*, et multis aliis locis in Missali reperitur. Pro Commemoratione *Electionis*, *Consecrationis* et *Translationis* Episcopi Oratio est eadem, sed sumatur ex Missa ejusdem Anniversarii, quæ in fine Missalis reperitur inter *Votivas:* DEUS, OMNIUM FIDELIUM PASTOR ET RECTOR, FAMULUM TUUM N. (nominetur nomen Episcopi) QUEM PASTOREM ECCLESIÆ N. (nominetur Diœcesis) PRÆESSE VOLUISTI etc. Ad nomen Episcopi in hac Oratione et in Canone hoc die caput inclinandum est.

e) Si Anniversarium Papæ et Episcopi eodem die occurrant, tunc de Anniversario Episcopi agendum est sequenti die.

f) Si Oratio *de SS. Sacramento exposito*, illa *pro Anniversariis prædictis* et *Imperata* simul occurrunt, dicitur 1° illa *de SS. Sacramento*, 2° *pro Anniversario*, et 3° *Imperata*.

5. Quoad Orationem *imperatam* notandum:

a) Oratio *imperata* semper dicitur, exceptis Festis 1. Classis, item Missis, quæ unicam tantum Orationem admittunt, nempe in Dominica Palmarum, Vigiliis Nativitatis Domini et Pentecostes, Feria quinta in Cœna Domini, Sabbatho Sancto, atque in Votivis solemnibus, quia celebrantur sub Ritu 1. Classis; nec non in Missis de *Requiem*.

b) In Festis 2. Classis dicitur vel omittitur ad arbitrium Celebrantis in Missis privatis; sed in Missis cantatis, item in Missa Conventuali, licet lecta tantum, in Ecclesiis ubi Missa Conventualis cantari non solet, omittitur.

c) Non vero omittitur in Missis, in quibus duæ præscribuntur Orationes, etiam cum additamento *tantum*, excepta Dominica quarta Adventus, occurrente in Vigilia Nativitatis Domini.

d) Si Oratio pro re gravi et in determinata Missa, vel etiam pro re gravissima per aliquod tempus *quotidie* dicenda imperetur, tunc in Festis 1. Classis sub unica conclusione dici debet, nisi alia

Commemoratio occurrat: in Festis vero 2. Classis et inferioris Ritus sub altera conclusione. Cfr. Decr. 3. Julii 1869.

Quod si in Festis 1. Classis, in quibus nulla Commemoratio occurrit, etiam dicenda foret Oratio *de SS. Sacramento exposito*; tunc Oratio SSmi Sacramenti conjungenda est cum Oratione Festi; Oratio vero imperata sub distincta conclusione. Decr. 22. Aprilis 1871.

e) Si *Imperata* eadem sit cum alia Oratione a Rubricis præscripta, modo sit de *diverso objecto*, non quidem omittitur, sed in aliam commutari debet, juxta dicenda n. 7.

Si vero a Rubrica præscripta sit Oratio ECCLESIÆ vel *pro Papa*, et ab Episcopo ordinetur *Imperata pro Papa*, ambæ dicendæ sunt.

f) Si plures Orationes imperentur, dicendæ sunt non ordine temporis, quo præscriptæ sunt; sed ordine dignitatis, id est, eo ordine, quo in fine Missalis ponuntur.

6) Inconsulta Sacra Congregatione, nihil in Orationibus mutandum est. Hinc, cum transfertur Festum sive per accidens, sive in perpetuum, non sunt varianda verba: HUNC, HODIERNUM, PRÆSENTEM DIEM, aut similia.

7. *Cum vero dicuntur plures Orationes, et una Oratio eadem sit cum alia ibidem* in eadem Missa prius *dicenda*, de diverso tamen objecto, *Oratio hujusmodi, illa scilicet quæ* ordine posterior, et *eadem est* cum præcedente, *non alia, commutetur cum alia de Communi vel Proprio, quæ sit diversa. Idem servetur in Secretis et Orationibus post Communionem.*

Notandum, hoc intelligendum esse tantum de Orationibus, in Missa et in Officio Divino dicendis; non vero de eis, quæ dicuntur extra Officium. Ideo Oratio: DEUS, QUI SALUTIS, dicenda post Antiphonam finalem: ALMA, non mutatur in die Circumcisionis Domini, quamvis Oratio Officii eadem sit. Antiphona finalis enim est extra Divinum Officium.

§ 4.

DE ORATIONE USQUE AD PRÆFATIONEM.

1. *Cum* in conclusione Orationis Sacerdos *dicit*, PER DOMINUM NOSTRUM, *jungit manus*, *easque junctas tenet usque ad finem. Si aliter concluditur Oratio*, scilicet, QUI TECUM, *vel* QUI VIVIS; *cum dicit*, IN UNITATE, *jungit manus*.

2. *Cum* in Orationibus *nominatur nomen* JESUS, Sacerdos *caput versus Crucem* profunde *inclinat: quod etiam facit cum nominatur in Epistola*, in Secretis, Canone, aliisque locis, excepto tantum Evangelio, tunc enim caput versus librum inclinat: *et similiter ubicumque nominatur nomen beatæ* MARIÆ *vel* SANCTORUM, *de quibus dicitur Missa*, *vel fit commemoratio*, *item in Oratione pro Papa; quando* in ea et in Canone *nominatur*, Sacerdos *semper caput inclinat*, *non tamen versus Crucem*, sed versus librum. Vide etiam § 3. n. 4. *d*).

3. Ad hanc Rubricam insuper notanda sunt:

a) Caput etiam profunde inclinandum est versus Crucem, quoties expresse fit mentio SS. Trinitatis, sive per enumerationem Divinarum Personarum PATRIS ET FILII ET SPIRITUS SANCTI, sive per vocem ipsam TRINITAS, ut in Missa de SS. Trinitate et alibi; non vero in ejusdem Præfatione ad vocem TRINITATE.

b) Attamen Sacerdos caput numquam inclinare debet, dum seipsum, vel aliam personam vel objectum benedicit. Hinc caput non est inclinandum, si nomen JESUS vel SS. TRINITAS ponatur in primis *Introitus* verbis, sub quibus Crux facienda est.

c) Ad nomen MARIÆ, et ex antiquo Ordinis nostri more etiam ad nomen S. P. N. FRANCISCI semper et ubique caput inclinandum est, licet de eis nec Missa, nec *specialis* Commemoratio fiat.

d) Ad nomen vero Sanctorum caput inclinandum non est, nisi de ipsis dicatur Missa, vel *specialis* in Missa fiat Commemoratio.

e) Notandum etiam est, inclinationem faciendam tantum esse ad nomen JESU, prolatum de secunda Persona SS. Trinitatis; item

tantum ad nomen MARIÆ, prolatum de B. Maria Virgine et ad nomina propria Sanctorum, sub quibus illi Sancti ab Ecclesia coluntur, seu in Kalendario describuntur.

f) Semel tantum caput est inclinandum, dum plura Sanctorum nomina simul junguntur, ita tamen ut inclinatio duret a primo usque ad ultimum.

4. *Dictis Orationibus*, *Celebrans*, *positis super librum vel super Altare manibus*, *ita ut palmæ librum* vel Altare *tangant*, *vel* (*ut placuerit*) *librum* hinc inde ad latera *tenens*, *legit Epistolam intelligibili voce*, quam finit non caput inclinando versus Ministrum, (nisi id aliunde foret necessarium) sed ultima Epistolæ verba voce parum mutata, aut demissa pronuntiando, ut advertere possit Minister eamdem esse finitam, et respondere possit DEO GRATIAS.

5. *Et* post Epistolam *similiter stans eodem modo prosequitur Graduale*, ALLELUJA, *et Tractum ac Sequentiam*, *si dicenda sint. Quibus dictis*, *Sacerdos*, *si privatim celebret*, *ipsemet seu minister portat librum Missalis ad alteram partem Altaris in cornu Evangelii*, *et*, si ipse Celebrans transferat librum, *dum transit ante medium Altaris caput Cruci* profunde *inclinat*, *et Missale sic locat*, *ut posterior pars libri respiciat ipsum cornu Altaris*, *et non ad parietem.*

6. *Locato Missali in Altari*, *Celebrans*, si ipse librum detulerit, *redit ad medium Altaris*, alioquin a cornu Epistolæ venit ad medium, *ibique stans junctis manibus ante pectus*, *levatisque ad Deum*, id est, ad Crucem, *oculis*, *et statim demissis*, *tum* corpore *profunde inclinatus*, *dicit secreto*, MUNDA COR MEUM, *et* JUBE DOMINE BENEDICERE, DOMINUS SIT IN CORDE MEO, *ut in Ordinario* Missæ. Dicit autem MUNDA COR MEUM et alia, manibus ante pectus junctis, et non super Altare positis.

7. *Quibus dictis*, erigit se et absque eo quod Cruci aliam faciat reverentiam, *vadit ad librum Missalis*, *ubi stans* oblique *versus illum* librum oblique in Altari positum, *junctis manibus ante pectus*, *dicit intelligibili voce*, DOMINUS VOBISCUM. ℟. ET CUM SPIRITU TUO *Deinde* manus disjungens, ponit sinistram super Missale extensam, et *pollice*, id est pulpa pollicis *dextræ manus*, quem dimovet a

reliquis digitis extensis simulque junctis, *signo Crucis signat primo librum super principio Evangelii, quod est lecturus; postea seipsum in fronte, ore, et pectore, dicens* SEQUENTIA *vel* INITIUM SANCTI EVANGELII etc. Dum dicit, SEQUENTIA vel INITIUM signat librum, et mox sinistra manu a libro amota et pectori admota, prosequitur SANCTI EVANGELII SECUNDUM N. seipsum pollice signans, ut supra. Advertat autem, ne os suum signet, dum verba profert.

8. *Tum*, scilicet postquam se signavit et Minister respondit, GLORIA TIBI, DOMINE, *junctis iterum manibus ante pectus, stans ut supra, prosequitur Evangelium, usque ad finem. Quo finito* et responso a Ministro LAUS TIBI, CHRISTE, *Sacerdos elevans parumper librum, osculatur principium Evangelii, dicens* secreto, PER EVANGELICA DICTA etc.

9. *Cum autem* in Evangelio *nominatur* JESUS, *caput versus librum inclinat, et eodem modo versus librum genuflectit, cum in Evangelio est genuflectendum*, etiam in Passione Domini ad illa verba: EMISIT SPIRITUM.

10. *Dicto Evangelio*, et illo exosculato, quando est necesse, Celebrans aptat librum, ut ea, quæ sequuntur, possit commode legere. Tunc vadit ad medium Altaris, ubi stans absque prævia inclinatione, *elevans et extendens manus, incipit* (si dicendum sit) CREDO. Cfr. § 2. n. 13. et cap. I. § 5. n. 16.

Cum dicit IN UNUM DEUM, ad ly UNUM *jungit manus, et* ad ly DEUM, *caput Cruci* profunde *inclinat; quo erecto, stans ibidem junctis ante pectus manibus, ut prius, prosequitur usque ad finem.* Cum dicit JESUM CHRISTUM, *caput Cruci* profunde *inclinat. Cum dicit,* ET INCARNATUS EST, *usque ad* ET HOMO FACTUS EST *inclusive, genuflectit;* ita ut genuflectionem incipiat cum prædictis verbis, et in ipsa genuflexione, quæ tamen sine mora fit, et sine corporis aut capitis incurvatione, absolvat ET HOMO FACTUS EST. *Cum dicit*, SIMUL ADORATUR, *caput Cruci* profunde *inclinat. Cum dicit*, ET VITAM VENTURI SÆCULI. AMEN, *producit sibi manu dextra*, sinistra ad pectus applicata, *signum Crucis a fronte ad pectus* et a latere sinistro ad dextrum, sic distribuendo verba, ut ad ly ET tangat frontem, pectus autem ad ly VITAM, latus sinistrum ad ly VENTURI,

et dextrum ad ly SÆCULI. AMEN. Proinde non debent jungi manus ad verbum AMEN, nec inter AMEN et osculum Altaris.

11. *Dicto Symbolo, vel, si non sit dicendum, post Evangelium Celebrans osculatur Altare in medio*, et more solito salutato populo, *extendens et jungens manus, caputque Cruci* profunde *inclinans*, *dicit* alta voce, OREMUS; *tum junctis, ut prius, manibus, dicit* eadem voce OFFERTORIUM.

12. *Dicto Offertorio, discooperit Calicem*, utraque manu velum hinc inde submovendo, illudque decenter plicatum in cornu Epistolæ reponit, tunc, sinistra super Altare posita, manu dextra Calicem apprendit ad nodum, *et ad cornu Epistolæ sistit* extra Corporale. Deinde utraque manu anteriorem Corporalis plicaturam extendit, si Corporale ab initio Missæ totaliter extensum non fuerit; et sinistra iterum super Altare reposita, *manu dextra amovet parvam pallam desuper Hostiam*, reponitque, quantum fieri potest, super Corporale, cum sit ejusdem cum illo benedictionis, quod deinceps semper est observandum: Deinde *accipit* inter pollicem et digitos dextræ manus *Patenam cum Hostia, et* eidem dextræ, dum est prope medium Altaris, cum sinistra occurrens, *ambabus manibus*, id est, utroque pollice, indice et medio digitis utriusque manus extensis circa circumferentiam Patenæ, reliquis vero quatuor digitis subter Patenam junctis, *usque ad pectus eam elevatam tenens, oculis ad Deum*, id est, ad Crucem, *elevatis, et statim demissis, dicit* secreto, SUSCIPE SANCTE PATER etc. ita ut ad ly SUSCIPE oculos elevet, et ad ly HANC IMMACULATAM eosdem demittat.

13. *Si fuerint aliæ Hostiæ non super Patenam, sed super Corporale, vel in alio Calice seu vase, pro Communione populi consecrandæ*, antequam Patenam accipiat, *Calicem seu vas dextra discooperit, et intentionem suam etiam ad illas offerendas et consecrandas dirigens, dicit ut supra*, SUSCIPE etc. *ut in Ordine Missæ.*

Si vero minores Hostiæ consecrandæ pro Communione populi, vel alia Hostia major pro expositione Sanctissimi ponantur super Patenam, Sacerdos cum Patena illas elevat et offert.

Advertendum hic venit, quod, si aliæ Hostiæ consecrandæ sunt, eæ tempestive, id est, saltem ante Oblationem Hostiæ ad Altare

afferri debeant. Si afferantur post Oblationem, earumdem consecratio non nisi justa de causa fieri debet, præcipue, si afferantur post inceptum Canonem. Oblatio autem tunc mentaliter supplenda est.

14. Oratione Suscipe totaliter completa, Sacerdos *Patenam utraque manu tenens, cum ea facit signum Crucis super Corporale* hoc modo: Patenam quatuor circiter digitis ab Altari elevatam ita ambabus manibus tenens, ut pollices et indices sint contra illius circumferentiam, aliis digitis utrique indici conjunctis et extensis, cum ipsa efformat signum Crucis per duas lineas æquales super locum, ubi Hostia deponenda est.

15. Signo Crucis facto, remotiorem Patenæ partem, quæ respicit Altare, parum deprimens, *deponit Hostiam circa medium anterioris partis Corporalis ante se, et*, sinistra super Altare posita, manu dextra *Patenam ad manum dextram aliquantulum subtus Corporale ponit.*

16. Si aliæ Hostiæ ponantur super Patenam, facto signo Crucis cum Patena, dextra deponit prius Hostiam majorem Missæ in locum consuetum; et tunc deprimens partem posteriorem Patenæ, alias Hostias demittit in Corporale inter Hostiam majorem et Calicem, vel ad latus majoris Hostiæ versus cornu Evangelii.

Si Hostiæ consecrandæ non super Patenam, sed super Corporale vel in alio Calice aut Pyxide positæ fuerint, non sunt elevandæ in Oblatione: Pyxidem tamen aut Calicem, antequam Patenam accipiat, dextra discooperit, et facta Oblatione, iterum cooperit, antequam e medio Altaris discedat.

17. *Deinde* Celebrans, junctis ante pectus manibus, Cruci caput profunde inclinat, recedit a medio Altaris et *in cornu Epistolæ accipit* sinistra *Calicem*, et manu dextra parvo cochleari, si adsit, super Altare deposito, eadem dextra Calicem *Purificatorio extergit, et* deinde Calice super Altare posito, *sinistra tenens illius nodum*, et apponens Purificatorium inter pollicem et Calicem, ad guttas vini vel aquæ excipiendas, ne cadant super pedem Calicis, dextra *accipit ampullam vini de manu ministri, et ponit vinum in Calicem* in ea quantitate, quæ unico haustu facile sumi possit. *Deinde am-*

pulla Ministro reddita, *eodem modo tenens Calicem*, absque prævia manuum junctione, *producit signum Crucis super ampullam aquæ*, *et* sub productione Crucis *dicit* DEUS, QUI HUMANÆ SUBSTANTIÆ etc. *et*, accepto cochleari de Altari, *infundens parum aquæ in Calice*, *prosequitur*, DA NOBIS PER HUJUS AQUÆ ET VINI MYSTERIUM etc. Ad verba JESUS CHRISTUS caput Cruci profunde inclinat.

18. *Imposita aqua in Calice*, Purificatorio extergit cochlear, quod prope Corporale reponit. Deinde, abstersis Purificatorio guttis, si calici adhæreant, Purificatorium, in binas æquales partes plicatum, collocat super Patenæ partem, Corporali non coopertam, ita ut Purificatorii extremitates Altare respiciant; *et finita Oratione prædicta*, Celebrans junctis ante pectus manibus redit ad medium Altaris, et ibidem statim capite Cruci profunde inclinato, sinistram ponit super Altare, et *accipit manu dextra Calicem discoopertum*, cui ad medium Altaris appropinquanti sinistra manu occurrit, qua eumdem accipit ad pedem, ita ut pollex sit supra pedem, et alii digiti infra eumdem. Deinde Sacerdos *stans ante medium Altaris*, *ipsum* Calicem *ambabus manibus elevatum tenens*, ita ut Calicis cuppa non excedat oculos, neque sit infra os, ad differentiam elevationis Calicis consecrati; neque Calix directe sit super Hostiam, sed paululum extensis brachiis ultra Hostiam illum detinet, *videlicet cum sinistra pedem*, *cum dextra autem nodum infra cuppam*, *intentis ad Deum*, id est, ad Crucem, *oculis*, *offert dicens:* OFFERIMUS TIBI, DOMINE, etc. neque oculos demittit, nisi finita Oratione.

19. *Qua Oratione dicta*, Calicem demittit ad quatuor circiter digitorum distantiam ab Altari, et ibi *facit signum Crucis cum Calice super Corporale*, Calicem ambabus manibus et eodem modo tenens ac sub Oblatione, et advertens, ne Crux super Hostiam producatur. Dein Calicem *in medio* Corporalis paulo *post Hostiam collocat*, *et palla cooperit*, sinistra interim super Calicis pedem posita, ne Sacerdos palla Calicem impingens, nolens ipsum invertat: quæ cautela, etsi non præscripta, semper tamen observanda consulitur, sive Calix cooperiatur, sive discooperiatur, præsertim post Consecrationem.

20. *Deinde junctis manibus super Altare positis* (ut supra § 2.

n. 10.) *aliquantulum*, id est, corpore mediocriter, *inclinatus, dicit secreto*, IN SPIRITU HUMILITATIS etc.

21. *Postea erectus, elevans* ad Crucem *oculos*, et eos statim demittens, *manusque* eodem tempore *expandens* et elevans usque ad humeros, *et statim* eas *jungens ante pectus* (*quod semper facit, quando aliquid est benedicturus*) *dicit* interim VENI SANCTIFICATOR, etc. *Cum dicit*, ET BENEDIC, *signat manu dextra communiter super Hostiam et Calicem, sinistra posita super Altare.*

22. Nota illud, quod dicitur: *quod semper facit, quando aliquid est benedicturus*, intelligendum esse de jungendis manibus tantum, non vero de oculis elevandis. Dein hoc etiam intelligi debet, cum utraque manus est libera, nec altera earum ad Hostiam Calicemve tenendum occupata.

23. Pro formando signo Crucis super Hostiam et Calicem regula generalis hæc est:

Sacerdos Hostiam et Calicem simul signaturus, ante Consecrationem manum sinistram ponit super Altare eo modo, quo dictum est cap. I. § 5. interim dextram, extensis et unitis digitis, super Calicem constituit, ita ut extremitas parvi digiti, (qui sit quasi penicillus quo Crux describitur) respondeat medio pallæ: hinc manum dextram, linea omnino recta, in æquali altitudine, nihilque eam versus Hostiam deprimendo, super Hostiam retrahit: deinde manum, seu extremitatem parvi digiti, linea recta reducit ad medium illius rectæ lineæ, id est, prope anteriorem partem pallæ: tunc manum, eodem modo extensam, transfert ad angulum pallæ in cornu Evangelii, et hinc cum extremitate parvi digiti describit totam anteriorem partem pallæ.

Post Consecrationem eodem modo simul signantur sacræ Species, excepto quod Celebrans debeat indices et pollices utriusque manus tenere unitos, et sinistra sit ponenda in Corporali, ut dictum est cap. I. § 5.

Si autem separatim signentur oblata, fiat una Crux directe super Hostiam, sed infra cuppam Calicis, alia super Calicem, sic tamen ut Crucis latitudo et longitudo non excedant longitudinem et latitudinem pallæ. Caveatur etiam in Crucibus faciendis a nimis celeri

manuum aut brachiorum motione aut gyratione, quæ magis comicæ actioni, quam sacræ functioni convenit.

24. *Tunc* Sacerdos, postquam benedixit oblata, *junctis ante pectus manibus* caput Cruci profunde inclinat et *accedit ad cornu Epistolæ, ubi stans*, sinistro latere ad Altare verso, et *ministro aquam fudente, lavat manus, id est, extremitates digitorum pollicis et indicis, dicens Psalmum*, LAVABO INTER INNOCENTES, et ablutione facta, extergit digitos facie ad Altare versa; interim prosequitur in cornu Epistolæ Psalmum LAVABO. Digitis abstersis manutergium tradit Ministro. Cum dicit, GLORIA PATRI, faciem sine motu pedum convertit ad Crucem Altaris, et eidem caput profunde inclinat usque ad SPIRITUI SANCTO inclusive: tunc erectus stans, facie reversa ad cornu Altaris, prosequitur SICUT ERAT etc.

25. *Celebrans, lotis manibus* et abstersis, et dicto totaliter SICUT ERAT usque ad finem, manibus *ante pectus junctis revertitur ad medium Altaris, ubi* sine capitis inclinatione *stans, oculosque ad Deum*, id est, ad Crucem, *elevans, et statim demittens, manibus junctis super Altare* positis, *aliquantulum*, id est, corpore mediocriter *inclinatus, dicit secreto Orationem*, SUSCIPE SANCTA TRINITAS etc. *Qua* Oratione totaliter *dicta, manibus hinc inde extensis, et super Altare positis*, Sacerdos *osculatur illud in medio: tum junctis manibus ante pectus, demissisque oculis ad terram*, sine capitis inclinatione versus Crucem, *a sinistra manu ad dextram*, id est, vertendo faciem versus cornu Epistolæ, *vertit se ad populum, et versus eum*, sine ulla capitis inclinatione, *extendens et jungens manus, dicit voce aliquantulum elata*, id est, mediocriter clara, duo tantum hæc verba: ORATE FRATRES, et secreto prosequens, UT MEUM AC VESTRUM SACRIFICIUM etc. *perficit circulum, revertens*, statim ac dixit ORATE FRATRES, *junctis manibus ante pectus, a manu dextra*, id est, vertendo faciem versus cornu Evangelii, *ad medium Altaris.* Reversus ad Altare, caput Cruci profunde inclinat, *et responso a ministro, vel* a circumstantibus, SUSCIPIAT DOMINUS SACRIFICIUM DE MANIBUS TUIS etc. (*alioquin per seipsum dicens*, SACRIFICIUM DE MANIBUS MEIS) *ipse Celebrans submissa voce dicit.* AMEN.

26. *Et* Sacerdos, *manibus ante pectus extensis, ut fit ad Orationem* ante Epistolam, *stans in medio Altaris*, capite aliquantulum converso *versus librum, dicit absolute sine* OREMUS, *et sine alia interpositione Orationem, vel Orationes secretas*, prout una vel plures dictæ sunt Orationes ante Epistolam. *Cum dicit* PER DOMINUM, *jungit manus;* cum dicit JESUM CHRISTUM, *caput Cruci* profunde *inclinat: quod facit in prima Oratione, et in ultima, si plures sint dicendæ.* Post primam Orationem ipse Celebrans respondet AMEN.

27. Sacerdos, stans in medio Altaris, folia vertit sola manu sinistra, dextra interim super Altare posita, ut dictum est cap. I. § 5. n. 14.

§ 5.

DE PRÆFATIONE USQUE AD ORATIONEM DOMINICAM.

1. Lecta ultima Secreta cum sua conclusione, usque ad illa verba: PER OMNIA SÆCULA SÆCULORUM, *exclusive, Sacerdos stans in medio Altaris*, dextra super Altare demissa, sinistra quærit Præfationem: qua inventa, et *depositis super eo*, id est, super Altari, ambabus *manibus*, illisque *hinc inde extensis, dicit convenienti et intelligibili*, id est, clara, *voce Præfationem. Cum dicit*, SURSUM CORDA, *elevat* de Altari *manus hinc inde extensas usque ad pectus*, id est, usque ad terminos pectoris supremos, seu usque ad altitudinem humerorum, *ita ut palma unius manus respiciat alteram. Cum dicit*, GRATIAS AGAMUS DOMINO, *jungit manus* linea recta ante pectus, quin prius eas magis elevet aut extendat. *Cum dicit*, DEO NOSTRO, *oculos* tantum, non vero caput, versus Crucem *elevat, et statim* oculos demittens, *Cruci* profunde *caput inclinat*, ita ut hæc tria, oculorum elevatio, eorum demissio et capitis inclinatio fieri debeant sub verbis, DEO NOSTRO. *Responso* DIGNUM ET JUSTUM EST, *elevatis et extensis, ut prius, manibus, prosequitur Præfationem propriam, vel communem, ut tempus requirit.*

2. Dum Sacerdos in Præfatione legit: PER CHRISTUM DOMINUM NOSTRUM, non inclinat caput, nec umquam per totam Missam ad

sola illa verba: PER CHRISTUM DOMINUM NOSTRUM, una sola vice excepta, scilicet in Canone, post Consecrationem, ante illa verba: NOBIS QUOQUE PECCATORIBUS. Si autem in Præfatione pronuntiandum sit nomen JESUS, profunde inclinat caput versus Crucem.

3. Finita Præfatione, jungit Sacerdos manus ante pectus, et corpore mediocriter inclinatus, manusque junctas retinens ante pectus, et eas non deponens in Altare, dicit *voce mediocri*, id est, mediocriter clara, et consequenter parum depressa, SANCTUS etc. Ad BENEDICTUS erigit se, et, sinistra infra pectus posita, signat se, voces ita distribuens, ut ad BENEDICTUS tangat frontem, ad QUI VENIT pectus, ad IN NOMINE DOMINI humerum sinistrum et ad HOSANNA IN EXCELSIS dextrum.

4. Quo facto, celebrans, dextra super Altare posita, sinistra aperit folium Canonis, et tum *stans ante medium Altaris versus ad illud aliquantulum*, id est, ad altitudinem humerorum, *elevat manus*, sine prævia earum junctione, *oculisque* simul *elevatis ad Deum*, id est, ad Crucem, *et sine mora devote demissis*, *ac manibus junctis et super Altare positis*, corpore *profunde inclinatus*, tunc et non prius *incipit Canonem*, *secreto dicens:* TE IGITUR etc. *ut in Ordine Missæ.*

5. *Cum dicit*, UTI ACCEPTA HABEAS ET BENEDICAS, absque corporis erectione, manus, quæ hucusque super Altari junctæ quieverunt, separat, et super Altare extra Corporale hinc inde deponit, atque tunc *prius osculatur Altare in medio*, *deinde erigit se*, *et stat junctis manibus ante pectus*, id advertens, ut manuum separatio et depositio, osculum Altaris, erectio corporis et junctio manuum fiant in prædictorum verborum prolatione. *Cum dicit*, HÆC ✝ DONA, HÆC ✝ MUNERA, HÆC SANCTA ✝ SACRIFICIA, *dextra manu*, sinistra super Altare posita, *signat ter communiter super Hostiam et Calicem.* Vide § 4. n. 23.

Deinde extensis manibus ante pectus, absque prævia earum junctione, *prosequitur*, IN PRIMIS, QUÆ TIBI OFFERIMUS etc.

6. *Ubi dicit*, UNA CUM FAMULO TUO PAPA NOSTRO N. *exprimit nomen Papæ* cum parva capitis inclinatione versus librum. Vide § 4. n. 2. *Sede autem vacante*, *verba prædicta omittuntur.*

7. *Ubi dicitur*, ET ANTISTITE NOSTRO N. absque capitis inclinatione, nisi in casu de quo agitur § 3. n. 4 *d*), *specificatur nomen Patriarchæ, Archiepiscopi, vel Episcopi Ordinarii in propria Diœcesi, et non alterius Superioris, etiamsi Celebrans sit omnino exemptus, vel sub alterius Episcopi jurisdictione;* hoc est, nominari debet non Episcopus Celebrantis, sed Episcopus loci, id est, Diœceseos, ubi quis celebrat. Sufficit ad hoc, ut Episcopus sit nominatus, seu electus et confirmatus, modo qua talis possessionem et administrationem ceperit, et sedem Episcopalem actualiter occupet, licet forte nondum esset consecratus; et ita econtra, licet foret Episcopus consecratus et Diœcesim administret, sed non ut Episcopus, sed tamquam Vicarius vel Administrator Apostolicus, in Canone exprimi nequit.

8. *Si vero Episcopus Ordinarius illius loci, in quo Missa celebratur, sit vita functus*, aut si sedes aliunde vacet, *prædicta verba omittuntur.*

9. *Cum* Sacerdos eadem voce secreta non vero altiori *dicit*, MEMENTO DOMINE FAMULORUM FAMULARUMQUE TUARUM N. ET N. *elevans et jungens*, id est, elevando jungens et jungendo elevans, *manus usque ad faciem vel pectus*, id est, usque ad superiorem partem pectoris, vel ad mentum Celebrantis, non autem usque ad oculos. Hæc elevatio et junctio manuum lente fieri debet, ita ut Sacerdos incipiat dicere MEMENTO, dum manus elevare incipit; et absolvere TUARUM, dum manus jungit. *Sic junctis manibus stat paulisper in quiete*, puta, per spatium unius PATER NOSTER, *demisso aliquantulum capite*, (non ergo oculis versus Crucem elevatis, nec eisdem clausis, nisi forte ad majorem animi compositionem) *faciens Commemorationem vivorum Christi Fidelium ad suam voluntatem, quorum nomina, si vult, secreto commemoret: non tamen necesse est ea exprimere, sed mente tantum eorum memoriam habeat. Potest etiam Celebrans, si pro pluribus orare intendit, ne circumstantibus sit morosus, ante Missam in animo proponere sibi omnes illos tam vivos, quam defunctos, pro quibus in ipsa Missa orare intendit, et hoc loco generaliter unico contextu ipsorum vivorum Commemorationem agere, pro quibus ante Missam orare proposuit in Missa.*

10. *Commemoratione vivorum facta, demissis et extensis, ut prius, manibus, continuat,* ET OMNIUM CIRCUMSTANTIUM etc. *Similiter stans prosequitur* COMMUNICANTES. *Cum dicit,* JESU CHRISTI, *caput Cruci* profunde *inclinat.* Vide dicta § 4. n. 2. et 3. *In conclusione* primæ Orationis Canonis, *quando dicit,* PER EUMDEM, *jungit manus.* Vide n. 2.

11. *Cum* Sacerdos, incipiens secundam Orationem Canonis, *dicit,* seu, cum incipit dicere: HANC IGITUR OBLATIONEM, ducit manus junctas super Hostiam et Calicem, et ibi, incipiendo per parvos digitos, aperit et *expandit manus simul super oblata, ita ut palmæ sint apertæ versus ac supra Calicem et Hostiam;* ac digitorum extremitas sesè porrigat ad medium circiter pallæ; quin eam tangat, juncto utroque indice, et pollice dextro supra sinistrum in modum Crucis posito, ita ut uterque pollex sit supra non infra manus, *quas sic tenet usque ad illa verba,* PER CHRISTUM DOMINUM NOSTRUM: *tunc enim jungit* seu claudit *manus* super Oblata, easque junctas ad se retrahit ante pectus, interim dicens verba prædicta PER CHRISTUM etc.

12. *Et sic* stans junctis ante pectus manibus, *prosequitur,* incipiens tertiam Orationem Canonis, QUAM OBLATIONEM TU, DEUS, IN OMNIBUS, QUÆSUMUS; tunc sinistrum ponit super Altare, *et cum dicit,* BENE ✝ DICTAM, ADSCRIP ✝ TAM, RA ✝ TAM, *communiter signat ter super Hostiam et Calicem simul.* Post tertiam Crucem, junctis ante pectus manibus, dicit, RATIONABILEM, ACCEPTABILEMQUE FACERE DIGNERIS. *Deinde cum dicit,* UT NOBIS COR ✝ PUS, sinistra iterum super Altare posita, *separatim signat semel super Hostiam tantum; et cum dicit,* ET SAN ✝ GUIS, *semel super Calicem tantum; deinde elevans et jungens manus ante pectus, prosequitur:* FIAT DILECTISSIMI FILII TUI, DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI, ad nomen JESU CHRISTI caput Crusi profunde inclinans.

13. Facta inclinatione, si Calix remanens in medio impediat, quominus Celebrans verba Consecrationis, quæ ob periculum errandi numquam memoriter proferri debent, in tabella legere possit, eumdem removet parum versus cornu Evangelii intra Corporale; et tunc, si aliæ Hostiæ consecrandæ sint in Pyxide vel Calice cooperto, eumdem discooperit, et cooperculum ponit extra Corporale.

14. Tunc a minimo pulvere *extergit*, *si opus fuerit*, *pollices et indices super Corporale*, non in ejus medio, sed super utramque extremitatem lateralem anterioris plicaturæ; *et* extergens digitos *dicit secreto*, *ut prius*, id est, ut omnia præcedentia, QUI PRIDIE QUAM PATERETUR. Deinde indice sinistro premens extremitatem Hostiæ contra Corporale, *et* ex parte opposita elevatam *accipiens pollice et indice dextræ manus Hostiam, et eam cum illis, ac* statim etiam *indice et pollice sinistræ manus tenens* per partem Hostiæ inferiorem, ita ut indices et pollices se attingant, reliqui vero digiti infra Hostiam extensi et juncti sint ab eorum extremitate usque ad pulsum, *stans erectus ante medium Altaris dicit:* ACCEPIT PANEM IN SANCTAS AC VENERABILES MANUS SUAS. Quæ verba Sacerdos inchoat, *accipiens.... Hostiam*, et finit *stans erectus.* Modo prædicto Hostiam erectam, non quasi jacentem, tenens intra Corporale aliquantulum elevatam, *elevansque ad cælum* (ad Crucem) *oculos*, *et statim demittens* eos, interea *dicit:* ET ELEVATIS OCULIS IN CŒLUM AD TE, DEUM PATREM SUUM OMNIPOTENTEM. Tum statim oculos demittit, *caputque aliquantulum inclinans*, *dicit:* TIBI GRATIAS AGENS. Mox dextram amovet, *et tenens Hostiam inter pollicem et indicem sinistræ manus* eodem modo elevatam, *dextra,* quoad omnes digitos extensa, *producit signum Crucis super eam* (Hostiam) *dicens:* BENE ✝ DIXIT. Quo facto, iterum pollicem et indicem dextræ manus admovet Hostiæ, uti prius, erecto corpore prosequens: FREGIT, DEDITQUE DISCIPULIS SUIS, DICENS: ACCIPITE ET MANDUCATE EX HOC OMNES.

15. *Cum autem finierit supradicta verba*, *cubitis super Altare*, (quantum commode fieri potest, extra Corporale) *positis*, sine ulla manuum disjunctione, *stans capite inclinato*, *distincte*, *reverenter*, *et secreto*, ita ut Sacerdos seipsum quidem audiat, auditu etiam exteriori, a circumstantibus vero non audiatur, *profert verba Consecrationis super Hostiam*, *et simul super omnes*, *si plures sint consecrandæ*, *et Hostiam suam pollicibus et indicibus tantum tenens*, *dicit:* HOC EST ENIM CORPUS MEUM.

16. *Quibus prolatis*, *Celebrans* caput erigit, cubitos ab Altari removet, manus ponit super extremitatem anteriorem mediæ plica-

turæ Corporalis, et sic *tenens Hostiam inter pollices et indices prædictos super Altare, reliquis manuum digitis extensis et simul junctis* genuflectit, et *genuflexus* corpore erecto, non autem capite infra frontem Altaris profundato, sed oculis in Hostiam intentis, *eam* brevi morula *adorat.*

17. *Tum* modeste et reverenter *se erigens, quantum commode potest, elevat,* perpendiculariter, seu linea recta, *in altum Hostiam, et intentis in eam oculis,* non capite intra brachia protuso, (*quod et in elevatione Calicis facit*) *populo reverenter ostendit adorandam;* adeoque ita elevari debet, ut capitis verticem aliquatenus excedat, et a populo videri possit. *Et mox,* post brevem morulam in ultimo termino elevationis, eam eadem linea recta et utraque manu demittit; et cum sacra Hostia est prope Corporale, sinistram ponit super Corporale, ut dictum est cap. I. § 5. n. 13. et *sola manu dextra ipsam* Hostiam *reverenter reponit super Corporale in eodem loco, unde eam levavit.*

18. *Et deinceps pollices et indices non disjungit, nisi quando Hostiam consecratam tangere vel tractare debet, usque ad ablutionem digitorum post Communionem;* neque, quantum fieri potest, extra Corporale tenet aut ponit.

19. *Reposita Hostia consecrata super Corporale,* et dextra eodem modo ac sinistra super Corporale posita, genuflectit et *genuflexus,* ut n. 16. *ipsam* sacram Hostiam *veneratur: si adsit vas aliarum Hostiarum, Patena vel palla,* vel cooperculo *cooperit.*

20. Postquam Sacerdos a genuflexione surrexerit, et vas Hostiarum, si adsit, cooperuerit; tres ultimos digitos manus sinistræ ponit super pedem Calicis, (Cfr. § 4. n. 19.) et digitis medio et indice dextræ manus accipiens pallam, eamque ponens ut § 4. n. 12. *discooperit Calicem, in quem, si opus sit, extergit digitos,* scilicet indices et pollices, eos contra se invicem paululum movendo; *quod semper faciat, si aliquod fragmentum digitis adhæreat; et stans erectus dicit* interim: SIMILI MODO POSTQUAM CŒNATUM EST; *et* deinde *ambabus manibus,* inter indicem et reliquos digitos, *accipiens Calicem juxta nodum infra cuppam,* dextra scilicet supra et sinistra infra nodum, *et aliquantulum,* non ultra quatuor digitos a

mensa Altaris, *illum elevans ac statim deponens*, interim *dicit:* ACCIPIENS ET HUNC PRÆCLARUM CALICEM IN SANCTAS AC VENERABILES MANUS SUAS; tum, reposito Calice in medio Corporalis, eumque eodem modo retinens, *cum dicit:* ITEM TIBI GRATIAS AGENS *caput* profunde *inclinat* versus Hostiam consecratam, et non versus Crucem, ad quod advertendum pro aliis inclinationibus usque ad Communionem. *Cum dicit: bene ✝ dixit, sinistra Calicem infra cuppam tenens, dextra signat super eum; et prosequens:* DEDITQUE DISCIPULIS SUIS etc. iterum dextra apprehendit Calicem, *et ambabus manibus tenens Calicem, videlicet sinistra pedem*, ita ut pollex et index juncti sint supra, et reliqui digiti infra pedem, *dextra* vero *nodum infra cuppam*, et ita tenens ipsum a Corporali parum elevatum, ac interea *cubitis super Altare positis, et capite* profunde *inclinato, profert attente, continuate, et secreto, ut supra, verba Consecrationis Sanguinis:* HIC EST ENIM CALIX etc.

21. *Quibus dictis, reponit Calicem super Corporale*, et capite erecto, ut utraque manu super Corporale posita, *et* interim *dicens secreto*, HÆC QUOTIESCUMQUE FECERITIS etc. *genuflexus Sanguinem reverenter adorat*, ut n. 16. *Tum se erigit, et accipiens Calicem discoopertum cum Sanguine ambabus manibus, ut prius*, scilicet dextra nodum, sinistra pedem, *elevat eum* linea recta, *et erectum, quantum* commode potest, ostendit populo adorandum. Cfr. n. 17. *Mox ipsum* per eamdem lineam demittens, *reverenter reponit super Corporale in locum pristinum, et* manu sinistra super pedem Calicis posita, ut n. 20. *manu dextra* Calicem *palla cooperit, ac*, manibus super Corporale positis, *genuflexus Sacramentum veneratur.*

22. *Reposito Calice et adorato, Sacerdos* erecto corpore *stans ante Altare, extensis manibus ante pectus*, tunc tantum, et non prius, incipiens quartam Orationem Canonis, *dicit secreto:* UNDE ET MEMORES etc. *Cum dicit*, DE TUIS DONIS AC DATIS, *jungit manus ante pectus: et cum dicit*, HOSTIAM ✝ PURAM, HOSTIAM ✝ SANCTAM, HOSTIAM ✝ IMMACULATAM, *manu sinistra posita super Altare intra Corporale, dextra signat ter communiter super Hostiam et Calicem, et semel super Hostiam tantum et semel super Calicem tantum, dicens:* PANEM ✝ SANCTUM VITÆ ÆTERNÆ, ET CALICEM ✝ SALUTIS

PERPETUÆ: *deinde stans, ut prius, extensis manibus prosequitur,* SUPRA QUÆ PROPITIO etc.

23. Dictis verbis: IMMACULATAM HOSTIAM, *cum,* id est, antequam Sacerdos *dicit,* SUPPLICES TE ROGAMUS etc. *inclinat se,* id est, corpus, profunde *ante medium Altaris, manibus junctis super illo positis,* ut dicitur § 2. n. 10. Non ergo manus ponendæ sunt intra Corporale. S. R. C. 7. Sept. 1816. 35.

24. *Cum dicit,* EX HAC ALTARIS PARTICIPATIONE, *osculatur Altare* in medio ante sacram Hostiam, *manibus hinc inde super Corporale positis.* Statim se erigit et *cum dicit,* SACROSANCTUM FILII TUI, *jungit manus* ante pectus; *et dextra signans semel super Hostiam tantum, et semel super Calicem, sinistra super Corporale posita, dicit,* COR ✝ PUS ET SAN ✝ GUINEM SUMPSERIMUS: *et cum dicit,* OMNI BENEDICTIONE ✝ CŒLESTI, *seipsum* tribus postremis digitis dextræ manus *signat a fronte ad pectus signo Crucis, sinistra posita infra pectus,* ita ut pollex et index juncti Casulam non tangant. Ad verba: OMNI BENEDICTIONE tribus posterioribus digitis dextræ manus tangit frontem, ad CŒLESTI pectus, ad ET GRATIA humerum sinistrum, et ad REPLEAMUR humerum dextrum. *Cum dicit,* PER EUMDEM, *jungit manus* ante pectus absque capitis inclinatione.

25. *Cum* Celebrans, incipiens quintam Orationem Canonis, *dicit,* MEMENTO, DOMINE, FAMULORUM FAMULARUMQUE TUARUM etc. *extensis* manibus, id est, prædicta verba proferens, incipit hinc inde manus linea recta extendere, et illico eadem linea recta eas ita lente conjungit, ut hæc ipsa manuum conjunctio ante pectus perficiatur, cum dicit, IN SOMNO PACIS; *et* ad hæc verba, *junctis manibus ante pectus,* et tunc ita junctis *usque ad faciem,* id est, ad mentum, *elevatis, et intentis oculis ad Sacramentum super Altare, facit Commemorationem Fidelium Defunctorum, de quibus sibi videtur, eodem modo ut dictum est de Commemoratione vivorum,* n. 9. ubi etiam notandus est diversus modus in extendendis, jungendis et elevandis manibus. Nota etiam, quod in hac Commemoratione Defunctorum pausa fiat post verba: SOMNO PACIS, non post litteras N. et N. quæ tantum ex Ritu antiquo in Missali apponuntur.

26. *Qua Commemoratione facta*, Sacerdos, erecto capite, *stans, ut prius*, *extensis manibus*, *prosequitur*, IPSIS DOMINE etc. *et in fine ad* PER EUMDEM, *jungit manus* ante pectus, *et caput* versus Sacramentum profunde *inclinat*.

27. *Cum* Celebrans, incipiens sextam et ultimam Orationem Canonis, *dicit*, NOBIS QUOQUE PECCATORIBUS, *vocem aliquantulum elevat*, ita ut tantum tria hæc verba voce media proferat, *et* interim *dextra manu*, id est, tribus posterioribus digitis, *pectus sibi percutit*, *sinistra posita super Corporale*, *et prosequitur secreto*, FAMULIS TUIS etc. *stans manibus extensis*, *ut prius*.

28. *Cum dicit*, PER CHRISTUM DOMINUM NOSTRUM, absque inclinatione capitis, manus ante pectus jungit, et sic manibus junctis prosequitur, PER QUEM HÆC OMNIA, DOMINE, SEMPER BONA CREAS. *Deinde*, sinistra super Corporale posita, *manu dextra ter signans communiter super Hostiam et Calicem*, *dicit*, SANCTI ✝ FICAS, VIVI ✝ FICAS, BENE ✝ DICIS ET PRÆSTAS NOBIS. *Postea*, sinistra manu super pedem Calicis posita, *discooperit manu dextra Calicem*, ut dictum est n. 20. *et* tunc utraque manu super Corporale posita, *genuflexus Sacramentum adorat*.

29. *Tum*, adorato Sacramento, Sacerdos *se erigit*, *et reverenter accipit Hostiam* de Corporali, ut dictum est n. 14. et eam *inter pollicem et indicem dextræ manus* tenet non omnino a parte inferiori, sed aliquantulum intra medium oræ ipsius Hostiæ, *et cum ea super Calicem*, *quem manu sinistra tenet circa nodum infra cuppam*, *signat ter a labio ad labium*, non extra vel trans Calicem Hostiam movendo, sed æquali ac recto motu super illum Cruces format, *dicens*, PER ✝ IPSUM, ET CUM ✝ IPSO, ET IN ✝ IPSO. *Et similiter* eodem modo sinistra Calicem retinens, et dextra sacram Hostiam, *cum Hostia signat bis inter Calicem et pectus*, *incipiens a labio Calicis* exteriori, recto motu et intra Corporale Hostiam ducens versus pectus, et non versus pedem Calicis descendendo; tum reducit Hostiam ad medium hujus lineæ factæ, et describit lineam transversam, et, formans has Cruces, dicit, EST TIBI DEO PA ✝ TRI OMNIPOTENTI, IN UNITATE SPIRITUS ✝ SANCTI. *Deinde* defert Hostiam super Calicem, et *tenens manu dextra Hostiam*

super Calicem, sinistra Calicem ad nodum, *elevat eum aliquantulum*, non ultra quatuor digitos a Corporali, *simul cum Hostia*, interim secreto *dicens*, OMNIS HONOR ET GLORIA, *et statim utrumque deponens*, sinistra Calicem tenere pergit, et dextra *Hostiam collocat super Corporale*, *et*, *si opus sit*, *digitos extergit*, *ut supra*, n. 20. *ac pollices et indices ut prius jungens*, *Calicem palla cooperit*, *et genuflexus Sacramentum adorat.* Vide n. 21.

§ 6.

DE ORATIONE DOMINICA ET ALIIS USQUE AD FINEM MISSÆ.

1. *Celebrans*, *cooperto Calice*, *adoratoque Sacramento*, *erigit se*, *et* adhuc, sicut infra genuflexionem, *manibus extensis hinc inde super Altare intra Corporale positis*, *dicit intelligibili voce* clausulam Canonis, scilicet: PER OMNIA SÆCULA SÆCULORUM: *et cum dicit*, OREMUS, *jungit manus* ante pectus, *caput Sacramento inclinans.* Deinde stans erectus, manibus ante pectus junctis, prosequitur, PRÆCEPTIS SALUTARIBUS etc. *Cum incipit* PATER NOSTER, *extendit manus* more solito ante pectus, *et stans oculis ad Sacramentum intentis*, nisi ob aliquam rationem necesse sit librum inspicere, *prosequitur usque ad finem.*

2. *Responso a ministro* SED LIBERA NOS A MALO, *et a Celebrante*, manibus adhuc extensis, *submissa voce* AMEN, tunc et non prius, inferioribus digitis sinistræ manus partem Patenæ sub Corporali positam premit, (cavendo ne Hostia tangatur Manipulo, neve brachium sinistrum transferatur super eamdem) et manu dextra Patenam cum purificatorio superjacente extra Corporale positam, manu sinistra aliqualiter ab una parte sustinet, et dextra aliquantulum purificatorio extergit.

3. Purificatorio juxta Corporale reposito, et manu dextra Patenam super purificatorium tenens erectam, ita ut pars concava respiciat Hostiam, et manus dextra non tangat Altare, *sinistra* interim *super Corporale posita*, *dicit secreto*, LIBERA NOS, QUÆSUMUS etc.

Antequam Celebrans dicat, DA PROPITIUS PACEM, *elevat manu*

dextra Patenam de Altari, et seipsum cum ea signat signo Crucis, dicens: DA PROPITIUS — PACEM — IN DIEBUS — NOSTRIS. *Cum signat se, manum sinistram ponit infra pectus.*

4. *Deinde Patenam ipsam osculatur* in ejus extremitate superiori, *et prosequens*, UT OPE MISERICORDIÆ TUÆ etc. *submittit Patenam Hostiæ, quam indice sinistro accommodat super Patenam.* Collocata Patena cum Hostia perpaululum e medio Corporalis versus cornu Evangelii, *discooperit Calicem, et genuflexus Sacramentum adorat.* Vide § 5. n. 21.

5. *Tum se erigens*, Sacerdos indice sinistro Hostiam ducit ad oram Patenæ versus medium Corporalis, et *accipit Hostiam inter pollicem et indicem dextræ manus*, statimque sola dextra eamdem attollit super Calicem, *et* ibidem *cum illis* (pollice et indice dextræ) *ac pollice et indice sinistræ manus*, sacræ Hostiæ etiam admotis, *eam super Calicem tenens, reverenter frangit per medium, dicens:* PER EUMDEM DOMINUM NOSTRUM JESUM CHRISTUM FILIUM TUUM, caput inclinans ad JESUM CHRISTUM, *et mediam partem, quam inter pollicem et indicem dextræ manus tenet, ponit super Patenam: de alia media, quam sinistra manu tenet, frangit cum pollice et indice dextræ manus particulam* ex parte inferiori, *prosequens*, QUI TECUM VIVIT ET REGNAT, *et eam* particulam *inter ipsos dextræ manus pollicem et indicem retinens* super Calicem, *partem majorem, quam sinistra tenet, adjungit mediæ, super Patenam positæ,* ita ut Hostia appareat rotunda, *interim dicens,* IN UNITATE SPIRITUS SANCTI DEUS: *et particulam Hostiæ, quam in dextra manu retinuit, tenens super Calicem, quem sinistra per nodum infra cuppam retinet, intelligibili voce dicit,* PER OMNIA SÆCULA SÆCULORUM: ℟. AMEN; *et cum ipsa particula signans ter a labio ad labium Calicis, dicit:* PAX ✝ DOMINI SIT SEM ✝ PER VOBIS ✝ CUM. *Responso per ministrum,* ET CUM SPIRITU TUO, *particulam, quam dextra manu tenet, immittit in Calicem, dicens secreto:* HÆC COMMIXTIO ET CONSECRATIO CORPORIS etc. Ad JESU CHRISTI caput inclinat. *Deinde pollices et indices super Calicem aliquantulum tergit, et jungit, Calicem palla cooperit, et genuflexus Sacramentum adorat.*

6. Post genuflexionem Celebrans *stans junctis manibus ante*

pectus, *capite inclinato versus Sacramentum*, *dicit intelligibili voce*, AGNUS DEI, QUI TOLLIS PECCATA MUNDI, *et dextra* (§ 5. n. 27.) *percutiens sibi pectus*, *sinistra super Corporale posita*, *dicit* MISERERE NOBIS, *et deinde non jungit manus*, neque dextram super Altare quietam relinquit, *sed* tarde et graviter illam movens, *iterum percutit sibi pectus*, *cum dicit secundo*, MISERERE NOBIS, *quod et tertio facit*, *cum dicit*, DONA NOBIS PACEM.

7. *Tunc manibus junctis super Altare positis*, (§ 5. n. 23.) *oculisque ad Sacramentum intentis*, *inclinatus dicit secreto*, DOMINE JESU CHRISTE etc. Ubi notanda est distinctio, quod AGNUS DEI dicatur solum inclinato capite, hæ autem Orationes etiam inclinato corpore. Dicto itaque DONA NOBIS PACEM, corporis situm mutat ad principium Orationis: DOMINE JESU CHRISTE.

8. *Quibus Orationibus dictis*, Celebrans, positis hinc inde super Corporale manibus, *genuflectens Sacramentum adorat*, *et se erigens dicit secreto:* PANEM CŒLESTEM ACCIPIAM etc. *Quo dicto*, *dextra manu*, id est, indice et pollice dextræ manus, *accipit de Patena reverenter ambas partes Hostiæ*, quas ad faciliorem acceptionem indice sinistro adducit ad extremitatem Patenæ; *et* partes Hostiæ sic *collocat inter pollicem et indicem sinistræ manus*, ut figuram forment rotundam; *quibus* nempe pollici et indici sinistræ manus, tenentibus partes Hostiæ, Celebrans *Patenam inter eumdem indicem et medium digitos supponit* manu dextra.

9. Celebrans ambas partes Hostiæ consecratæ manu sinistra sic tenens *super Patenam inter pectus et Calicem*, *parum inclinatus*, *dextra tribus vicibus*, modo supra dicto ad AGNUS DEI, *percutit pectus suum*, *interim etiam tribus vicibus dicens voce aliquantulum elevata*, DOMINE, NON SUM DIGNUS, et secreto prosequitur, UT INTRES etc.

10. Sacerdos ad illa verba non levat Hostiam in altum, nec ad latus recedit, ut illa videatur, neque unum pedem super alterum ponit, neque cubitum sinistrum super Altare collocat, neque corpus, devotionis aut reverentiæ causa, aliqualiter contorquet, sed solum *parum inclinatus dicit*, DOMINE, NON SUM DIGNUS.

11. *Quibus tertio dictis*, erigit se, ac pollice et indice, dextræ manus unam partem sacræ Hostiæ alteri superimponit; tum *ex*

sinistra accipit ambas partes prædictas Hostiæ inter pollicem et indicem dextræ manus, et cum illa Hostia *supra Patenam*, quam non movet, sed tantum Hostiam, *signat seipsum signo Crucis, ita tamen, ut Hostia non egrediatur limites Patenæ, dicens* secreto, CORPUS DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI CUSTODIAT ANIMAM MEAM IN VITAM ÆTERNAM. AMEN. Ad JESU CHRISTI caput profunde inclinat. Dicto AMEN, *et se inclinans, cubitis super Altare positis*, (§ 5. n. 15.) *reverenter easdem ambas partes sumit.*

12. *Quibus sumptis*, Sacerdos *deponit Patenam super Corporale* a parte Evangelii, super eam digitos extergit, *et erigens se, junctis indicibus et pollicibus, ambas quoque manus ante faciem jungit*, ita ut digitorum summitas fere nares attingat, manibus equidem ab ipsa facie nonnihil remotis, *et aliquantulum quiescit in meditatione sanctissimi Sacramenti.* Ubi notandum illud *aliquantulum*, puta, per pausam unius PATER NOSTER, ne ex nimis prolongata Celebrantis devotione, oriatur in circumstantibus distractio aut turbatio.

13. *Deinde, depositis manibus, dicit secreto*, QUID RETRIBUAM DOMINO PRO OMNIBUS, QUÆ RETRIBUIT MIHI? *et interim*, dum nempe præfata verba dicit, *discooperit Calicem;* postea *genuflectit, surgit, accipit Patenam* ambabus manibus et lustrat, si quæ fragmenta in ea remanserint, quæ prius in Calicem mittantur. Quo facto, Calicem e medio Corporalis parum versus cornu Evangelii removet, *inspicit Corporale* et *colligit fragmenta, cum Patena, si quæ sint in eo*, quod commodius fieri potest, manu sinistra revolvendo Corporale super Patenam suppositam, et dextra idem Corporale retro leviter percutiendo.

14. Quo facto, sinistra accipiens Patenam, dextra Calicem ad medium retrahit: tum Patenam, sinistra super Calicem transfert, et eam *quoque diligenter cum pollice et indice dextræ manus super Calicem extergit, et*, deposita sinistra tenente Patenam super Corporale, extergit etiam *ipsos digitos* dextræ manus, *ne quid fragmentorum in eis remaneat.*

15. *Si vero adsint Hostiæ consecratæ super Corporale positæ, pro alio tempore conservandæ*, Sacerdos, discooperto Calice, *facta prius genuflexione, reponit eas in vas* (Pyxidem) *ad hoc ordinatum,*

quod suo cooperculo claudit: et tum fragmenta colligit, ut supra. Cfr. cap. VI. § 2. n. 6.

16. *Post extersionem Patenæ* Sacerdos, *junctis pollicibus et indicibus, Calicem dextra manu infra nodum cuppæ*, id est, nodum, qui est infra cuppam, *accipit, sinistra* super Corporale quiescente retinet *Patenam, dicens*, CALICEM SALUTARIS etc. *et signans se signo Crucis cum Calice, dicit*, SANGUIS DOMINI NOSTRI etc. Ad JESU CHRISTI caput profunde inclinat. Hæc signatio major esse potest, quam altera cum Hostia, oculorum tamen altitudinem et humerorum latitudinem non excedat.

17. Facto signo Crucis, Calicem ori applicat; *et manu sinistra supponens Patenam Calici*, illam pene usque ad mentum elevatam tenens, et *stans* erectus *reverenter sumit totum Sanguinem cum particula in Calice posita*, non retro vertens nimis corpus aut caput, facie ad cœlum versa, et Calice super illam inverso. Sumendo Sanguinem sufficiet unicus, vel duplex vel ad summum triplex haustus, quin Calix ab ore removeatur. Si quid enim remanserit, purificatione et ablutione sumetur.

18. Si adsit Pyxis, de qua n. 15. aut § 5. n. 19. dictum est, Celebrans post sumptionem Sanguinis aperit Tabernaculum, genuflectit, si ibi Sacramentum contineatur, Pyxidem in Tabernaculum ponit, genuflectit, et Tabernaculum claudit.

19. At si in Altari non sit Tabernaculum, alius Sacerdos post sumptionem Sanguinis Pyxidem ad Tabernaculum deferat, observatis eis, quæ dicuntur cap. VI. § 2. n. 7.

Si vero alius Sacerdos non adsit, Pyxis in Altari super medium Corporalis relinquenda est, Calix a latere Evangelii ponitur, et Celebrans, prosequens Missam, observet ea, quæ dicuntur de Missa coram Sanctissimo exposito. Post Missam Sacerdos, deposito Manipulo, defert Pyxidem ad Tabernaculum. Deinde redit ad Altare Missæ, reassumit Manipulum, plicat Corporale et in bursam reponit, etc.

20. Pyxide recondita, vel in Altari relicta, vel si non adsit sumpto SS. Sanguine, sinistram, cum qua Patenam retinet, demittit super Corporale, et *dicit secreto*, QUOD ORE SUMPSIMUS etc. *et super*

Altare porrigit Calicem Ministro, stanti *in cornu Epistolæ*. Cum eadem moraliter quantitas vini ac pro Consecratione infusa fuerit, Sacerdos vinum in Calice ita circumagat, ut debite species omnes Calici adhærentes abstergantur. Tum supponens Patenam, ut n. 17. sumat purificationem per eamdem Calicis partem, per quam Sanguis Christi sumptus est.

21. Sumpta purificatione, Celebrans deponit Patenam super Corporale a parte Evangelii, et Calicem in medium Corporalis. Deinde Calicem apprehendit tribus posterioribus digitis utriusque manus ad cuppam, indices autem et pollices super os Calicis conjungit; tum, facta capitis inclinatione Cruci, transit versus cornu Epistolæ, ac *vino et aqua abluit pollices et indices super Calicem* extra mensam Altaris. Calice, prope Corporale posito, sinistra accipit purificatorium, cavendo ne guttulis, ex digitis decidentibus, Corporale commaculetur; et digitos *abstergit purificatorio*, *interim dicens:* Corpus tuum, Domine, quod sumpsi etc.

22. Digitis abstersis, purificatorium deponit in locum solitum juxta Corporale, et junctis ante pectus manibus, ad medium Altaris accedit, ubi capite Cruci inclinato, purificatorium accipit et sic accommodat inter pollicem et indicem sinistrum, ut e manu utrimque pendeat.

Tum sinistra super Altare extra Corporale posita, dextra accipit Calicem ad nodum, et ablutionem intra Calicem aliquantulum circumagit: deinde, sinistra cum purificatorio supposita mento, ablutionem sumit. Cfr. n. 17. Calice super Corporale reposito, purificatorio detergit os suum; postea purificatorium extendit super Calicem, quem sinistra elevatum et inclinatum tenens, dextra purificatorium bis vel ter circumducendo extergit. Caveat Celebrans, ne brachia inconcinne moveat.

23. Calice purificato, Celebrans *purificatorium extendit super Calicem*, in medio Corporalis positum, deinde manu dextra ponit coclear super purificatorium, *et desuper* sinistra *Patenam*, *et super Patenam* dextra *parvam pallam*. Deinde Calicem sistit ad cornu Epistolæ, et plicat Corporale hoc modo: 1° ambabus manibus revolvit partem anteriorem, ubi jacuit S. Hostia: 2° partem posteriorem: tum 3° manu dextra partem lateralem, quæ est juxta cornu

Epistolæ; et 4° manu sinistra partem, quæ est juxta cornu Evangelii. *Plicato Corporali*, accipit bursam, et sinistra eam apertam tenens, dextra capit Corporale, *quod reponit in bursam*, ita ut extremitas seu fimbria partis ultimo plicatæ versetur circa bursæ aperturam. Remota tantisper bursa versus cornu Evangelii, dextra Calicem in medium Altaris reponit; tum *cooperit Calicem velo*, et accipiens *bursam*, eam *desuper*, id est, super velum, *ponit*, ut bursæ apertura sit versus Altare; *et* denique velum Calicis ita *collocat*, seu ordinat ac disponit *in medio Altaris, ut in principio Missæ* dispositum fuit. Cfr. Decreta S. R. C. 12. Januar. 1669. et 1. Mart. 1698.

24. *Celebrante purificato, dum Calicem collocat*, seu disponit, uti dictum est, *in Altari, liber Missalis defertur per ministrum..... Deinde Celebrans*, junctis ante pectus manibus, caput Cruci profunde inclinat, et accedit ad librum; ubi *stans junctis manibus*, clara voce *legit Antiphonam, quæ dicitur* COMMUNIO; *qua lecta, junctis itidem manibus ante pectus, vadit ad medium Altaris, et eo osculato, vertit se ad populum a manu sinistra ad dextram, et dicit* DOMINUS VOBISCUM, *et per eamdem viam redit ad librum, dicit Orationes post Communionem, eisdem modo, numero et ordine, ut supra dictæ sunt Collectæ.*

25. *Quibus* complete usque ad AMEN inclusive *finitis, claudit librum*, et super pulpitum ponit, sic ut apertura libri sit ad dextram Celebrantis et prima pagina, seu titulus sursum versus respiciat. Sin vero ultimum Evangelium sit ex libro legendum, tunc illo aperto relicto finita ultima Oratione, signaculo notat Evangelium postea legendum. Quo lecto in cornu Evangelii, claudit librum ut supra.

26. *Et jungens manus ante pectus, revertitur ad medium Altaris, ubi eo osculato, vertit se ad populum, et dicit, ut supra*, DOMINUS VOBISCUM: *quo dicto, stans junctis manibus ante pectus versus populum, dicit, si dicendum est*, ITE MISSA EST, *et per eamdem viam revertitur ad Altare.*

27. *Si vero non sit dicendum, dicto* DOMINUS VOBISCUM, illico *revertitur eodem modo per eamdem viam ad medium Altaris, ubi*

stans versus ad illud, junctis ante pectus manibus, caput Cruci inclinat, et *dicit* BENEDICAMUS DOMINO.

28. *Dicto* ITE MISSA EST, *vel* BENEDICAMUS DOMINO, *ut supra*, *Celebrans ante medium Altaris stans junctis manibus super eo*, *et capite inclinato*, *dicit secreto*, PLACEAT TIBI SANCTA TRINITAS. etc. *quo dicto*, *extensis manibus hinc inde super Altare positis*, *ipsum in medio osculatur: tum erigens se*, *adhuc stans versus illud*, *elevat ad cœlum*, id est, ad Crucem, *oculos*, *et* simul de Altari elevat *manus*, *quas* sine prævia earum junctione (Cfr. § 5. n. 4.) *extendit et jungit*, *caputque Cruci inclinans*, *dicit voce intelligibili*, BENEDICAT VOS OMNIPOTENS DEUS, *et junctis manibus*, *ac demissis ad terram oculis*, *vertens se ad populum a sinistro latere ad dextrum*, *extensa manu dextra*, *junctisque digitis*, *et manu sinistra infra pectus posita*, *semel benedicit populo*, *dicens*, PATER ET FILIUS ✝ ET SPIRITUS SANCTUS; sic ut lineam rectam Crucis formet ad illa verba: PATER ET FILIUS; transversam vero, dum dicit et SPIRITUS SANCTUS. Cfr. dicta § 4. n. 23.

29. Deinde Sacerdos manus ante pectus conjungit, *et circulum perficiens*, *accedit ad cornu Evangelii*, *ubi* stans oblique, ut ad alterum Evangelium, et *dicto* DOMINUS VOBISCUM etc. *pollice dextro signans primum signo Crucis Altare*, si nec liber nec tabella adsint; *seu librum*, vel tabellam, si libro vel tabella utatur, *in principio Evangelii*, sinistra posita super librum, si eum signet, vel super Altare, si tabellam vel Altare signet; et *deinde* posita sinistra infra pectus, dextro pollice signans *frontem*, *os et pectus*, *dicit* INITIUM SANCTI EVANGELII etc. Vide dicta § 4. n. 7.

30. *Cum dicit*, ET VERBUM CARO FACTUM EST, *genuflectit versus cornu Evangelii*, et non directe versus Altare, cui tamen manibus sub genuflexione innititur. *Et surgens*, stansque eodem loco *prosequitur ut prius*, usque in finem.

31. *Quibus omnibus absolutis*, *extinguuntur per ministrum candelæ. Interim Sacerdos* junctis manibus ante pectus, accedit ad medium Altaris, ubi caput Cruci inclinat; deinde *accipit sinistra Calicem*, *dextram ponens super bursam*, *ne aliquid cadat.* Et Cruci iterato caput inclinans, si aliqua intercessit mora, ac se tan-

tillum retrahens ad cornu Evangelii (§ 1. n. 17.), *descendit ante infimum gradum Altaris, et ibi in medio vertens se ad illud, caput* (non corpus, ut in accessu) profunde *inclinat, vel, si in eo est Tabernaculum SS. Sacramenti, genuflectit* in plano.

32. Si preces quædam v. g. Litaniæ Lauretanæ post Missam in infimo gradu Altaris flexis genibus recitandæ sint; iis recitatis, Sacerdos surgit, et, licet genuflexio hæc præcesserit, nihilominus Altari reverentiam exhibeat vel per genuflexionem, vel per capitis inclinationem, ut n. præc.

33. Qua reverentia exhibita, antequam se de loco moveat, *caput cooperit, ac præcedente eodem ministro, eo modo quo venerat, redit ad Sacristiam, interim dicens Antiphonam,* TRIUM PUERORUM *et Canticum* BENEDICITE.... *cum.... aliis Orationibus, ut suo loco ponuntur.*

34. Post factam in Sacristia Cruci capitis inclinationem exuit se vestibus sacris ordine retrogrado, scilicet 1° Casula, 2° Stola, 3° Manipulo, 4° Cingulo, 5° Alba et 6° Amictu: et illa, quæ se induendo est exosculatus, eadem nunc, se exuendo, osculetur, videlicet Stolam, Manipulum et Amictum. Deinde, reposito Calice in loco ad hoc deputato, manus abluit, et pro sua devotione Omnipotenti Deo de percepto tanto Sacramento gratias agit. Vide etiam § 7. seq. n. 32.

§ 7.

DE MINISTRO MISSÆ PRIVATÆ.

1. Omnes Fratres, tam Clerici, quam Laici, aliis obedientiæ obsequiis non impediti, sese promptos et devotos exhibeant, quando fuerint requisiti, tremendi hujus ac sacrosancti Missæ Sacrificii administros, illi assistentes cum omni tum animi, tum corporis, humili, devota ac reverenti dispositione, ut illorum ministerium circumstantibus sit devotionis exemplum.

2. Minister itaque, lotis prius manibus, superpelliceo indutus, Missale et ampullas vini et aquæ cum pelvicula deferat ad Altare; stragulas ab Altari auferat; (cap. 1. § 1. n. 10) duas candelas

accendat, incipiendo a cornu Evangelii, utpote parte nobiliori, et pulpitum in cornu Epistolæ ponat, et alia necessaria præparet. Vide § cit. Ad Sacristiam reversus Celebrantem adjuvet, dum sacris se vestit indumentis.

3. Dum Sacerdos Alba induitur, manicam dextram aliquantum elevabit, ut brachio dextro facilius imponatur; idem de sinistra faciet. Deinde Cingulo, cum extremitatibus a dextro latere, a tergo Sacerdoti porrecto, et debite per ipsum constricto, *minister elevat Albam*, etc. ut dictum est cap. I. § 4. n. 8. Curet quoque, ut Casula ex humeris non oblique, sed recte honesteque dependeat.

4. Omnibus debite compositis, manus ante pectus jungit, et facta simul cum Celebrante Cruci Sacristiæ profunda capitis inclinatione, ipsum Celebrantem tribus quatuorve passibus præcedens, ad Altare progreditur demissis oculis, incessu gravi, et capite semper detecto. Per viam ad Altare observet reverentias faciendas, uti de Celebrante dictum est; sed ante Altare majus semper genuflectat, etiamsi sola adsit Crux; et si obviam alicui Sacerdoti parato veniat, eum salutet per capitis inclinationem.

5. Cum perventum est ad Altare, in quo celebranda est Missa, stat ad dextram Celebrantis; adeoque, si ita Altare situm est, ut per cornu Epistolæ ad illud accedant, Minister aliquantulum retrocedens Celebranti locum transeundi concedet, præmissa capitis inclinatione: si vero accedant per cornu Evangelii, Minister rectò tramite procedit ad cornu Epistolæ, quin ullam tunc in medio Altari reverentiam exhibeat. Advertat autem, ut infra Missam semper genuflectat, transiens ante medium Altaris, etsi super illud sola Crux sit posita. Idem præstet in primo accessu et ultimo recessu ab Altari. Omnes genuflexiones faciat in plano, nisi aliter notetur. Per totam Missam semper se sistit a parte, quæ Missali est opposita.

6. Facta itaque Altari paulo post Celebrantem genuflexione, Amictum Celebrantis debite circum caputium componit. Quo facto, genuflectit in medio ante Altare, vadit ad partem Evangelii, ibique genu utrumque flectit, in plano, uno circiter passu ab Altaris gradibus remotus. Ibidem genuflexus permanet, exspectans Celebrantem.

7. Quando Sacerdos dicit, IN NOMINE PATRIS etc. ipse producit

manu dextra a fronte ad pectus signum Crucis, sinistra interim infra pectus posita, et dicta per Sacerdotem Antiphona INTROIBO AD ALTARE DEI, *minister retro post eum ad sinistram genuflexus* prosequitur: AD DEUM, QUI LÆTIFICAT JUVENTUTEM MEAM; et Psalmum JUDICA ME DEUS, usque ad finem cum GLORIA PATRI etc. quod cum dicitur, Minister profunde caput inclinat; et ad Versum: ADJUTORIUM NOSTRUM etc. se cum Sacerdote signat.

8. Sub Confessione a Sacerdote facienda manet erectus; sed ea finita, parum capite inclinatus, et aliquantulum ad Celebrantem conversus, dicit MISEREATUR TUI etc. Deinde capite profunde versus Altare inclinatus, repetit Confessionem, vertens se ad Celebrantem ad TIBI PATER et TE PATER, et ter percutiens pectus ad MEA CULPA.

9. Dicto a Celebrante MISEREATUR etc. adhuc inclinatus respondet AMEN. Tum erectus ad INDULGENTIAM se signat, et in fine respondet AMEN. Dum Celebrans incipit: DEUS, TU CONVERSUS, se inclinat mediocriter ac respondet alternatim.

10. Cum Celebrans Altare ascendit, ipse surgit, et super infimum Altaris gradum, si sint plures, genuflectit; sin autem tantum sit bradella, seu suppedaneum, tunc remanere debet in plano genuflexus. Ad Introitum se signat cum Celebrante, caput inclinat ad GLORIA PATRI, et dicit alternatim cum Celebrante KYRIE ELEISON. Et si dicatur FLECTAMUS GENUA, respondebit LEVATE, non tamen surgit.

11. Caveat, ne umquam legat in libro, vel rosarium recitet, cum non deceat Ministrum manus disjungere, nisi dum actuali aliquo ministerio est occupatus. Si una manu ministret, aut aliquid teneat, alteram supra pectus firmam teneat, sibi soli et ministerio suo intentus. Caveat etiam, ne nimis alta voce orando, vel alio modo, v. g. nimio cum strepitu nares sibi emungendo, vel tabacum sumendo, Sacerdotem perturbet. Quandoque respiciat, an candelæ ardeant.

12. Ad verba Hymni Angelici, et Symboli, ad quæ Celebrans caput inclinat, item ad OREMUS, ad nomen JESU, SS. TRINITATIS, MARIÆ, FRANCISCI, et Sancti, de quo Missa celebratur, aut specialis fit Commemoratio, nec non ad nomen Papæ viventis etc. cum Celebrante semper se inclinat. Cum in fine Hymni Angelici et Symboli Celebrans se signat, ipse etiam se signat signo Crucis.

13. Responso post Epistolam DEO GRATIAS, vel circa finem Sequentiæ, si dicatur, surgit, et facta ante medium Altaris genuflexione in plano, vadit per planum ad latus Epistolæ, et omnibus per Sacerdotem lectis, accipit ambabus manibus Missale una cum pulpito, et se vertens per suam sinistram, seu facie versa ad Sacerdotem, descendit in planum per gradus anteriores, genuflectit in plano ante medium Altaris, et per gradus anteriores ad cornu Evangelii ascendens, Missale ibidem sic locat, uti dictum est cap. II. § 4. n. 5.

14. Locato Missali in Altari, per gradus laterales descendit in planum, advertens, ne terga obvertat Altari; et ibidem stat, facie ad Altare seu Celebrantem conversa, donec responderit, ET CUM SPIRITU TUO, et GLORIA TIBI, DOMINE. Dum Sacerdos se signat, Minister etiam, sinistra pectori admota, pollice dextræ manus se signat in fronte, ore et pectore, sicut Sacerdos. Deinde se recipit ad cornu Epistolæ, genuflectendo in plano, dum ante medium Altaris transit: ac sistit se, manibus junctis, ante infimum gradum Altaris, remanetque erectus, quamdiu legitur Evangelium, genuflectens et se inclinans, quando Celebrans genuflectit vel se inclinat.

15. Responso LAUS TIBI, CHRISTE, (qnod etiam respondet in fine partis Passionis, quæ loco consueti Evangelii legitur) iterum genuflectit in infimo gradu, etsi non dicatur CREDO. Postquam Sacerdoti salutanti responderit, ET CUM SPIRITU TUO, surgit, accipit ampullas vini et aquæ, et stans ad latus Epistolæ, primo ministrat ampullam vini, manu dextra ita illam porrigens, ut Celebrans possit illam apprehendere per manubrium, et dum ampullam Celebranti exhibet, ipsam osculatur, non autem manum Celebrantis; facit tamen ipsi reverentiam per capitis inclinationem.

16. Accepta ampulla aquæ in manu dextra, sinistra recipit a Celebrante ampullam vini, cum osculo ampullæ tantum. Tum ampullam aquæ ita elevatam tenet, ut Celebrans cum cochleari facile aquam accipere, et si quid residuum fuerit, in ampullam refundere possit. Curet autem sollicite, ne ministret ampullas madidas aut sordidas, ne exinde Calix vel Altaris mappa commaculetur.

17. Imposita aqua in Calice, Minister caput Celebranti inclinat, reportat ampullas ad locum proprium, et ponit manutergium in

cornu Altaris, Deinde accipit pelviculam in sinistra, et ampullam aquæ in dextra manu, et stans in plano, si Altare unum tantum gradum habeat, (si plures habeat poterit stare in secundo, numquam vero in suppedaneo) caputque Celebranti inclinans, parum aquæ fundit super extremitates utriusque pollicis et indicis Celebrantis. Non nimium tamen ampullam elevet, neque nimium super digitos deprimat, sed medio modo illam tenens, aquam modeste et reverenter infundit, donec signum desinendi Celebrans dederit.

18. Minister, manutergio recepto, Celebranti caput inclinat, aquam manibus infusam in vasculum ad hoc ordinatum projicit, et ampullas cum pelvicula in loco proprio debite disponit; plicatoque manutergio, accipit de credentia campanulam, se confert ad cornu Epistolæ, et ibi iterum super infimum gradum genuflectit, responsurus Celebranti, ut in Ordine Missæ.

19. Ad ORATE FRATRES Minister respondet SUSCIPIAT etc. quando Celebrans circulum perfecerit, quia tunc Oratio UT MEUM AC VESTRUM SACRIFICIUM etc. absoluta supponitur.

20. Ad SANCTUS ter campanulam pulsat, non tamen continuate, sed duobus ictibus pro singulis ternis vicibus. Deinde accendit cereum seu intorticium, in latere Epistolæ positum, *quod non extinguitur, nisi postquam Sacerdos Sanguinem sumpserit, vel alios communicaverit, si qui erunt communicandi in Missa.* Tit. VIII. 6. Cfr. cap. I. § 1. n. 8.

21. Campanulæ pulsatio omittenda est *a*) in Missis, quæ celebrantur tempore, quo fiunt Processiones per Ecclesiam, vel Absolutiones ad feretrum; *b*) Tempore quo SS. Sacramentum publice expositum est, saltem si Missa in alio quam ipso expositionis Altari celebretur; *c*) in Missis privatis, quæ tempore quo dicitur Officium Divinum in Choro, celebrantur ad Altaria, quæ sunt in conspectu Chori, ne Officium per genuflexiones, quæ alias fieri deberent sub Elevatione, interrumpi debeat.

22. Immediate ante Consecrationem, dum Celebrans signat Oblata, campanula etiam pulsari potest, ubi usus sic habet. Deinde facta genuflexione in plano ante medium Altaris, ascendit et genuflectit in ora suppedanei vel in secundo gradu, paulum versus cornu

Epistolæ. Ad Elevationem, tum S. Hostiæ tum Calicis, sinistra manu elevat fimbrias posteriores Planetæ; (Cfr. cap. III. § 8. n. 4.) dextra vero ter campanulam pulsat prout n. 20. nimirum prima vice quando Sacerdos genuflectit, altera dum S. Hostiam vel Calicem elevat, tertia cum illam vel istum super Corporale deponit. In utraque Sacramenti Elevatione, dum Sacerdos illud genuflexus adorat, Minister profunde caput inclinat in signum adorationis.

23. Postmodum facta unius genu flexione in plano ante medium Altaris, ad locum pristinum revertitur, et ad NOBIS QUOQUE PECCATORIBUS, sinistra pectori admota, dextra pectus sibi percutit.

24. Ad AGNUS DEI, in Missis vivorum, cum Sacerdote (Vide cap. II. § 6. n. 6.) ter sibi pectus percutit, sinistra pectori admota. Ad DOMINE, NON SUM DIGNUS ter campanulam pulsat, quia usus sic habet.

25. Dum Sacerdos fragmenta colligit, Minister surgit, et facta in loco suo, sed in plano, unius genu flexione, vadit ad credentiam, secum deferens campanulam; qua deposita, dextra apprehendit ampullam vini, et sinistra ampullam aquæ, tenensque eas ante pectus, accedit ad latus Epistolæ, ubi genuflectit in ora suppedanei, quousque Celebrans divinum Sanguinem sumpserit.

26. Sumpto a Celebrante divino Sanguine, Minister illico surgit, suppedaneum ascendit et vinum infundit in Calicem, porrectum a Celebrante. In infusione caveat a nimia impetuositate, ampullæ elevatione, aut Calicis attactu, neque ab infusione cesset, nisi prius habito a Celebrante signo. Ante et post infusionem caput Celebranti inclinat. Deinde etiam cum capitis inclinatione ante et post, infundit primo vinum et tum aquam in medio Calicis super pollices et indices ipsius Celebrantis, non secundum proprium, sed Celebrantis nutum.

27. *Celebrante purificato, dum Calicem collocat in Altari, liber Missalis defertur per ministrum ad cornu Epistolæ, et collocatur, ut in Introitu.* Minister itaque, repositis ampullis in loco debito, accedit ante medium Altaris, ibique in plano facta genuflexione, ascendit per gradus laterales ad cornu Evangelii, unde transfert librum ad cornu Epistolæ. Cfr. n. 13. Deinde collocato velo Calicis

inter librum et dextram Celebrantis, extinguit cereum, de quo dictum est n. 20. et incedens per planum, cum genuflexione ante medium Altaris, vadit ad cornu Evangelii, ibique manet genuflexus super infimum gradum usque post datam Benedictionem.

28. Dum Sacerdos Benedictionem populo impertitur, Minister se signat et subjungit AMEN. Deinde surgit, respondet Celebranti, signat se, vadit ad cornu Epistolæ et omnia facit ut n. 14.

29. Si aliud Evangelium ab illo consueto S. Joannis legendum sit, (quod facile dignoscet ex libro relicto super Altare aperto) tunc librum ita tempestive transfert, ut more solito Benedictionem accipere valeat.

30. Expleto ultimo Evangelio, extinguit candelas, incipiendo a cornu Epistolæ; tum sistit se ad illud Sacerdotis latus, quod est Sacristiæ proximius, ut, facta genuflexione in plano, commodius ad eamdem revertatur, modo quo egressus est.

31. Si vero preces quædam recitandæ sint, extinctis candelis, sistit se ad sinistram Celebrantis in plano. Precibus dictis, surgit, genuflectit et abit ut n. 30.

32. Cum ad Sacristiam pervenerit, sistit se prope ingressum, et exspectat, donec Sacerdos transierit, facta Sacerdoti transeunti profunda capitis inclinatione. Deinde facta in Sacristia una cum Celebrante Cruci reverentia, superpelliceo se exuit, exspectat, donec Celebrans sese vestibus sacris exuerit, et ipsi pro ablutione digitorum aquam ministrat. Demum flexis genibus humiliter culpam agnoscens, dicit: EST MEA CULPA, PATER REVERENDE, QUOD MALE INSERVIVERIM. Sacerdos autem, impertita Benedictione, ipsum in pace dimittit. Omnibus absolutis. Minister reportat ampullas, et etiam Missale, si opus sit, ad Sacristiam.

33. In Missa coram SS. Sacramento exposito, Minister cum Celebrante genuflectit utroque genu et caput profunde inclinat in primo accessu ad Altare, et in ultimo recessu ab eodem. Insuper semper genuflectit, dum a credentia ad latus Altaris accedit, vel e converso. Ad LAVABO sistit se in plano, tergum obvertens populo. Ministrat Celebranti ampullam sine osculo, quod etiam in Missa Defunctorum omittitur.

De Ministro et Ministris in Missa cantata vide cap. IV. § 5.

CAPUT III.

DE RITIBUS IN CELEBRATIONE MISSÆ SOLEMNIS OBSERVANDIS.

§ 1.

DE HORA CELEBRANDI MISSAM SOLEMNEM CONVENTUALEM.

1. Missa solemnis, quæ simul est conventualis, semper, quantum fieri potest, dici debet immediate post aliquam Horam canonicam, in Choro recitatam, quæ sit quasi quædam ad Missam præparatio. Dicitur autem sequenti ordine.

2. *In Festis Duplicibus, et Semiduplicibus, in Dominicis, et infra Octavas, dicta in Choro Hora Tertia.*

3. *In Festis Simplicibus et Feriis per annum, dicta Sexta.*

4. *In Adventu, Quadragesima, Quatuor Temporibus, etiam* quæ cadunt *infra Octavam Pentecostes, et Vigiliis, quæ jejunantur, quamvis sint dies solemnes, Missa de Tempore debet cantari post Nonam.* Si vero Vigilia Nativitatis Domini venerit in Dominica, Missa cantanda est post Horam Tertiam, quia tunc non jejunatur.

5. *Missa autem* conventualis *Defunctorum dici debet post Primam diei.* Idem dicendum videtur de Missa pro defunctis Fratribus, Benefactoribus et Parentibus, quater in anno dicenda, iis diebus, quibus Officia generalia pro Defunctis recitanda sunt.

6. *Sed in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum Missa conventualis dicitur post Nonam, quia eo die est principalis.* Idem dicendum videtur de Missa, quæ cantatur, quando recitandum est Officium generalissimum pro Defunctis.

7. *In die Depositionis Defuncti, vel Tertio, Septimo, Trigesimo, aut Anniversario solemni, in quo fit concursus populi, poterit similiter dici ultimo loco post Nonam.*

8. *Missæ votivæ, quia non correspondent Officio, si solemniter celebrentur pro re gravi, vel publica Ecclesiæ causa, cum populi*

frequentia, dicantur post Nonam. Missæ vero votivæ communes dici possunt ad libitum.

9. Verum, quia in Ecclesiis nostris non nisi una solemnis Missa regulariter decantatur, et cum illa sæpe, ob solemnitatem diei aut Festi, serius inchoari aut protrahi debeat, eamque etiam nonnumquam solemnis Processio subsequatur, cum quibus commode non stat Divini Officii interrupta solemnizatio; hinc secundum praxim, cantatur aliquando solemnis Missa, Horis omnibus in Choro recitatis. Sed, quando talia impedimenta non occurrunt, maxime decet nos Fratres Minores, ut Missa solemnis et conventualis conformiter ad Rubricas dicatur.

De Missis in Nativitate Domini, vide Cap. IV. § 6.

§ 2.

DE CREDENTIA ET ALIIS PRÆPARATORIIS AD MISSAM SOLEMNEM.

1. In omnibus Ecclesiis nostris sit credentia, id est, mensa brevis, demissa, simplex, in plano a latere Epistolæ collocata, lineoque mantili mundo superstrato et usque ad terram circumcirca pendenti contecta, in qua neque Crux, neque Sanctorum Reliquiæ vel imagines deponantur.

2. In credentiæ medio, antequam Sacrum inchoetur, Calix collocabitur per Subdiaconum, ut § 3. n. 3.

3. In credentia etiam ponatur per secundum Ceroferarium pelvicula cum ampullis vini et aquæ, manutergium et tintinnabulum; per Thuriferarium navicula incensi. Hæc omnia ponantur in ea credentiæ parte, quæ est Altari proximior. In altera parte per primum Ceroferarium ponatur liber Epistolarum et Evangeliorum; quæ omnia ordine sic erunt in credentia disposita, ut tamen sit relictus locus pro Ceroferariorum candelabris, hinc et inde commode reponendis.

4. Præterea in latere Epistolæ, in plano Presbyterii, paretur scamnum oblongum, in quo assidebit Celebrans cum Diacono et Subdiacono. Scamnum hoc habeat dorsuale, non tamen altum, et sit aliquo panno vel tapete amovibili coopertum.

5. Pro Presbytero Assistente ponatur scabellum simplex et nudum a dextris Diaconi, et alterum pro Cæremoniario a sinistris Subdiaconi.

6. In Sacristia tempestive a Sacrista collocabuntur indumenta; Sacerdotalia in medio, diaconalia a dextris et subdiaconalia a sinistris, nisi adsit Assistens, ut dicitur § 11.

7. Etiam in Sacristia præsto erunt superpellicea necessaria; duo candelebra cum cereis, et thuribulum, etc. Intorticia, ad Elevationem Sacramenti accendenda, poni possunt ad latera credentiæ, vel in alio convenienti loco.

8. Sacrista vel secundus Ceroferarius, superpelliceo indutus, accendat candelas Altaris, incipiendo ab ea quæ Cruci propior est in cornu Evangelii, deinde eodem modo in cornu Epistolæ. S. R. C. 12. Aug. 1854. in Lucionen. ad 77.

§ 3.

DE PRÆPARATIONE CELEBRANTIS ET MINISTRORUM.

1. Epistola Missæ a Subdiacono, et Evangelium a Diacono tempestive quærenda, signanda et perlegenda sunt, ne errent in cantando.

2. Diaconus debet ordinare Missale; Missam, Commemorationes et Præfationem quærere, et quovis loco signacula disponere. Deinde Missale ad Altare defertur, et super pulpitum in cornu Epistolæ apertum ponitur per Thuriferarium vel alium.

3. Subdiaconus Calicem præparet, uti Celebrans ante Missam privatam. Deinde Amictu, Alba et Manipulo indutus, et detecto capite, illum ad credentiam portat, et ita collocat, ut apertura bursæ parietem respiciat, et remaneat locus pro velo oblongo Subdiaconi, quod ante Calicem ponatur.

4. Celebrans eadem paramenta et eodem modo assumit ac pro Missa privata. Diaconus et Subdiaconus ipsum, dum sacras vestes induit, adjuvare non tenentur.

5. Convenit ut etiam Diaconus et Subdiaconus lavent manus, antequam se sacris vestibus induant.

6. Diaconus et Subdiaconus induere debent Amictum, Albam,

Cingulum, Manipulum et Dalmaticam vel Tunicellam, quibusdam diebus exceptis, juxta dicenda n. 9. et Diaconus etiam Stolam.

7. Has vestes induunt eodem modo, ut de Celebrante dictum est, excepta Stola, quam Diaconus sic assumit: ambabus manibus eam accipit, osculatur in medio, ubi est Crux, immittit caput et brachium dextrum, eamque ita adaptat, ut medium Stolæ, ubi est Crux, sit super humerum sinistrum, et extremitates pendeant infra brachium dextrum.

8. Se induendo Ministri recitare possunt Orationes, quæ Celebranti dicendæ præscribuntur; ad Dalmaticam vero et Tunicellam eas, quas dicit Episcopus, ut in principio Missalis.

9. Diaconus et Subdiaconus Dalmatica et Tunicella non utuntur in Dominicis Adventus et Quadragesimæ, etiamsi Sanctissimum sit expositum, quando Missa dicitur de Dominica, exceptis Dominica Gaudete et Dominica Lætare. Cæteri casus, qui in Rubrica enumerantur, vel apud nos non occurrunt, vel suis locis indicantur.

§ 4.

ANIMADVERSIONES QUÆDAM GENERALES.

1. Quoad actiones communes, seu quæ simul exercentur a Celebrante et Ministris, hæc est regula generalis: quando Celebrans et Ministri eamdem simul faciunt actionem, omnium et singulorum motus uniformis sit et simultaneus. Itaque:

a) Dum Celebrans et Ministri simul genuflectunt, eodem tempore omnium genu debet demitti, terram tangere et erigi.

b) Dum simul se inclinant, debent omnes corpus, humeros aut caput eodem tempore demittere et erigere.

c) Dum simul se signant, debent simul tangere frontem, pectus et humeros.

d) Dum simul incedunt infra Missam, v. g. a medio Altaris ad cornu Epistolæ, uniformi et simultaneo motu debent Ministri cum Celebrante vertere latus sinistrum totaliter ad Altare, eodem passu incedere, et tandem simul convertere faciem ad Altare.

e) Eodem modo se gerant Ministri, dum faciunt aliquid commune inter se.

f) Ut autem hæc omnia debite observentur, inferior semper se conformet superiori; ita ut, si actio sit Celebranti et Ministris communis, actio Celebrantis debeat esse regula, cui se Ministri conforment: si vero actio Diacono et Subdiacono sit communis, Subdiaconus se conformet Diacono. Imo, ad difformitatem et confusionem vitandam, errare cum errantibus sæpe expedit.

2. Quoad inclinationes et Crucis signationes hæc est regula generalis: quando Celebrans secreta voce aliquid profert, inclinationem aut signationem Crucis exigens, ad eam non tenentur Ministri; quotiescumque vero Celebrans tale quid voce non secreta profert, Ministri cum Celebrante se inclinare et signare debent, nisi sint impediti.

3. Manus jugiter ante pectus junctas habeant, (cap. I. § 5. n. 12.) nisi actione impediantur vel sedeant; et dum una manu aliquid operantur, alteram, si libera sit, pectori admovebunt. Numquam manus super Altare ponant, nequidem dum genuflectunt.

4. Quoties ab uno gradu ad alterum, licet proximum, descendere opus est, id caveant ne retrocedant; sed vertentes se per suam dextram vel sinistram juxta diversos casus, descendant versus locum, ad quem accedere debent.

5. Quoties Ministri aliquid offerunt Celebranti, prius osculentur rem, quam porrigunt, et deinde manum Celebrantis: cum vero aliquid ab eodem recipiunt, primo manum, deinde rem deosculentur, nisi aliter notetur.

6. *In Missa solemni, quando dici debent a Celebrante* GLORIA IN EXCELSIS *et* CREDO, *intonantur, et cantantur* DOMINUS VOBISCUM, *et Orationes ante Epistolam*, DOMINUS VOBISCUM, OREMUS *ante Orationes, et ante Offertorium, Præfationem*, PER OMNIA SÆCULA SÆCULORUM *cum* PATER NOSTER, PER OMNIA SÆCULA SÆCULORUM *cum* PAX DOMINI, *et Orationes post Communionem.*

Alia quæ cantanda sunt, cantantur a Diacono et Subdiacono.

7. *Alia quæ in Missa privata dicuntur clara voce, in Missa solemni a Celebrante dicuntur submissa voce*, relative ad cantum;

id est, tali voce, ut a Ministris audiantur, et ipsi respondere valeant. Benedictio autem in fine Missæ clara voce dari debet.

8. Quidquid in Missa privata profertur secreta voce, eadem voce in Missa solemni proferendum est.

§ 5.

DE EGRESSU A SACRISTIA USQUE AD INTROITUM MISSÆ.

1. Antequam Celebrans cum Ministris de Sacristia exeat, omnes stantes ut prius, scilicet: Celebrans in medio, Diaconus a dextris, Subdiaconus a sinistris, Thuriferarius post Celebrantem, primus Ceroferarius post Diaconum, et secundus Ceroferarius post Subdiaconum, capite detecto faciant reverentiam Cruci Sacristiæ.

2. Mox Diaconus et Subdiaconus, capite cooperto, salutant Celebrantem profunda capitis inclinatione, qui eos, pariter capite tecto, resalutat modica capitis inclinatione.

3. Tum ad Ecclesiam procedunt hoc ordine: præcedit Thuriferarius portans thuribulum; sequuntur Ceroferarii; deinde Subdiaconus, vertens se per suam dextram; tum Diaconus, vertens se per suam sinistram, ne terga vertant Celebranti: et ultimo Celebrans, vertens se per suam dextram.

4. Si adsint Versicularii et Cantores, (qui in Missa, quantumlibet solemnizata, numquam induantur Pluviali) superpelliceis induti, tunc post Ministros sacros (n. 1.) stabunt Cantores, et post hos Versicularii; e Sacristia vero exeunt bini Versicularii post Ceroferarios; et post illos sequuntur bini Cantores.

5. Per viam ad Altare observentur ea, quæ dicta sunt cap. II. § 1. a n. 2. usque ad n. 12. conferendo n. 13. et exceptionem quoad n. 3. faciendo pro Ministris, qui in illo casu genuflectunt.

6. Si ad Altare per cornu Evangelii accedant, cum pervenerint ad Sanctuarium, ii, qui ad sinistram Celebrantis stare debent, sistunt se in cornu Evangelii, sinuntque Celebrantem et alios ante se transire; contra vero, si per cornu Epistolæ accedant, ii, qui ad dextram Celebrantis stare debent, eodem modo sistunt se in

cornu Epistolæ. Si vero recta linea ad Altare pergant, dum ad illud accedunt, Diaconus, Thuriferarius et primus Ceroferarius recedunt a parte Epistolæ; Subdiaconus vero et secundus Ceroferarius a parte Evangelii. Cantores et Versicularii in omni casu, recta via vadunt ad gradum Presbyterii.

7. *Cum* Sacerdos, simul cum Ministris sacris, *pervenerit ante infimum gradum Altaris*, stans caput detegit, sicut et Ministri; Thuriferario et Ceroferariis Amictus disponentibus. Quibus dispositis, omnes simul debitam faciunt reverentiam, nimirum Celebrans profunde se inclinat, ut cap. II. § 1. n. 14. Ministri vero genu dextrum flectunt in infimo gradu Altaris. Si autem adsit Tabernaculum SS. Sacramenti omnes genuflectunt dextro genu in plano.

8. Facta hac reverentia, statim Celebrans, stans erecto corpore *medius inter Diaconum a dextris, et Subdiaconum a sinistris, antequam ascendat ad Altare*, submissa voce inchoat Missam, alternatim cum Ministris sacris recitat Psalmum JUDICA, et *facit cum ipsis Confessionem*, modo et ordine in Missa privata præscriptis. Cum vero dicit, VOBIS FRATRES, et VOS FRATRES, manens profunde inclinatus, aliquantulum se convertit primo ad Diaconum, deinde ad Subdiaconum; dum dicit MISEREATUR VESTRI, etiam se aliquantulum convertit ad eos, cum parva tantum capitis inclinatione, sine ulla tamen pedum motione.

9. Ministri cum Celebrante se signant ad IN NOMINE PATRIS, ADJUTORIUM NOSTRUM, et INDULGENTIAM; ad GLORIA PATRI caput profunde inclinant. Dum vero Celebrans facit Confessionem, stant erecti; sed illa finita, parum ad Celebrantem conversi, et capite profunde inclinati, pedibus manentibus immotis, dicunt MISEREATUR TUI etc. Dicto a Celebrante AMEN, se convertunt directe ad Altare, ac profunde corpore inclinati recitant CONFITEOR, et percutiunt pectus ter ad MEA CULPA, manu sinistra infra pectus posita: dicentes vero TIBI PATER et TE PATER, se ad Celebrantem convertunt, manentes profunde inclinati, donec fuerit a Celebrante dictum MISEREATUR VESTRI etc. et ab ipsis responsum AMEN; sed ad INDULGENTIAM ambo erecti stantes signant se, et dum Celebrans dicit DEUS, TU CONVERSUS, mediocriter se inclinant sicut Celebrans; et

dum hic dicit OREMUS, non deducunt manus, cum id solius sit Celebrantis.

10. *Sacerdos, facta Confessione*, et dicto OREMUS, *ascendit cum Ministris ad medium Altaris, ubi* Ministri, junctis ante pectus manibus, genuflectunt uno genu: Celebrans autem, *dicto* ORAMUS TE DOMINE, *et osculato Altari*, quod Ministri non osculantur, faciem vertit ad cornu Epistolæ, *ponit incensum in thuribulum, ministrante Diacono naviculam et Thuriferario thuribulum.* Subdiaconus in suo loco manens se vertit, ita ut tergum Celebrantis respiciat.

11. Diaconus ad Celebrantem conversus, et naviculam, quam manu dextra a Ceroferario semiapertam accepit, cum apertura ad Celebrantem conversa, sinistra sustinens, statim ex navicula accipit dextra cochlear vacuum circa partem inferiorem manubrii, osculatur illud in manubrii summitate et tradit Celebranti, cujus manum dextram in exteriori parte, non digitos osculatur. Deinde, capite *parum inclinatus versus Celebrantem dicit* intelligibili voce BENEDICITE, PATER REVERENDE; et naviculam utraque manu tenet juxta thuribulum.

12. *Celebrans*, sinistra pectori admota, et dextra accepto cochleari, *ter incensum*, tribus distinctis vicibus de navicula sumptum, *ponit in thuribulum* tribus distinctis locis, scilicet in medio, a dextris thuribuli, seu a sinistris Celebrantis, et a sinistris thuribuli, seu a dextris Celebrantis, *dicens interim* AB ILLO BENEDICARIS — IN CUJUS HONORE — CREMABERIS. AMEN. Deinde, *deposito cochleari, producens manu dextra*, junctis tamen prius ante pectus manibus, (vide cap. II. § 4. n. 21. et 22.) *signum Crucis super thus in thuribulo, illud benedicit* nihil dicens, sinistra sub Benedictione iterum super pectus posita.

13. *Postea Diaconus, dimissa navicula, accipit thuribulum, et dat Celebranti* hoc modo: recepto, scilicet ante Benedictionem thuris, e manu Celebrantis cochleari, cum osculo prius manus Celebrantis, deinde cochlearis, illud in navicula reponit et naviculam ipsam clausam manu dextra reddit Ceroferario. Quo facto et thure interim ut n. 12. benedicto, Celebrans, Diaconus et Subdiaconus statim, absque eo quod faciem versus Altare convertant, uno aut altero passu ab

Altari recedunt, ibique stantes in linea recta faciem ad Altare convertunt. Tum Diaconus e manu Thuriferarii, a dextris ejus stantis, thuribulum accipit, dextra apprehendens annulum superiorem, et sinistra catenulas juxta thuribuli operculum. Ita thuribulum tenens, illud Celebranti porrigit, *osculata prius catenularum summitate, et manu illius dextra.*

14. Deinde Diaconus et Subdiaconus e suppedaneo uno tantum gradu descendunt, se vertendo ad invicem, non vero retrogrediendo, et faciem vertunt ad Altare.

15. „Celebrans capit de manu Diaconi... thuribulum, videlicet sinistra catenulas, quibus thuribulum sustinetur in earum summitate, dextra vero easdem catenulas simul junctas, prope thuribulum tenet, ac thuribulum sustinet; ita ut illud commode ducere versus Crucem... et ad se retrahere possit; quod recte fit, si.... Celebrans, accepto thuribulo, teneat dextram, quo fieri potest, proximiorem ipsi thuribulo, ita ut parvum catenularum spatium remaneat inter ipsius manum dextram et thuribulum, præsertim cum thurificantur oblata; nam, si nimis thuribulum pendeat, nec commode, nec secure, nec decore illam actionem expedire posset..." Ita Cær: Episc. L. I. C. 23. n. 4.

16. „Dum autem.... Celebrans... Altaris thurificationem facit, advertat, ut se in ea graviter et decore gerat, non personam, aut caput, dum thuribulum ducit reducitque, movens; sinistram, quæ summitatem catenularum retinet, firmam stabilemque ante pectus tenebit; dextram vero manum ac brachium commode ac tractim cum thuribulo movebit; ita ut, cum thuribulum ad se retrahit, illud sub brachio leviter, et competenti mora reducat; et dum procedit thurificando Altare, eundo et redeundo, semper illum pedem prius moveat, qui proximior est Altari, totque omnino passus faciat, quot thuribuli tractus, ut manus pedesque in motu decenter concordent." Ibid. n. 8.

17. Celebrans, thuribulum modo prædicto tenens, *facta Cruci profunda reverentia*, per profundam corporis inclinationem, Ministris semper unum genu flectentibus, *eam ter* recto et æquali ductu, post unumquemque ductum tantillum quiescens, *incensat nihil dicens, et*

facta iterum Cruci reverentia, per profundam capitis inclinationem, Ministris genuflectentibus, *incensat Altare*, *ter ducens thuribulum*, non autem illud in altum versus candelabra projiciendo, sed super mensam versus partem ejus posteriorem agitando, linea recta et *æquali distantia*, *prout distribuuntur candelabra* in Altari, in cujus utroque cornu hinc inde in æquali distantia tria candelabra ponuntur. Incipit Celebrans thurificationem Altaris *a medio ejus* et progreditur *usque ad cornu Epistolæ*, *ubi*, *demissa manu*, *thurificat illius postremam partem inferiorem* lateralem, *mox superiorem*, *bis ducto thuribulo*, semel ad inferiorem, et semel ad partem superiorem.

18. *Et conversus ad Altare*, sed parum lateraliter, seu facie pene ad medium Altaris obversa, *elevans manum*, *incensat ejus planitiem*, *seu mensam in parte anteriori*, *ter* per debita intervalla, secundum distributionem candelabrorum, circa oram, velut in semicirculum a dextra sua ad sinistram *ducens thuribulum*, *usque ad medium* Altaris progrediendo; *ubi facta Cruci reverentia* per profundam capitis inclinationem, Ministris genuflectentibus, *procedendo thurificat aliud latus Altaris*, prout fecit ad latus Epistolæ, *triplici ductu* a medio Altaris *usque ad cornu Evangelii.*

19. *Et pariter incensata inferiori et superiori parte* laterali *ipsius cornu Evangelii duplici ductu*, ut supra, *adhuc stans ibidem*, sed ad Altare conversus ut n. 18. *elevat thuribulum*, *et ter* in semicirculum a sua sinistra ad dextram ducendo thuribulum, *incensat superiorem tabulæ partem*, *versus medium Altaris*, *ut fecit in cornu Epistolæ: deinde*, parum ab Altaris medio stans, quasi ad cornu Evangelii retrogrediendo paululum ab Altari recedit, et habens pedem sinistrum Altari propiorem, *manu aliquantulum demissa*, *incensat anteriorem ejus*, scilicet Altaris, *partem seu frontem*, *ter* linea recta *ducens thuribulum*, *dum procedit a cornu Evangelii usque ad medium Altaris: et facta Cruci reverentia* per profundam capitis inclinationem, Ministris genuflectentibus, *incensat similiter triplici ductu reliquam partem anteriorem usque ad cornu Epistolæ.*

20. *Ubi reddito thuribulo ipsi Diacono*, *ab eo ipse solus incensatur.* Peracta itaque incensatione Altaris, Celebrans stans in cornu Epis-

tolæ, in suppedaneo, sinistro latere contra Altare verso, utraque manu thuribulum reddit Diacono, junctisque ante pectus manibus, ter incensatur ab ipso Diacono, cui ne modicum quidem caput inclinabit, nec ante nec post sui incensationem.

Diaconus autem in secundo gradu lateris Epistolæ contra Sacerdotem consistit, ambasque manus, quoad parvos digitos junctas, supponens Celebrantis dextræ, hanc osculatur; thuribulum recipit cum dextra juxta operculum et cum sinistra ad catenularum summitatem, quas pariter osculari debet. Post hæc se vertit per suam dextram et in planum e latere Epistolæ descendit: ibi triplici ductu Celebrantem incensat, facta ante et post profunda capitis inclinatione; ac tandem tradit thuribulum ambabus manibus Thuriferario a dextris stanti.

Subdiaconus vero post thurificationem Altaris per latus Epistolæ descendit in planum, ubi, junctis ante pectus manibus, et facie ad Celebrantem versa, se sistit a sinistris Diaconi, dum iste Celebrantem incensat; non tamen caput inclinat versus Celebrantem.

21. *Si vero in Altari*, intra candelabra, *fuerint Reliquiæ*, *seu*, id est, vel *Imagines* non pictæ, sed sculptæ, seu statuæ *Sanctorum*, quamvis sine inclusis Reliquiis, Celebrans, *incensata Cruce*, *et facta ei reverentia*, *antequam discedat a medio Altaris*, *primum incensat eas*, *quæ a dextris sunt*, *id est*, *a parte Evangelii prope Crucem*, *bis ducens thuribulum*, sive plures, sive pauciores Reliquiæ vel statuæ fuerint, priori ductu incensando eas, quæ Cruci Altaris sunt propiores, et posteriori ductu remotiores; caput tamen iisdem nec ante nec post incensationem inclinat; *et iterum facta Cruci reverentia*, *similiter incensat bis alias*, *quæ sunt a sinistris*, *hoc est*, *a parte Epistolæ; deinde* absque ulla reverentia Cruci facienda, *prosequitur incensationem Altaris*, *et supra*, *ter ducens thuribulum in unoquoque latere*, *etiamsi in eo essent plures Reliquiæ vel Imagines*, *seu etiam plura vel pauciora candelabra.*

22. *Si in Altari fuerit Tabernaculum Sanctissimi Sacramenti* actu inclusi, Celebrans, *accepto thuribulo*, *antequam incipiat incensationem*, *genuflectit*, et mox surgens, absque eo, quod caput Cruci inclinat, Crucem incensat; quo facto, iterum genuflectit, ac etiam post incensatas a parte Evangelii Reliquias, si adsint, et *quoties-*

cumque transit ante medium Altaris sub ejusdem incensatione, genuflectit, manu sinistra super Altare posita.

23. Si in Altari exposita sit Reliquia S. Crucis, aut alterius instrumenti Passionis, Sacerdos illam Reliquiam incensat simul cum Altaris Cruce, et genuflectit, ut dictum est n. 22.

24. Dum Celebrans infra incensationem transiens ante medium Altaris genuflectit, ponit palmam sinistræ manus, quæ summitatem catenularum tenet, super Altare, quo commodius genuflectere et surgere valeat, cavendo, ne thuribulum tangat antipendium.

25. *Diaconus et Subdiaconus hinc inde assistunt Celebranti, dum incensat.* Sub incensatione Crucis, stantes, ut dictum est n. 14. Casulam elevant Diaconus cum sinistra, Subdiaconus cum dextra, altera manu super pectus posita. Sub incensatione Altaris, Casulam tenent manu, quæ propior est Celebranti, passu uniformi et naturali, non laterali, cum eo incedunt, *et cum transeunt ante Crucem, semper*, etsi non foret Tabernaculum Sanctissimi Sacramenti in Altari, *genuflectunt* dextro genu. Peracta incensatione demittunt Casulam Celebrantis et agunt ut dictum est n. 20.

§ 6.

DE INTROITU USQUE AD SYMBOLUM.

1. *Deinde*, id est, post absolutam incensationem, *Celebrans* conversus ad librum, *Diacono a dextris ejus* in secundo Altaris gradu, *Subdiacono a dextris Diaconi* in plano *stantibus in cornu Epistolæ*, in recta linea, *legit* submissa voce *Introitum*, a Diacono indicatum, signans se signo Crucis, et ad GLORIA PATRI caput inclinans, prout in Missa privata; quod utrumque etiam Ministri faciant.

2. Dicto eadem voce et in eodem loco, alternatim cum Ministris KYRIE ELEISON, persistunt in eodem cornu Epistolæ Celebrans et Ministri usque ad ultimum KYRIE; quo a Choro incœpto, Diaconus incedens per secundum gradum, Subdiaconus per planum, sistunt se in linea recta retro post Celebrantem; et simul cum ipso latus dextrum vertentes ad Altare, pari gressu uque ad medium Altaris

progrediuntur, ubi Celebrans caput Cruci inclinat, Ministri vero genuflectunt uno genu, Diaconus in supremo gradu, Subdiaconus in infimo gradu Altaris.

3. *Cum vero* Celebrans *intonat Hymnum* GLORIA IN EXCELSIS DEO, *Diaconus et Subdiaconus unus post alium stant a tergo Celebrantis*, Diaconus nempe super secundum gradum, Subdiaconus vero in plano Capellæ, apud ultimum gradum.

4. *Postea*, id est, istis verbis decantatis, et facta cum Celebrante capitis inclinatione ad ly DEO, Ministri genuflectunt ut n. 2. et tum Diaconus aliquantulum recedit versus cornu Epistolæ, exspectaturus paulisper Subdiaconum, qui paulum versus cornu Evangelii ascendit, et sic ambo pari gressu hinc inde *ascendunt ad Altare*, id est, ad latera Celebrantis; *et* ibi *hinc inde* stantes, *Diaconus a dextris*, *Subdiaconus a sinistris*, manibus junctis, *cum Celebrante Hymnum submissa voce*, non præveniendo, sed potius Celebrantem subsequendo, *prosequuntur usque ad finem*, caputque cum eodem inclinant ad verba, ad quæ inclinare se debet Sacerdos, et cum eodem signant se in fine; *quod etiam servatur*, *cum dicitur* CREDO.

5. Recitato Hymno, si sit sedendum, facta a Celebrante capitis inclinatione, vel, manibus super Altare positis, unius genu flexione, si nimirum Sanctissimum sit ibidem in Tabernaculo inclusum; et a Ministris semper, manibus ante pectus junctis, unius genu flexione, descendunt omnes, eo quo e Sacristia veniunt ordine, capite vero detecto, unus post alium, et per breviorem viam, id est, per gradus laterales, ad scamnum in latere Epistolæ præparatum. Advertant autem, ne se ad scamnum recipiant eo tempore, quo a Choro cantantur verba, sub quibus caput inclinandum est. Advertant etiam, ne terga vertant Altari; quare omnes, cum ad scamnum pervenerint, per suam sinistram se vertant, antequam sedeant.

6. Primo sedet Celebrans et caput tegit; deinde Diaconus a dextris et Subdiaconus a sinistris simul profundam capitis reverentiam exhibent Celebranti, assident et mox caput cooperiunt. Sub sessione omnes tenent manus suas hinc inde super genua infra Casulam vel Dalmaticam extensas: pedes vero teneant juxta se positos, non autem extensos vel complicatos, et oculos modeste ad terram de-

missos. Dum in Choro cantantur ea verba, ad quæ caput est inclinandum, Celebrans et Ministri caput detegant et se inclinent; cumque postrema canuntur, nempe CUM SANCTO SPIRITU, (ad quæ novum Crucis signum nequaquam efficitur) caput detegunt, assurgunt et eo ordine, quo discesserunt ab Altari, ad illud redeunt non per viam breviorem, sed per planum Capellæ. Subdiaconus transit ad cornu Evangelii, nulla facta reverentia ante medium Altaris; Diaconus vero stans in cornu Epistolæ locum transeundi concedit Celebranti. Stantes ante infimum gradum Altaris, Ministri super eumdem gradum genuflectunt uno genu, Celebrante se tantum inclinante, aut genuflectente ut n. 5. Erecti, accedunt ad locum quisque suum, ut n. 3.

7. Si non sit sedendum, manent ad Altare, ut n. 4. Caput inclinant, dum cantantur verba, quæ inclinationem exigunt; et dum cantatur CUM SANCTO SPIRITU, Ministri in suppedaneo unum genu flectunt, et erecti, faciem vertentes versus Celebrantem, ad loca sua a tergo Celebrantis descendunt.

8. Celebrans, cantato per Chorum GLORIA, vel, (si non sit dicendum) ultimo KYRIE ELEISON finito, osculatur Altare in medio, et dicit cantando DOMINUS VOBISCUM. Tum Ministri genuflectunt ut n. 2. et vertentes sinistram ad Altare, pari passu cum Celebrante pergunt ad cornu Epistolæ, ubi, dum a Celebrante cantatur Oratio una vel plures, *Diaconus et Subdiaconus stant retro post Celebrantem*, caput cum ipso sub collectis inclinantes, et manus ante pectus junctas tenentes.

9. Si dicendum sit FLECTAMUS GENUA, illud *dicitur a Diacono, a Subdiacono vero* LEVATE, *illo*, Diacono nempe, *primum* unum *genu flectente*, (uti et omnes alii Ministri et Choristæ faciunt) *hoc*, Subdiacono scilicet, *primum surgente; Celebrans vero non genuflectit.*

10. Notandum quod, absoluta Orationis conclusione, Diaconus non debet respondere AMEN, quia Chorus respondet: quod et in similibus casibus erit observandum. Caveat itaque Celebrans, ne Epistolam etc. legere incipiat, antequam Chorus responderit.

11. Absoluta ultima Oratione cum sua conclusione, Diaconus accedit ad dextram Celebrantis, ibique stat, manibus ante pectus

junctis, in secundo gradu Altaris et, dum opus est, folia vertit: et, si quædam sive in Epistola, sive in Graduali etc. exigant genuflexionem vel inclinationem, ipse cum Celebrante genuflectit, vel se inclinat: in fine autem Epistolæ eidem Celebranti respondet DEO GRATIAS.

12. Quamdiu Celebrans legit, nec ipse, nec Diaconus attendunt ad ea, quæ cantat Subdiaconus; dum autem Celebrans desiit legere, ipse et Diaconus caput inclinant, et genuflectunt in cornu Epistolæ, si Subdiaconus cantat, quæ inclinationem aut genuflexionem exigunt. Diaconus autem perstat in eodem loco, donec, cantata Epistola, accedat Subdiaconus, cui cedens locum, aliquantulum recedit, iterum ad priorem locum reversurus, statim ac Subdiaconus, accepta Benedictione, discesserit.

13. *Subdiaconus* itaque *circa finem ultimæ Orationis*, vertens se ad primum Ceroferarium, ab eo, cum mutua capitis inclinatione ante et post, *accipit ambabus manibus librum Epistolarum* ad inferiores angulos, *deferens illum* cum apertura ad suam dextram, et parte superiori quiescente *supra pectus*. Sic tenens librum vertit faciem ad Altare, et manet in loco suo usque dum Celebrans cantat in conclusione Orationis, verba JESUM CHRISTUM, ad quæ caput profunde versus Crucem inclinat. Post hæc, vel post QUI VIVIS vel quid simile, accedit ad medium Altaris, *et facta Altari genuflexione in medio* infimi gradus, *vadit ad partem Epistolæ* ad locum in quo primum stetit, facie versa *contra Altare*, *et* ipsemet librum sustinens *cantat Epistolam*, caput inclinans et in infimo gradu genuflectens, cum opus fuerit: *quam etiam Celebrans interim submissa voce legit*, *assistente sibi Diacono a dextris*, ut dictum est n. 11. *Et item* Celebrans eodem modo, quo Epistolam, legit *Graduale*, *Tractum*, etc. *usque ad* MUNDA COR MEUM.

14. *Epistola cantata*, *Subdiaconus*, librum clausum deferens ut supra, *facit iterum genuflexionem Altari in medio*, *ac* cum libro incedens per planum, *redit ad Celebrantem* in cornu Epistolæ, *et* in ora supremi gradus lateralis *genuflectens* utroque genu, paululum flectit librum versus Celebrantem, et *osculatur ejus manum* dextram, a Celebrante super librum positam, sinistra interim pectori admota,

et ab eo benedicitur hoc modo: post manus osculum Celebrans jungit manus ante pectus, et sinistra iterato super pectus posita, dextra format signum Crucis, nihil dicendo, super Subdiaconum, qui genuflexus et capite inclinato Benedictionem recipit.

15. *Postea idem Subdiaconus*, vertens se per suam sinistram, descendit ante infimum gradum lateralem, ubi, facie ad populum versa, tradit cum mutua capitis inclinatione ante et post, librum primo Ceroferario; postea vertens se per suam dextram, ascendit per gradus laterales, a tergo Diaconi, ad Altare, *accipit Missale Celebrantis*, (qui interim vadit ad medium Altaris, et dicit MUNDA COR MEUM etc. ut in Missa privata) *et* vertens se per suam sinistram, incedit via breviori, descendit uno gradu, genuflectit in supremo gradu in medio Altaris, ac *defert* pulpitum cum Missali *ad cornu Evangelii in Altari*, et illud ponit ut dictum est cap. II. § 4. n. 5. Tum descendit uno gradu laterali *et ibi*, facie ad Altare versa, *ministrat Celebranti*, respondens, folia vertens, dum opus fuerit, et ei se conformans in capitis inclinatione, genuflexione et in formando signo Crucis in fronte, ore et pectore.

16. Dum Celebrans incipit legere Evangelium, Diaconus vertens se per suam dextram descendit per gradus laterales in planum, ubi, per suam sinistram se vertens, facie ad populum versa, accipit librum eo modo, quo Subdiaconus accepit.

17. Diaconus ambabus manibus librum elevatum ante pectus tenens ad angulos inferiores, cum apertura libri ad suam dextram, procedit per planum usque ante medium Altaris. Facta ibi super infimum gradum genuflexione, ascendit ad Altare, in cujus medio deponit librum cum apertura versus cornu Epistolæ, et facta ibidem genuflexione, paululum recedit versus cornu Epistolæ, ibidem Celebrantem exspectans.

18. Lecto Evangelio, Celebrans illud non osculatur, nec dicit PER EVANGELICA DICTA, sed statim redit ad medium Altaris: Subdiaconus vero suppedaneum ascendit et collocat Missale prope medium Altaris. Tum Ministris genuflectentibus, Celebrans caput Cruci inclinat, *imponit incensum in thuribulum* ut ante Introitum, et omnes se gerunt, ut ibidem dictum est.

19. *Postea*, imposito scilicet incenso, omnes faciem convertunt ad Altare, et Celebrans ibi junctis manibus persistit: Ministri vero, facta genuflexione, descendunt; Subdiaconus videlicet in planum Capellæ tantillum versus cornu Evangelii; *Diaconus* vero ad secundum Altaris gradum, ubi *genuflexus* utroque genu *ante Altare* in ora suppedanei, in medio retro post Celebrantem, *dicit* inclinato capite, manibus ante pectus junctis, ac submissa voce MUNDA COR MEUM; quo dicto, ascendit ad dextram Celebrantis, genuflectit, *et accipiens librum Evangeliorum de Altari*, et illum tenens ut supra, *petit Benedictionem a Celebrante similiter genuflexus in superiori gradu Altaris*, dicens intelligibili voce JUBE DOMNE BENEDICERE. Celebrans vero, facta Cruci capitis inclinatione, manibus junctis, se convertit per suam dextram ad Diaconum, paululum se retrahens versus cornu Evangelii, et dicit DOMINUS SIT IN CORDE TUO etc. Cumque dicit IN NOMINE PATRIS, ET FILII, ET SPIRITUS SANCTI. AMEN. sinistra pectori admota, dextra signum Crucis versus Diaconum efformat, et mox dextram ipsam super librum extendit, ut eam Diaconus osculetur.

20. Diaconus, *osculata illius manu*, surgit et vertens se per suam sinistram, in planum tantillum versus cornu Epistolæ descendit, ubi simul cum Subdiacono a sua sinistra unum genu flectit in infimo Altaris gradu. Deinde Diaconus, tenens librum ut supra n. 17. vertit se per suam sinistram, et *præcedentibus Thuriferario, et duobus Acolythis* (Ceroferariis) *cum candelabris accensis de credentia sumptis, vadit cum Subdiacono a sinistris ad locum Evangelii contra Altare versus populum.* Subdiaconus itaque, facta cum Diacono genuflexione, per suam se vertens dextram, uno aut altero passu ab Altaris gradu recedit, ac exspectat Diaconum, ut ad latus ejus sinistrum se adjungat. Tum simul pergunt ad locum supradictum; et cum illuc pervenerint, Subdiaconus ita se collocat, ut sinistrum latus habeat Altare versus, et dextrum versus populum. Diaconus autem, stans latere dextro ad Altare, sinistro ad populum verso, librum ponit apertum in manus Subdiaconi.

Subdiacono librum ambabus manibus ad partem inferiorem ante oculos elevatum *tenente, medio inter duos Acolythos, tenentes can-*

delabra accensa, Diaconus *dicit* DOMINUS VOBISCUM, *junctis manibus. Interim Celebrans post datam Diacono Benedictionem*, et post factam Cruci debitam reverentiam, *retrahens se ad cornu Epistolæ*, ibidem facie ad Altare versa, exspectat, quousque Diaconus cantat DOMINUS VOBISCUM; tunc per suam sinistram vertit se ad illum, et *ibi stat junctis manibus* usque ad finem Evangelii.

21. *Cum* Diaconus *dicit* SEQUENTIA etc. aut INITIUM etc. *signat librum in principio Evangelii, frontem, os et pectus*, ut de Celebrante dictum est cap. II. § 4. n. 7. *Postea* a Thuriferario, a dextris ejus stante, accipit thuribulum et illud tenet, ut dictum est § 5. n. 16 et 17. præmissaque ad librum inclinatione, *ter librum incensat, hoc est, in medio, a dextris*, scilicet libri, quæ respectu Diaconi est sinistra, *et a sinistris*; deinde inclinatione repetita, thuribulum Thuriferario porrigit, *et prosequitur Evangelium junctis manibus*, versus librum caput inclinans, itemque genuflectens, cum opus fuerit.

22. *Et cum Diaconus dicit* SEQUENTIA SANCTI EVANGELII, *Sacerdos etiam signat se* in fronte, ore et pectore, *et cum nominatur* JESUS, *caput inclinat versus Altare;* ad alia vero nomina, ad quæ est inclinandum, id facit versus librum: cum genuflectendum est, Sacerdos versus Altare, Diaconus versus librum genuflectit, Subdiaconus vero immotus remanet.

23. *Finito Evangelio, Sacerdos osculatur librum a Subdiacono sibi delatum, dicens* PER EVANGELICA DICTA etc. *et a Diacono ter incensatur.* Cantato itaque Evangelio, Diaconus folium libri vertit, si initium in præcedente pagina habeatur; et Subdiaconus librum super brachium sinistrum declinat, sinistra manu tenens partem lateralem libri, dextra vero inferiorem. Mox Diaconus, sinistra super pectus posita, dextra indicat Subdiacono initium textus sacri, et parum se retrahens, facie versa ad Celebrantem, accipit thuribulum de manu Thuriferarii stantis a dextris ejus. Subdiaconus cum libro super brachium sinistrum posito ut supra, recta via, et absque ulla reverentia, ad Celebrantem accedit, et nihil dicens, dextra manu illi ostendit initium sacri textus cantati. Celebrans librum, a Subdiacono sustentatum, utraque manu sibi appropinquans, initium sacri textus

osculatur, et post osculum dicit PER EVANGELICA DICTA etc. Subdiaconus statim librum claudit, ac parum retrocedens, Celebranti caput profunde inclinat; dehinc facta ibidem Altari genuflexione, in planum descendit per gradus laterales Epistolæ, et librum defert ad credentiam. Postquam Celebrans librum osculatus fuerit, Diaconus eum, stantem manibus junctis, triplici ductu incensat, cum profunda capitis inclinatione ante et post; deinde thuribulum reddit Thuriferario.

24. Postea Celebrans redit ad medium Altaris, Ministri sacri vero, facta simul genuflexione, ut ante Evangelium n. præc. sistunt se ut § 6. n. 3.

25. Si vero Concio habenda sit, Celebrans post sui incensationem facta in medio Altaris Cruci reverentia, descendit in planum; Ministri sacri vero sistunt se in locis suis ante infimum gradum, simul genuflectentes in transitu ante medium Altaris. Deinde facta Altari reverentia ut in discessu, omnes ad Sacristiam vadunt, et post Concionem ad Altare revertuntur ut in accessu.

26. Si ipse Celebrans sit concionaturus in cathedra, deponit Planetam et Manipulum in Sacristia, vel in plano ad latus Epistolæ, si vero concionaturus sit in Altari, id perficiet omnibus paramentis indutus, et sedens ad cornu Evangelii super scabellum in suppedaneo collocatum. Hoc in casu Ministri sacri tempore Concionis sedent in scamno.

§ 7.

DE SYMBOLO USQUE AD PRÆFATIONEM.

1. *Postea*, nimirum post incensationem vel post Concionem Sacerdos, *stans in medio Altaris versus ad Crucem*, *incipit*, *si dicendum sit*, CREDO, *stantibus post eum Diacono et Subdiacono*, *deinde ad Altare accedentibus*, *et cum eo prosequentibus*, *ut dictum est ad* GLORIA IN EXCELSIS. Facta itaque ad ly DEUM cum Celebrante profunda capitis inclinatione, Ministri genuflectunt, ad Altare ascendunt, et agunt ut ad GLORIA IN EXCELSIS. Attamen dum genuflec-

tunt ad verba ET INCARNATUS EST etc. manus non ponunt super Altare.

2. Si, recitato Symbolo, sit sedendum, omnes agunt ut l. c. dictum est; similiter tantum caput profunde inclinantes ad verba ET INCARNATUS EST etc. usque ad CRUCIFIXUS ETIAM exclusive, præterquam in die Annuntiationis B. M. V. propria, vel, si transferatur Festum, in die translationis, in Missa Aurea, et in tribus Missis Nativitatis Domini, in quibus, licet sedeant, ad ista verba genuflectunt ante Altare, in infimo ejus gradu, cum profunda capitis inclinatione; et versiculo cantato, factaque Altari debita reverentia, Celebrans et Subdiaconus ad scamnum redeunt, ubi mox sedet Celebrans, Subdiaconus vero manet stans ante scamnum: interim Diaconus vadit ad credentiam, bursam sumpturus ut infra.

3. *Cum vero in Symbolo cantatum fuerit* ET INCARNATUS EST etc. surgit Diaconus, surgente etiam Subdiacono, qui aperto capite stat in loco suo usque ad reditum Diaconi, et *Diaconus*, facta Celebranti profunda capitis inclinatione, vadit ad credentiam, et *accepta bursa* cum Corporali *de credentia*, *ambabus manibus*, ita ut pollices et indices sint circa orbem, reliqui vero digiti subter bursam, *eam defert* usque ad oculos *elevatam* et quodammodo supinam cum apertura ad se conversa, atque *cum solitis reverentiis* id est, cum capitis inclinatione versus Celebrantem, si forte ante ipsum transeat, et unius genu flexione in infimo gradu ante medium Altaris. Erectus, ad Altare ascendit, et bursam portat *ad medium Altaris*, *in quo*, posita bursa super Altare et repetita junctis manibus genuflexione, *explicat Corporale*, collocata bursa, ut in Missa privata. Explicato Corporali, genuflectit, per viam breviorem redit ad scamnum et sedet, facta prius una cum Subdiacono Sacerdoti reverentia consueta; tunc etiam sedet Subdiaconus, et ambo caput tegunt. Choro cantante ET VITAM etc. surgunt omnes, et ad Altare redeunt, uti post Hymnum Angelicum.

4. Si non sedetur, Ministri manent ad latera Celebrantis; et paulo ante verba ET INCARNATUS EST, omnes, facta Altari debita reverentia, descendunt ad secundum gradum, et ad prædicta verba in ora suppedanei genuflexi, caput profunde inclinant. Postea Altare

conscendunt, et Diaconus, facta ibidem genuflexione, per viam breviorem vadit ad credentiam, bursam defert ad Altare et explicat Corporale. Choro cantante ET VITAM etc. Ministri descendunt ut ad GLORIA IN EXCELSIS.

5. *Cum non dicitur* CREDO, *Subdiaconus defert bursam simul cum Calice, ut infra dicetur.*

6. *Dicto* per Celebrantem OREMUS, *Diaconus et Subdiaconus*, facta cum Celebrante capitis inclinatione, genuflectunt, et, si Patena non sit tenenda a Subdiacono, ambo *accedunt ad Altare in cornu Epistolæ;* si vero Patena tenenda sit, Subdiaconus, facta genuflexione, pergit ad credentiam, accipit velum humerale ut infra, et per gradus laterales ascendit, seque sistit ad dextram Diaconi, stantis ad dextram Celebrantis. Dicto Offertorio, *Diaconus amovet Calicem, si est in Altari*, quem manu dextra ad nodum capiens, sinistra super velum posita, ante se collocat. Tum parvum velum, quo tectus est Calix, ambabus manibus aufert, et tradit illud secundo Ceroferario ad credentiam deferendum.

7. *Vel, si* Calix *est in credentia, ut magis decet*, facta genuflexione, solus Diaconus ad dextram Celebrantis ascendit, Subdiaconus vero ad credentiam pergit, ubi velum sericum oblongum a secundo Ceroferario circa humeros accipit; postea parvum velum a Calice amovet, et tradit illud secundo Ceroferario; deinde accipit Calicem et ad Altare defert ut n. seq.

8. Diaconus ad Subdiaconum Calicem afferentem conversus, velum humerale a Calice amovet, et *accipit eum* Calicem *de manu Subdiaconi, qui illum cum Patena et Hostia, coopertum palla et velo* humerali, *a collo sibi pendente*, sola scilicet veli extremitate, quæ a latere dextro pendet, coopertum, *manu sinistra tenens* ad nodum, *et alteram manum superponens velo, ne aliquid* de Calice *decidat*, per latus Epistolæ ad Diaconum *de credentia detulit, comitatus ab Acolytho*, id est, primo Ceroferario, *ampullas vini et aquæ portante.*

9. *Ipse Diaconus Calicem detegit, et dat Patenam cum Hostia Celebranti, osculando ejus manum*, hoc modo: Diaconus Calicem de manibus Subdiaconi acceptum ante se super Altare ponit. Tum, si Subdiaconus, eo quod Symbolum dictum non fuit, Calicem cum

bursa, pallæ superposita, ad Altare detulerit, Diaconus ambabus manibus accipit bursam et facit ut supra. Tum manu dextra accipit pallam et collocat ut in Missa privata. Deinde Patenam cum Hostia superposita utraque manu accipit, porrigitque Celebranti, cum osculo prius Patenæ, dein manus Celebrantis.

10. Si debeant consecrari Hostiæ in Pyxide, Sacrista Pyxidem ad Altare defert, paulo antequam Subdiaconus attulerit Calicem, et Diaconus eam aperit et collocat super Corporale, priusquam tradat Celebranti Patenam, et eamdem elevat parumper, dum Celebrans Hostiam offert, quo facto, Pyxidem deponit super Corporale et cooperit.

11. Celebrans, posita sinistra super Altare, dextra, quam prius Diacono osculandam offert, accipit Patenam et prosequitur ut in Missa privata: facta vero oblatione, Patenam, si a Subdiacono tenenda sit, totaliter extra Corporale ponit, et stat manibus junctis ante pectus.

12. *Subdiaconus* interim stat junctis manibus, et velo ab humeris pendente. Ubi vero Patena per Diaconum sublata fuerit, ipse, posita dextra super pectus, sinistra Calicem ad nodum accipit; dextra parvum cochlear deponit, et *extergit Calicem purificatorio.* Quo facto, Calicem super Altare deponit, et purificatorium juxta ejus nodum tenet, ut simul cum Calice a Diacono capiatur. *Diaconus* manu sinistra Calicem et purificatorium tenens, ut Sacerdos in Missa privata, manu dextra *accepta ampulla vini de manu Subdiaconi, imponit vinum in Calicem. Subdiaconus interim ampullam aquæ* a Ceroferario accipit, et post vinum a Diacono impositum, eam manu sua dextra tenens et *ostendens Celebranti*, sinistra pectori admota, et parum inclinato capite, *dicit* BENEDICITE, PATER REVERENDE, *qui*, sinistra super Altare posita, *facto* dextra *versus eam*, id est, versus aquam, *signo Crucis*, *dicit Orationem:* DEUS, QUI HUMANÆ etc. quam manibus ante pectus junctis prosequitur. *Interim Subdiaconus* ampullam aquæ sinistra capit, dextra congruam aquæ quantitatem cum cochleari sumit et *infundit paululum aquæ in Calicem.* Deposito cochleari super Altare, recipit ampullam vini de manu Diaconi, et utramque ampullam reddit Ceroferario.

13. *Diaconus* autem, detersis guttulis a labiis Calicis, si quæ sint, et dimisso purificatorio, quo Subdiaconus cochlear extergat, *illum*, id est, Calicem dextra capit ad cuppam, sinistra ad pedem, et *Celebranti dat*, illius pedem hujusque manum deosculans. Cum Celebrans more solito Calicem accipit et offert, Diaconus sinistram pectori admovet, *et* dextra *pedem Calicis tangens, seu brachium dextrum Celebrantis sustentans, cum eo dicit* OFFERIMUS TIBI, DOMINE etc. *Quem*, Calicem scilicet, *postea positum in Altari, ut supra* in Missa privata dictum est, Diaconus *palla cooperit*, et Celebrans interim extremitates digitorum utriusque manus super pedem Calicis ponit; quod, dum Calix cooperitur aut discooperitur, semper est observandum.

14. *Subdiacono deinde stanti* adhuc *in cornu Epistolæ* Diaconus *ponit in dextra* ejus *manu Patenam*, ita ut pars Patenæ concava Subdiaconum respiciat, *quam* Diaconus *cooperit extremitate veli ab ejus humero* dextro *pendentis.* Quo facto, Diaconus collocat purificatorium juxta Corporale, et Subdiaconus Patenam super pectus reclinat, et vertens se per suam sinistram *vadit post Celebrantem ante medium Altaris, et facta genuflexione* in infimo gradu, *ibi* ante medium prope Altaris gradum *stat, sustinens eam elevatam* sed non ultra faciem, sinistra brachium dextrum sustentante, *usque ad finem Orationis Dominicæ, ut dicetur;* nec amplius se movet, nisi in casibus notificandis suis locis.

15. *Dicto* VENI SANCTIFICATOR, *ut supra*, in Missa privata, *Celebrans, ministrante Diacono naviculam et dicente* BENEDICITE, PATER REVERENDE, *ponit*, ut supra in initio Missæ, *incensum in thuribulum, dicens* PER INTERCESSIONEM etc. *ut in Ordine Missæ;* ad verbum BENEDICERE, prævia manuum junctione, incensum benedicit.

16. *Deinde*, more solito, *accepto thuribulo per manum Diaconi, nullam tunc faciens Cruci reverentiam, incensat oblata, ter ducens thuribulum super Calicem et Hostiam simul in modum Crucis*, formando cum thuribulo lineas Crucis eodem modo, quo Oblata cum manu signantur. *Et* deinde ducit thuribulum *ter circum Calicem et Hostiam*, tres efformans circulos instar coronæ, *scilicet bis a dextra* sua *ad sinistram et semel a sinistra ad dextram* (*Diacono*

interim pedem Calicis tenente manu dextra, sinistra vero posteriorem Planetæ fimbriam circa dextrum humerum Celebrantis parum elevante) *dispensans verba in qualibet incensatione, hoc modo: in prima incensatione*, seu ad primam Crucem, dicit INCENSUM ISTUD; *in secunda*, A TE BENEDICTUM; *in tertia*, ASCENDAT AD TE, DOMINE; deinde *in quarta* incensatione, seu ad primum circulum, dicit ET DESCENDAT SUPER NOS; *in quinta et sexta*, MISERICORDIA TUA.

17. *Deinde, facta* a Celebrante et Diacono debita *reverentia, incensat Crucem et Altare, ut dictum est supra, assistente eodem Diacono, interim dicens* DIRIGATUR, DOMINE, ORATIO MEA etc. Quæ verba ita sunt distribuenda, ut simul cum Altaris incensatione finiantur. *Et cum incensatur*, seu incensanda est, *Crux, Diaconus* manu dextra, sinistra pectori apposita, priusquam genuflectit, *amovet Calicem ad partem Epistolæ*, non tamen extra Corporale; *et incensata Cruce*, priusquam iterum genuflectit, *reponit in loco suo.* Hæc Calicis amotio potest omitti, dum Celebrans genuflexus SS. Sacramentum expositum incensat.

18. Thurificatione peracta, Celebrans *cum reddit thuribulum Diacono, dicit* ACCENDAT IN NOBIS etc. *et incensatur ab eo.*

19. *Deinde Diaconus incensat Chorum*, hoc modo:

a) Post incensationem Celebrantis Diaconus, portans thuribulum, vadit per planum ante infimum gradum Altaris anteriorem in cornu Epistolæ, et facta ibidem in dicto gradu genuflexione, vertens se per suam sinistram, per cornu Epistolæ procedit ad Chorum.

b) Cum ad medium Chori pervenerit, salutat utrimque Chorales per profundam capitis inclinationem, primo a parte, in qua stat dignior ex præsentibus, deinde ab altera parte; et Chorales erecti et capite detecto Diaconum resalutant.

c) Tum, si dignior ex præsentibus sit aliquis Prælatus, ipsum triplici ductu incensat, facta ipsi profunda capitis inclinatione ante et post incensationem.

d) Si adsint plures Prælati, uti Minister Generalis in toto Ordine, Visitator Generalis in loco suæ visitationis, Provincialis in sua Provincia, Custos Regiminis in sua Custodia et Guardianus in suo

Conventu, primo digniorem ipsorum incensat ut ad litteram *c*); deinde reliquos Prælatos et Patres Perpetuos duplici dumtaxat ductu.

e) Dehinc incensat Cantores et Versicularios, si sint induti, item duplici ductu: proinde illi, si stent in stallis, tempestive sese conferant ad planum Chori, ubi in linea recta stantes, et saltem duobus passibus a pulpito remoti, incensantur hoc ordine: 1° primus Cantor, 2° secundus Cantor, 3° primus Versicularius, 4° secundus Versicularius. Sub hac incensatione Diaconus non se movet loco, sed stat ad pulpitum Cantorum, parum a medio remotus versus eam Chori partem, a qua postea incensatio continuanda est.

f) Post illos, vel, si nullus ex supranominatis adsit, statim post salutationem communem (litt. *b*) incensat reliquos in communi, hoc modo: stans in medio ante partem Chori, facta capitis inclinatione, ter ducit thuribulum, semel scilicet in medio, semel ad suam sinistram, et semel ad suam dextram. Deinde repetita capitis inclinatione, eodem modo partem non Chori incensat.

g) Diaconus, se vertens, numquam terga vertat Altari; et quotiescumque transit ante medium Altaris, in medio Chori genuflectit.

h) Incensatione peracta, fit salutatio, ut ad litteram *b*). Utraque hæc salutatio omittitur, quando Sanctissimum est expositum.

20. Deinde Diaconus per eamdem viam, qua venerat, id est, per cornu Epistolæ, ad Altare redit, *et* ibi in eodem loco, uti prius, facta genuflexione, *postremo* duplici ductu incensat *Subdiaconum Patenam tenentem*. Subdiaconus, Patenam ad pectus reclinans, cum Diacono super infimum gradum genuflectit, aliquantulum ad cornu Evangelii recedit, et a Diacono incensatur cum mutuis reverentiis ante et post incensationem. Tum ad locum suum redit, genuflectit et stat, ut prius.

21. *Et*, Subdiacono incensato, ipse *Diaconus* tradit a latere dextro thuribulum Thuriferario, ad secundum gradum ascendit, ante medium Altaris genuflectit, aliquantulum ad cornu Evangelii recedit, et convertens se ad cornu Epistolæ, *incensatur a Thuriferario* duplici ductu, cum mutuis reverentiis ante et post.

22. Demum Diaconus ante medium Altaris redit, genuflectit, et ibidem perstat usque ad finem Præfationis. Si autem folia sint

vertenda, statim post sui incensationem ascendit ad sinistram Celebrantis. *Et Thuriferarius postea incensat Acolythos et populum.*

23. *Celebrans, postquam incensatus fuerit* a Diacono, *lavat* non tantum extremitates pollicis et indicis, sed *manus* totas; *ministrantibus Acolythis ampullam aquæ cum pelvicula et manutergio.*

24. Ad ORATE FRATRES Subdiaconus, si Diaconus nondum sit reversus, Patena pectori applicata, Celebranti respondet.

§ 8.

DE PRÆFATIONE USQUE AD ORATIONEM DOMINICAM.

1. Celebrans, dictis Secretis, cum pervenerit ad conclusionem, id est, ad PER OMNIA SÆCULA etc. illam cantando profert; et Diaconus, si stet a sinistris Celebrantis, facta genuflexione, descendit ad secundum gradum; nam, *cum dicitur Præfatio, Diaconus et Subdiaconus stant retro post Celebrantem; et paulo antequam dicatur* SANCTUS, Subdiacono Patenam pectori admovente, genuflectunt, et *accedunt ad Altare*, ut § 6. n. 4. *ubi cum Celebrante* inclinati *hinc inde dicunt*, sed bassiori voce, SANCTUS etc. Ad BENEDICTUS se erigunt, *et* prosequuntur ea, *quæ sequuntur usque ad Canonem*, et, signante se Sacerdote, se etiam signat Diaconus, et etiam Subdiaconus, si Patenam non teneat.

2. *Deinde*, facta ab utroque genuflexione, Subdiaconus descendit ad locum suum, ubi stat, ut prius; *Diaconus* vero per suppedaneum *accedit ad sinistram Celebrantis*, et ibi, reiterata genuflexione, manet, *ei assistens*, et folia vertens, *dum dicitur Canon; nisi alius Sacerdos assistat; quia tunc ipse* Diaconus non genuflecteret cum Subdiacono, sed maneret in eodem cornu Epistolæ et *staret ad dextram* Celebrantis, *aliquantum* quidem *post Celebrantem*, manendo tamen in suppedaneo; *Subdiaconus vero tunc*, dum dicitur Canon, sive adsit Assistens, sive non, semper *stat post Celebrantem* ante infimum gradum Altaris.

3. *Ad finem Præfationis accenduntur duo saltem intorticia ab Acolythis, quæ extinguuntur post elevationem Calicis, nisi aliqui*

sint communicandi, et tunc extinguuntur post Communionem. In diebus autem jejuniorum, et in Missis pro Defunctis tenentur accensa usque ad Communionem. Vide § 14. n. 18. et seqq.

4. *Cum autem Celebrans dicit* QUAM OBLATIONEM etc. *Diaconus accedit ad ejus dextram*; cum reverentiis ut n. 2. Si adsit Pyxis Hostiolarum consecrandarum, eamdem aperit et collocat proximius Celebranti; *et*, ad vocem BENEDIXIT, ibi, ad dextram scilicet Celebrantis, *in superiori gradu Altaris genuflexus* utroque genu et junctis ante pectus manibus permanet; Celebrante genuflectente, ipse caput inclinat, et *cum Sacramentum elevatur*, dextra pectori applicata, sinistra *fimbrias*, id est, infimam posteriorem partem *Planetæ* in medio capiens, parumper *elevat*, eamque dimittit, antequam Celebrans genuflectat. *Et quando opus est*, id est, quando Celebrans a secunda genuflexione se erigit, ipse *se erigens*, Pyxidem, si adsit, cooperit et in pristino loco reponit, *Calicem discooperit*, et mox iterum genuflexus, ad elevationem Calicis similiter Planetam elevat; ac dum Celebrans Calicem demittit, assurgit, *et* suo loco depositum palla *cooperit*, *et cum Celebrante genuflectit.*

5. Cum Diaconus paulo ante Consecrationem genuflectit, etiam *Subdiaconus genuflectit in loco suo*, id est, super infimum gradum Altaris, in medio post Celebrantem. Antequam genuflectat, Patenam ad pectus demittit, eamque sic demissam tenet, donec Celebrans post elevationem Calicis surrexerit: tunc ipse se erigit, ac Patenam uti antea elevatam sustinet. Sub utraque Elevatione caput profunde inclinat.

6. *Thuriferarius genuflexus in cornu Epistolæ, ter incensat Hostiam, cum elevatur, et similiter Calicem, posito incenso in thuribulum absque benedictione.*

7. *Reposito Calice* per Celebrantem, et per Diaconum cooperto, *Diaconus redit ad librum* cum reverentiis ut n. 2. *nisi alius assistat*: tunc enim manet ad dextram Celebrantis, ut n. 2. *Cæteri surgunt, et stant in locis suis.*

8. Ad SUPPLICES TE ROGAMUS Diaconus non se inclinat; percutit tamen pectus ad NOBIS QUOQUE PECCATORIBUS. Vide § 4. n. 2.

9. *Cum Celebrans dicit* PER QUEM HÆC OMNIA etc. *Diaconus,*

facta Sacramento genuflexione, accedit ad dextram Celebrantis, et quando opus est, id est, quando Celebrans manum super pedem Calicis posuit, *discooperit Calicem, et cum Celebrante* genuflexus Sacramentum *adorat.* Cum dicitur: PER IPSUM ET CUM IPSO, retinet duobus digitis dextræ manus pedem Calicis; postea *similiter* Calicem *cooperit, et iterum* cum Celebrante *genuflectit*, et manet ibi, nisi vertendum sit folium libri, tunc enim cum solitis reverentiis vadit ad sinistram Celebrantis. *Cum* Celebrans *incipit* cantare hæc verba: PATER NÒSTER, *idem* Diaconus *vadit* ad secundum gradum *retro post Celebrantem, facta prius* ad latus Celebrantis *Sacramento genuflexione, ubi stat, dum dicitur Oratio Dominica.*

§ 9.

DE ORATIONE DOMINICA USQUE AD COMMUNIONEM.

1. *Diaconus* itaque *stans* in secundo gradu *retro post Celebrantem, cum in Oratione Dominica dicitur* ET DIMITTE NOBIS DEBITA NOSTRA, *facta ibidem* in primo gradu *genuflexione, vadit ad dextram Celebrantis; et Subdiaconus, circa finem Orationis Dominicæ*, id est, ad verba prædicta, *facta itidem*, simul cum Diacono *genuflexione, revertitur* cum Patena, quam ante genuflexionem ad pectus reclinavit, *ad Altare, et stans in cornu Epistolæ*, a dextris Diaconi, *porrigit, Patenam*, nondum detectam, *Diacono, qui eam discooperit*, ab ea removens velum. *Et* Patenam *purificatorio abstergens dat Celebranti, illius manum osculando*, hoc modo: velo remoto, de manu Subdiaconi Patenam dextra sua accipit; deinde eam sinistra, et purificatorium dextra accipiens, Patenam interius et exterius purificatorio abstergit. Demissa Patena super Altare, purificatorium ambabus manibus juxta Corporale reponit; tum ambabus manibus accipiens Patenam, illius partem exteriorem osculatur; deinde eam utraque manu super purificatorium erectam tenet, ita ut pars concava Hostiam respiciat. Sic Patenam tenens, osculatur manum Celebrantis, cum eam super Patenam ponit.

2. Diaconus deinde junctis manibus stat ad dextram Celebrantis,

[illegible] genuflexus est. *Discooperit et cooperit Calicem, et cum Celebrante* ante et post genuflexus Sacramentum *adorat.*

3. Subdiaconus, *reddita Patena, et deposito velo, quod ab humeris ejus removit,* ad dextram Diaconi *genuflectit, et* vertens se per suam sinistram, per gradus anteriores *descendit* in planum *retro post Celebrantem,* ubi cum Celebrante et Diacono genuflectit in infimo Altaris gradu, quando illi genuflectunt. *Et cum dicitur* PAX DOMINI, *iterum* ibidem *genuflectens, accedit ad sinistram Celebrantis,* ubi iterum cum Celebrante et Diacono post coopertum Calicem genuflectit.

4. Postea Diaconus et Subdiaconus parum inclinati, junctis ante pectus manibus, submissa voce, *et simul* cum Celebrante *dicunt* AGNUS DEI, QUI TOLLIS PECCATA MUNDI. Dum autem prima vice dicunt MISERERE NOBIS, sinistra infra pectus posita, extremitate dexterae, extensis et unitis omnibus digitis, ac parum incurvatis, pectus percutiunt ad verba: MISERERE NOBIS. Postea non jungunt manus, neque dextram super Altare ponunt, sed eam ita tarde et graviter movent, ut iterum tangant pectus, dum secundo dicunt MISERERE NOBIS, quod et tertio faciunt ad verba: DONA NOBIS PACEM. *Deinde* Subdiaconus, junctis manibus et *facta ibidem Sacramento genuflexione,* statim *redit post Celebrantem* in planum.

5. *Diaconus vero* simul cum Subdiacono genuflectens, *a dextris genuflexus* manet, *exspectat pacem, et cum Celebrans osculatur Altare, ipse se erigens,* manibus ante pectus junctis, *simul* cum Celebrante *osculatur illud extra Corporale, et a Celebrante, dicente* PAX TECUM, *complexus* inter humeros et cubitos (in quo complexu sibi caveat Sacerdos, ne digitis, quibus Sacramentum attigit, vestes Diaconi attingat) *accipit pacem,* manibus suis Celebrantis cubitis suppositis, et *sinistris genis sibi invicem appropinquantibus et ei respondet* ET CUM SPIRITU TUO, ante et post amplexum manibus junctis Celebranti caput profunde inclinans. *Postea* Diaconus conversus ad Altare, *iterum Sacramento in Altari adorato* per genuflexionem, descendit ante infimum gradum, *vertit se ad Subdiaconum,* stantem *retro post Celebrantem,* facie vero versa ad Diaconum, *et similiter dat ei pacem* ut supra.

6. *Subdiaconus, accepta pace a Diacono, cum ipso locum permutat, et facta Altari* simul cum Diacono a sua sinistra in infimo gradu *genuflexione, comitatus ab Acolytho*, id est, Thuriferario, *vadit* ex cornu Epistolæ *ad Chorum, et dat pacem primo cujusque ordinis, dignioribus prius, deinde minus dignis*, non tamen singulis; sed tantum, postquam dedit pacem Prælatis et Cantoribus indutis, dat ab utroque latere digniori, qui dignior eamdem vicino suo, et ille suo, et sic consequenter usque ad ultimum. Cantores et Versicularii observent ea, quæ dicta sunt § 7. n. 19. *e*). Cantores dent pacem Versiculariis.

7. Qui dat pacem, dicit PAX TECUM; et nemini caput inclinat, nisi post pacem datam; qui recipit, respondet ET CUM SPIRITU TUO, et tam ante quam post inclinat caput, plus minusve pro respectiva dignitate. De salutatione communi vide ibid. *h*).

8. *Et* Subdiaconus per cornu Evangelii *reversus ad Altare, facta genuflexione* in infimo gradu ante medium Altaris, vertit se facie versus cornu Evangelii, et *dat pacem Acolytho, qui ipsum comitaverat, qui et aliis Acolythis circa Altare dat pacem.*

9. *Deinde Subdiaconus*, repetita in eodem loco genuflexione, *vadit ad dextram Celebrantis, et quando opus est, discooperit Calicem*, cum Celebrante et Diacono gennflectit, *accipit ampullam vini* de manu Ceroferarii, *et infundit, quando Celebrans vult purificare.* Deinde sinistra accipit ampullam aquæ, et cum debitis reverentiis vinum et aquam infundit.

10. *Diaconus post datam pacem Snbdiacono*, et facta cum ipso (n. 6.) genuflexione, *vadit ad librum*, cum Celebrante genuflectit, et cum Celebrans solus dicit DOMINE, NON SUM DIGNUS, ipse Diaconus, mediocriter inclinatus, percutit pectus, ut ad AGNUS DEI, et mox se erigit: quod et Subdiaconus facit, si, data pace, tempestive adsit, aut si, in casu quo pax non datur choro, statim post acceptam pacem et genuflexionem (n. 6.) ad dextram Celebrantis ascenderit. *Et dum Celebrans* sub utraque specie *se communicat, stant ipse* Diaconus a sinistris, *et Subdiaconus* a dextris, *profunde inclinati versus Altare*, et post sumptionem singulæ sacræ speciei se erigunt.

11. Si vero Subdiaconus tempestive non redierit ad ministrandas ampullas, tunc Diaconus cum debitis genuflexionibus accedit ad dextram Celebrantis, et facit illa, quæ forent a Subdiacono peragenda, postea ad sinistram Celebrantis reversurus.

§ 10.

DE COMMUNIONE USQUE AD FINEM MISSÆ.

1. Celebrans, post sumptam ablutionem abstersis labiis, purificatorium super os Calicis, in medio Corporalis positi, extendit, et Subdiacono operam relinquens extergendi et componendi Calicem, se confert ad cornu Epistolæ, lecturus Antiphonam, quæ dicitur *Communio*.

2. Redditis a Subdiacono ampullis vini et aquæ, *Diaconus* accipit pulpitum cum Missali, et vertens se per suam dextram, incedit per secundum gradum anteriorem, et genuflectens ante medium Altaris in gradu superiori, *defert librum Missalis ad cornu Epistolæ.* Locato Missali, descendit ad secundum gradum lateralem, ostendit Celebranti Antiphonam legendam, et *deinde* per eumdem gradum *vadit retro post Celebrantem.* Lecta Communione, vadit cum Celebrante ad medium Altaris, ut § 6. n. 2. *Subdiaconus vero*, redditis ampullis, et manibus junctis, vertit se per suam sinistram, et una cum Diacono ab Altari discedens, per gradus anteriores descendit in planum. Ibidem ante medium Altaris in infimo gradu, genuflectente Diacono, ipse genuflectens, *vadit* per gradus anteriores *ad cornu Evangelii, ubi Calicem mundat, aptat cum purificatorio,* cochlear superponit, *Patena et palla cooperit, plicat Corporale, reponit in bursam, et illam ponit super Calicem, coopertum velo,* quod a secundo Ceroferario de credentia allatum est; *quem* Calicem sic instructum *collocat in Altari vel super credentia, ut prius,* facta genuflexione in infimo gradu ante medium Altaris.

3. *Postea*, id est, Calice in credentia deposito, Subdiaconus *redit ad locum suum retro post Diaconum*, vel Celebrantem, absque genuflexione, si iste adhuc est in cornu Epistolæ, et ibi stat ut ad

Orationes ante Epistolam. Si vero Diaconus jam sit in medio Altaris, Subdiaconus, rediens a credentia, genuflectit in infimo gradu ante medium Altaris.

4. Post DOMINUS VOBISCUM, et sub Orationibus Ministri observent ea, quæ dicta sunt § 6. n. 8. Orationibus finitis, Diaconus vadit ad dextram Celebrantis et claudit librum, nisi ex eo legendum sit alterum Evangelium, tunc enim illud requirit, et omnes ad medium Altaris regrediuntur, ut § 6. n. 2.

5. Dicto DOMINUS VOBISCUM, Diaconus genuflectit, et per suam dextram se vertit ad populum, ita ut, si Sanctissimum non sit expositum, terga vertat Celebranti; sicque stans, manibus junctis, cantat ITE, MISSA EST. Quo cantato, et non prius, Celebrans se cum Diacono vertit ad Altare. Diaconus vero aliquantulum se retrahit ad cornu Epistolæ, et mox etiam Subdiaconus, facta genuflexione, ad secundum gradum ascendit aliquantulum ad cornu Evangelii, et ambo in supremo gradu utrumque genu flectunt, dum Celebrans osculatur Altare.

6. Si vero cantandum sit BENEDICAMUS DOMINO vel REQUIESCANT IN PACE, Diaconus non vertit se ad populum, sed illa cantat facie versa ad Altare; et cantato BENEDICAMUS DOMINO, Diaconus cum Subdiacono genuflectit ante medium Altaris et uterque se sistit ut n. 5.

Dum cantatur a Diacono BENEDICAMUS DOMINO vel REQUIESCANT IN PACE, Celebrans eadem verba submissa voce dicere debet; nihil vero dicit, dum cantatur ITE, MISSA EST.

7. *Et in Quadragesima*, id est, a Feria quarta Cinerum, usque ad Feriam quartam majoris Hebdomadæ inclusive, in Missis de Feria, *dicto per Celebrantem* OREMUS, pro Oratione super populum, *Diaconus* stans retro post Celebrantem *in cornu Epistolæ*, et ibidem, sine genuflexione, per suam sinistram *vertens se ad populum*, junctis manibus demissisque ad terram oculis, *dicit ut supra*, in Missa privata, HUMILIATE etc. *Quo dicto*, *vertit se* iterum per eamdem viam *versus Altare a tergo Celebrantis*, *et Celebrans dicit Orationem super populum*. Qua finita, faciunt ut n. 4.

8. Dicto ITE, MISSA EST, vel, BENEDICAMUS DOMINO, et recitata

Oratione: PLACEAT TIBI, SANCTA TRINITAS, *Celebrans eadem voce et modo, quo in Missis privatis, semel tantum benedicit populo;* sub qua Benedictione omnes Ministri ad Altare, et omnes præsentes in Choro, in suis locis genuflexi utroque genu, se signant signo Crucis a fronte ad pectus. Vide tamen cap. IV. § 10. n. 23.

9. Benedictione accepta, omnes surgunt, et Subdiaconus per secundum gradum accedit ad sinistram Celebrantis; Diaconus vero suppedaneum ascendit, et manet in cornu Epistolæ; et omnes cum Celebrante se signant, caput inclinant et genuflectunt.

10. Si legendum sit alterum Evangelium ex Missali, tunc cantato ITE, MISSA EST, Subdiaconus genuflectit, ascendit per gradus anteriores, et per eosdem transfert librum ad cornu Evangelii, genuflectens in infimo gradu ante medium Altaris. Collocato Missali ut ad primum Evangelium, descendit ad secundum gradum, ut n. 5.

11. *Et dicto Evangelio secundum Joannem, vel alio, ut supra,* in Missa privata, *ministrante Subdiacono librum, si opus est,* et responso a Subdiacono DEO GRATIAS, Subdiaconus ascendit suppedaneum, et claudit librum, si adsit. Tum Sacerdos, reversus ante medium Altaris, Diaconus a dextris et Subdiaconus a sinistris ejus, Altari debitam faciunt reverentiam. Deinde vertentes se more consueto, descendunt in planum Capellæ, et facta Altari reverentia, a Celebrante ut in Missa privata, a Ministris per genuflexionem, ut § 5. n. 7. omnes caput tegunt, et Celebrans ad Sacristiam *discedit cum Ministris ordine et modo quo venerat.*

12 Si Cantores et Versicularii induti fuerint, sub ultimo Evangelio vadunt ad gradum Presbyterii, et immediate ante Subdiaconum ad Sacristiam redeunt.

13. Cum ad Sacristiam pervenerint, Cruci faciunt reverentiam ut in egressu; reverentiam vero erga invicem etiam discooperto capite.

14. Vestes sacras exuunt ut in Missa privata dictum est. Subdiaconus, deposita Tunicella, aperto capite vadit ad credentiam, Calicem ad Sacristiam cum debitis reverentiis delaturus, quem post depositum Amictum suppellectili suo exuit, et in loco suo reponit. Ministeriis suis absolutis et lotis manibus, omnes in pace recedunt.

§ 11.

DE ASSISTENTE IN MISSA SOLEMNI.

1. Assistens dicitur Sacerdos aliquis, qui Amictu, Alba et Pluviali indutus, Celebranti præter Ministros ordinarios assistit et ministrat.

2. Non datur talis Assistens in Missa solemni, nisi Prælatis majoribus, Generali nempe, Provinciali et Custodi Regiminis, nec non novis Sacerdotibus, primitias suas solemniter Deo oblaturis.

3. Assistentis cura præcipua est, Missam totam prævidere, ac signacula suis locis componere, ut accurate et opportune Celebranti demonstrare valeat, quæ ex libro legenda vel cantanda sunt.

4. Pro Assistente ponuntur in Sacristia paramenta sacra a dextris Celebrantis, pro Diacono autem et Subdiacono a sinistris. Advertat autem Assistens, ne Pluviale accipiat, antequam Celebrans sit Casula indutus.

5. Facta ab omnibus reverentia debita, Assistens procedit ad Altare a dextris Diaconi, vel, si spatium non permittat, post ipsum immediate ante Celebrantem.

6. Cum ad Altare pervenerint, sistit se Assistens ad dextram, Diaconus ad sinistram Celebrantis, et Subdiaconus ad sinistram Diaconi. Detecto capite, genuflectit in plano cum Ministris, et usque ad ascensum ad Altare omnia observat, ac si ut Diaconus ministraret.

7. Postea omnes eodem ordine Altare ascendunt, et facta genuflexione, Assistens retrahens se versus librum, locum inter se et Celebrantem cedit Diacono, qui naviculam ministraturus, transit ad dextram Celebrantis, ubi repetita genuflexione, omnia peragit, ut in Missis ordinariis.

8. Dum thus imponitur, Assistens tantisper faciem vertit ad Celebrantem. Imposito thure, cum aliis genuflectit, Missale cum pulpito apprehendit, et se vertens per suam dextram, cum illo descendit in planum a latere Epistolæ; ubi Missale ambabus manibus sustinens ante pectus, stat facie parumper ad Altare versa, donec mensa Altaris in latere Epistolæ incensata fuerit. Dum Celebrans

incipit redire ad medium Altaris, ipse reascendit, reponit librum, genuflectit dum alii faciunt reverentiam debitam, et redit in planum. Dum Celebrans incensatur a Diacono, ipse stat a dextris Diaconi, ante Thuriferarium.

9. Celebrante incensato, ascendit ad secundum gradum inter Celebrantem et Diaconum, stantem tunc in infimo gradu, et manu præmonstrat Celebranti Introitum, se signans et inclinans cum Celebrante: quod per totam Missam observet, cum Celebrans se signat aut inclinat, aliquid proferens voce non secreta. Postea cum Ministris respondet ad KYRIE ELEISON; non autem a latere Epistolæ discedit, sed cum Celebrans ad medium Altaris cum aliis regreditur, ipse ascendit suppedaneum, et locum relinquens Diacono postea adventanti, stat ad librum, et cum aliis recitat Hymnum Angelicum, solitis cum inclinationibus et signo Crucis.

10. Si fiat sessio, facta in suppedaneo genuflexione, vertens se per suam dextram, sequensque Diaconum, via breviori pergit ad suum scabellum, ita positum a dextris Diaconi, ut sedens faciem tantillum habeat versus Celebrantem, et directe Altari minime renes obvertat. Ibi assidet capite cooperto, quod tamen discooperiet et inclinabit prout Celebrans.

11. Sub finem Hymni, detecto capite, cum aliis ad Altare revertitur, ubi a dextris Diaconi stans locum transeundi concedit Celebranti, genuflectit cum Diacono in infimo gradu, Altare cum Celebrante ascendit et sistit se ante Missale. Si non fiat sessio, manet ad Missale.

12. Dicto DOMINUS VOBISCUM, descendens ad secundum gradum lateralem, Celebranti ostendit Orationem vel Orationes dicendas, nec non Epistolam, (post quam respondet DEO GRATIAS) Graduale et alia dicenda, cum Celebrante caput inclinans et genuflectens. Necesse non est, ut pro foliis vertendis de uno ad aliud latus Celebrantis transeat.

13. Dum cantatur Epistola, Diaconus manet retro post Celebrantem; eaque finita, Assistens retrocedens locum cedit Subdiacono, manum Celebrantis osculaturo. Tum Assistens accipit Missale, transit ante Diaconum per secundum gradum, genuflectit in supremo gradu ante medium Altaris, et illud transfert ad cornu Evangelii.

Subdiaconus statim post librum traditum primo Ceroferario, per planum vadit ad medium Altaris, et ibi in infimo gradu facta genuflexione, per gradus anteriores accedit ad cornu Evangelii, ubi stat in ora suppedanei, quasi medius inter Celebrantem et Assistentem, attamen paulo post eos. Assistens stans in secundo gradu laterali, Celebranti initium Evangelii ostendit, ei respondet et folia vertit. Diaconus interim agit ut § 6. n. 16. et 17.

14. Lecto Evangelio, ascendit suppedaneum, aptat Missale prope medium Altaris, et exspectat, facie ad Altare conversa, et a sinistris Subdiaconi. Sub impositione thuris tantisper faciem vertit ad Celebrantem. Thure imposito, genuflectit, et descendit in planum a latere Evangelii.

15. Cum Diaconus incipit cantare Evangelium, per suam dextram se vertit cum Celebrante ad Diaconum, se signans, inclinans et genuflectens sicut Celebrans.

16. Incensato post Evangelium Celebrante, Assistens suppedaneum iterum ascendit, et CREDO, si dicendum sit, Celebranti ostendit. Dein parum deflectens ad cornu Evangelii, locum præbet Subdiacono, et simul cum aliis Symbolum recitat, quo recitato, sedet ut supra. Dum Diaconus defert bursam, non assurgit, nec caput detegit. Sub finem Symboli ad Altare rediens, pertransit usque ad cornu Evangelii, Diacono et Subdiacono locum transeundi ei concedentibus, et ibi a sinistris Subdiaconi facta genuflexione, accedit ad librum, indicans suo tempore quidquid Celebrans dicere debebit. Si non fiat sessio manet ad librum, sed ad verba: ET INCARNATUS EST genuflectit ad sinistram Subdiaconi.

17. Post incensata Oblata genuflectentibus Ministris, Assistens genuflectit, removet librum retrahendo se extra cornu Evangelii, et illo cornu incensato, librum reponit, genuflectit et perstat in suppedaneo.

18. Finita per Diaconum in Choro incensatione, ab eodem Assistens stans in suppedaneo, paululum ad Diaconum conversus, duplici ductu incensatur ante Subdiaconum.

19. Ad SANCTUS locum cedit Subdiacono, accedenti ad sinistram Celebrantis, cum quo se inclinat et signat.

20. Ad verba: QUI PRIDIE genuflectit utroque genu, cum capitis inclinatione ad elevationem utriusque speciei; et se erigit cum Celebrante, dum hic post Calicis depositionem a genuflexione surgit: et deinceps usque ad Communionem, genuflectente Celebrante, etiam ipse genuflectit.

21. Ad NOBIS QUOQUE PECCATORIBUS pectus percutit. Ad PAX DOMINI locum cedit Subdiacono, et simul cum aliis dicit AGNUS DEI. Postmodum facta cum Ministris genuflexione, hi descendunt ad locum suum retro post Celebrantem; Assistens vero accedit ad dextram Celebrantis, ubi, cum Oratio: DOMINE JESU CHRISTE plerumque sit absoluta, genuflectit, et erectus manibus junctis ante pectus, cum Celebrante osculatur Altare et accipit pacem more solito. Tum iterum genuflectit; et vertens se per suam sinistram, vadit ad Diaconum in secundo gradu, et dat ei pacem. Mox Assistens descendit in planum, et facta in infimo gradu genuflexione, more solito in Choro pacem distribuit. Diaconus vero, accepta pace, genuflectit in supremo gradu, vertit se per suam sinistram, descendit in planum et dat pacem Subdiacono. Deinde, facta genuflexione ut in aliis Missis, Diaconus ascendit ad sinistram, Subdiaconus vero ad dextram Celebrantis.

22. Assistens per cornu Evangelii reversus ad Altare, genuflectit in infimo gradu ante medium Altaris, vertit se facie versus cornu Evangelii, et dat pacem Cæremoniario, si adsit, et Thuriferario. Mox repetita genuflexione, ascendit ad librum a sinistris Diaconi.

23. Si non adsint Cantores, vel Chorus, ad quos pax feratur, Assistens, data pace Diacono; et facta in supremo gradu cum Diacono genuflexione, accedit ad librum, ubi stat, ut numero sequenti dicitur: interim Diaconus dat pacem Subdiacono: Subdiaconus vero Cæremoniario, si adsit, et etiam Thuriferario.

24. Ad DOMINE, NON SUM DIGNUS, et ad Communionem se gerit prout Diaconus. Si distribuenda sit Eucharistia, retrahit se ad cornu Evangelii extra saltem supremum gradum et ibi genuflexus manet, donec omnes fuerint communicati.

25. Facta ablutione digitorum, Diaconus genuflectit et redit ad

locum suum post Celebrantem: Assistens vero, cui Diaconus locum cedit, transfert librum ad cornu Epistolæ.

26. Post Orationes suppedaneum ascendit, claudit librum, et ibi manet facie ad Altare versa, donec ITE, MISSA EST cantatum est; tunc descendit et genuflectit utroque genu, medius Diaconum inter et Subdiaconum, sub Benedictione se signans sicut alii. Si vero aliud quam S. Joannis Evangelium legendum sit, prius librum transfert.

27. Accepta Benedictione Assistens se gerit ut Subdiaconus in aliis Missis; Subdiaconus vero ut ad primum Evangelium.

28. Evangelio finito et facta genuflexione, Assistens vadit ad dextram, Diaconus vero ad sinistram Celebrantis. Tum facta ab omnibus reverentia debita, descendunt in planum, et ibidem repetita reverentia, ad Sacristiam revertuntur, eodem modo et ordine, quo venerunt.

29. Si Missa celebretur coram Sanctissimo exposito, Assistens, quoad capitis detectionem et genuflexiones in primo accessu et ultimo recessu, se gerit prout alii. In Missa genuflectit, quando omnes simul genuflectunt, excepto quando tenet librum sub incensatione Altaris.

§ 12.

DE CÆREMONIARIO.

1. Cæremoniarius, qui in præcipuis tantum solemnitatibus adhibetur, sit Sacerdos, in ministerio ecclesiastico versatus, sacrarumque actionum et Rituum scientia non leviter instructus.

2. Generaliter notetur: *a*) determinatus locus ei assignari nequit, quia debet omnia ordinare, omnes et singulos de minima etiam actione peragenda præmonere, et curare, ut Cæremoniæ ab omnibus adamussim observentur. Unde locus, qui in sequentibus ei assignatur, non ita stricte accipiendus est, sed prout Cæremonario opportunus visus fuerit. *b*) Ducens vel reducens aliquem vel aliquos, ipsos ab eorum sinistris parum præcedat, et ad locum, ad quem accedunt, ante se transire sinat. *c*) Ad aliquem accedens, et etiam,

si aliqua mora intercedat, v. g. tradens vel recipiens librum, ab eo discedens, huic caput inclinet plus minusve pro personæ qualitate. *d*) Capitis inclinatio non tantum est signum reverentiæ, sed etiam actionis exercendæ; quandoque tamen pro sua discretione etiam manu dextra aut submissa voce quælibet agenda demonstrare potest. *e*) Curet omnia peragere cum gravitate et congruenti mora et decoro corporis gestu, adeo ut cæteris devotionem et reverentiam inspiret.

3. Lotis manibus, superpelliceum aliis venustius induit, et diligenter dispicit, an omnia sint suo quæque loco parata et congrue disposita.

4. Omnibus rite compositis, dat signum e Sacristia egrediendi, et, facta debita reverentia, manibus ante pectus junctis, et detecto capite, immediate ante Subdiaconum progreditur ad Altare.

5. Cum ad Altare pervenerint, ipse sistit se in medio ante Altare, et facta genuflexione, ducit Cantores, si adsint, ad loca propria. Reversus ad Altare, genuflectit utroque genu in plano a dextris Diaconi, vel Assistentis, cum Ministris se signans et caput inclinans.

6. Dicto a Celebrante OREMUS, Cæremoniarius surgit, et cum aliis Altare ascendit. Facta genuflexione, se sistit a sinistris Diaconi, dum thus imponitur; deinde Missale amovet, ut dictum est de Assistente. Si vero adsit Assistens, Cæremoniarius in Altaris thurificatione Celebrantem comitatur a dextris diaconi. Dum incensatur Celebrans, Cæremoniarius stat a tergo Subdiaconi, ad sinistram Thuriferarii.

7. Postea ascendit ad secundum gradum lateralem, ante Diaconum, non tamen ei terga vertit; et indicat Introitum Celebranti, cum eo se signans et inclinans. Si vero adsit Assistens, stat post ipsum Assistentem. Cum a Choro ultimum decantatur KYRIE, omnibus dat signum accedendi ad medium Altaris.

8. Tunc suppedaneum ascendit, locum relinquens Diacono vel etiam Assistenti, et cum aliis recitat Hymnum Angelicum.

9. Si sit sedendum, facta genuflexione, ducit Celebrantem et Ministros ad scamnum paratum. Dato sedendi signo, sedet et ipse

a sinistris Subdiaconi, super scabellum, ita positum, ut a Celebrante et Ministris Cæremoniarius videri possit.

10. Dum a Choro cantantur illa verba, quæ inclinationem exigunt, dat signum caput detegendi et inclinandi. Circa finem ultimi versus surgit, singulis dat signum assurgendi, et per planum reducit eos ad Altare, ubi in cornu Epistolæ stans, locum transeundi eis concedit.

11. Deinde facta genuflexione in plano, per planum accedit ad secundum gradum in latere Epistolæ, et Celebranti Orationes ostendit et folia vertit, si nimirum desit Assistens; illo enim præsente, stat ad ejus dextram in tertio gradu. Diaconus interim stat retro post Celebrantem.

12. Si non sit sedendum, manet ad Altare a dextris Diaconi vel Assistentis, et cantato Hymno, descendit ad secundum, vel tertium gradum ut n. 11.

13. Incepta ultima Oratione, accedit ad credentiam, accipit librum Epistolarum, quem tenens ad latera cum apertura ad suam sinistram, tradit Subdiacono. Mox accedens ad sinistram Subdiaconi, ducit illum ad medium Altaris, ubi facta cum eo genuflexione, reducit illum ad cornu Epistolæ, et manet a sinistris ejus dum cantat Epistolam. Qua expleta, rursum ducit Subdiaconum ad medium Altaris, et ibi repetita genuflexione, ipsum ducit ad Celebrantem: non tamen Altare ascendit, sed manet in plano, renibus ad populum versis, et ibi postea librum a Subdiacono debitis cum reverentiis recipit.

14. Dum Celebrans incipit legere Evangelium, Cæremoniarius adhuc stans in eodem loco, tradit librum Diacono: non tamen eum comitatur ad medium Altaris, sed per gradus laterales ascendit ad dextram Diaconi.

15. Ad impositionem thuris assistit, prout ante Introitum. Thure benedicto, descendit in planum ante medium Altaris, et postea Ministros ducit ad locum, ubi Evangelium cantatur. Mox transiens post Subdiaconum et Diaconum, sistit se a sinistris Diaconi, tantillum post ipsum, et facie versa ad Subdiaconum, se signans cum Diacono, et inclinans genuflectensque versus Altare.

16. Cantato Evangelio, Cæremoniarius comitatur Subdiaconum usque ad gradus Altaris, genuflectit in medio et transit ad cornu Epistolæ, ubi exspectat Diaconum, ut librum ab eo recipiat et ad credentiam reportet.

17. Si sedeatur sub Symbolo, cantato ET INCARNATUS EST, surgens dat signum Diacono accedendi ad credentiam, ubi eidem bursam porrigit, et statim revertitur ad scabellum suum. Reverso Diacono, et facta cum Ministris Celebranti reverentia, sedet ut prius. Circa finem Symboli surgit, et pertransiens usque ad cornu Evangelii, facta a sinistris Subdiaconi genuflexione, accedit ad librum. Si vero adsit Assistens, stat in cornu Epistolæ, (ut n. 10.) et per idem ascendit Altare.

18. Si non sedeatur, post genuflexionem ad ET INCARNATUS EST, ascendit suppedaneum, et repetita genuflexione, ducit via breviori Diaconum ad credentiam, et ei bursam porrigit. Mox per eamdem viam ad cornu Epistolæ redit, et sub finem Symboli recedentibus Ministris, ipse transiens post Subdiaconum, vadit ad librum. Si vero adsit Assistens, manet in cornu Epistolæ.

19. Post incensationem Altaris stat ad librum, et ibi manet usque ad SANCTUS; si vero adsit Assistens, Cæremoniarius se sistit in cornu Epistolæ et ibi manet usque post AGNUS DEI.

20. Thurificato Diacono, Cæremoniarius a Thuriferario duplici ductu incensatur in loco, ubi reperitur.

21. Post dictum cum Celebrante SANCTUS, si est ad librum, (Cfr. n. 19) se confert ad cornu Epistolæ, locum mutando cum Diacono, et ad QUAM OBLATIONEM iterum redit ad librum. Tempore Consecrationis genuflectit donec Celebrans Calicem super Corporale deponat; tunc se erigit, et peracta cum Celebrante et Diacono genuflexione, accedit iterum ad cornu Epistolæ, reversurus ad librum, cum Celebrans dicit PER QUEM HÆC OMNIA. Si vero adsit Assistens, semper manet in cornu Epistolæ, ut dictum est; et tempore Consecrationis genuflectit ut Assistens.

22. Post AGNUS DEI descendit in planum, et comitatur Assistentem, si adsit, ad Chorum. Regressus ad Altare, pacem ab Assistente accipit, et ascendit ad cornu Epistolæ. Si vero non adsit

Assistens, Cæremoniarius non comitatur Subdiaconum ad Chorum, sed ab eo, ad Altare reverso, pacem accipit et Altare ascendit.

23. Accipit, ut cæteri Benedictionem, genuflexus a dextris Diaconi, ad cujus dextram etiam stat, dum legitur ultimum Evangelium.

§ 13.

DE THURIFERARIO.

1. Thuriferarius tempestive præparat thuribulum, et naviculam incensi ad credentiam portat. Vide § 2. n. 3. et § 3. n. 2. Lotis manibus, et amictus superpelliceo, Celebrantem se induentem adjuvat.

2. Paratis omnibus necessariis, stans a tergo Celebrantis, cum aliis facit reverentiam, (§ 5. n. 1.) et portans thuribulum, ante omnes egreditur ad Altare. Si vero non portat thuribulum, egreditur post Ceroferarios.

3. Cum ad Altare pervenerit, sistit se in medio, retro post Celebrantem, quem, deposito prius thuribulo, adjuvat in Amictu disponendo. Mox cum Ceroferariis genuflectit, accipit thuribulum, et genuflectit utroque genu in medio Ceroferariorum, sed parum versus cornu Epistolæ.

4. Peracta Confessione, quando Celebrans Altare conscendit, Thuriferarius surgit, accedit cum thuribulo ante infimum gradum Altaris, et facta ibidem in plano genuflexione simul cum primo Ceroferario, naviculam portante, pari passu cum eodem ascendit ad gradum secundum; ubi stans, capite parum inclinato, thuribulum offert Celebranti hoc modo: tenens manu sinistra majorem thuribuli annulum, manu dextra alterum annulum capit, et operculum sursum trahit, hujusque catenulam etiam manu sinistra sustinet. Tum catenulas circa medium earum inter operculum et thuribulum manu dextra complectens, offert thuribulum æqualiter elevatum ad naviculæ altitudinem. Si vero SS. Sacramentum est expositum, genu utroque flexus thuribulum offert: quod etiam semper observandum in expositione et repositione SS. Sacramenti.

5. Incenso benedicto, thuribulum claudit, et per secundum gradum

incedens, accedit ad dextram Diaconi, ipsi thuribulum traditurus hoc modo: catenularum summitatem manu sinistra tenet, ut eam ponat in dextra Diaconi; earum vero extremitatem dextra manu apprehendit, ut eamdem in Diaconi sinistra collocet. Notari hic juvat, quod, si Thuriferarius cuidam incensaturo thuribulum debeat præbere, contrario modo tunc illud porrigat; videlicet manu sua dextra catenularum summitatem ponit in sinistra recipientis; sinistra vero sua in recipientis dextra earum extremitatem collocat.

6. Tradito thuribulo Diacono, Thuriferarius, aliis genuflectentibus, genuflectit, Missale cum pulpito accipit, et per suam dextram se vertens, per gradus laterales in planum descendit, ibique ambabus manibus Missale ante pectus sustinens, stat, facie parum ad Altare versa. Dum Celebrans incipit redire ad medium Altaris, ipse reascendit, reponit Missale, genuflectit cum aliis, et redit in planum a latere Epistolæ. Si vero adsit Presbyter assistens aut Cæremoniarius, tunc Thuriferarius, tradito thuribulo et facta genuflexione ut supra, statim se vertens per suam dextram, in planum descendit ad idem latus Epistolæ, exspectans incensationis exitum.

7. Dum Celebrans incensatur, stat Thuriferarius ad dextram Diaconi, sed aliquantulum post ipsum; incensato autem Celebrante, ab eodem dextro latere Diaconi accipit thuribulum, et redit ad sinistram primi Ceroferarii, thuribulo in loco congruo ad latus Epistolæ reposito.

8 Si fiat sessio sub Hymno Angelico, facta genuflexione ante medium Altaris, sequitur primum Ceroferarium, vadit retro post scamnum et advertit, ne Celebrans super Casulam sedeat. Finito Hymno, Celebrantis Amictum disponit, et facta genuflexione ante medium Altaris, ad locum suum revertitur, ibique stat ut prius. Ad Orationes stat vel genuflectit prout Chorus.

9 Dum canitur Epistola, præparat thuribulum, et lecto a Celebrante Evangelio, illud offert ut supra.

10. Imposito et benedicto incenso, Thuriferarius, vertens se per suam dextram, descendit in planum ante medium Altaris, tribus circiter passibus ab Altaris gradibus remotus, et facta ibidem genuflexione, erectus exspectat Ceroferarios. Postea genuflectentibus

Diacono et Subdiacono, ipse iterum genuflectit, medius inter Ceroferarios, quos mox præcedit ad locum, ubi Evangelium cantari solet. Quo cum accesserit, sistit se a tergo Diaconi, cui post verba SEQUENTIA etc. a latere ejus dextro thuribulum porrigit. Deinde recepto thuribulo, collocat se post Diaconum, facie ad librum versa, ubi thuribulum lente agitat, caput inclinans et genuflectens versus Altare, cum opus fuerit.

11. Cantato Evangelio, thuribulum tradit Diacono, illudque post incensationem Celebrantis ab eo recipit, a latere ejus dextro. Postea facta genuflexione ante medium Altaris, redit ad locum suum.

12. Si ad Symbolum fiat sessio, observat ea, quæ dicta sunt n. 8. Ad verba ET INCARNATUS EST etc. semper utrumque genu flectit, sive Celebrans sedeat, sive non.

13. Cum Celebrans offert Hostiam, Thuriferarius præparat thuribulum, et dicto VENI SANCTIFICATOR, illud offert ut supra. Tradito thuribulo, statim vertens se per suam sinistram, per gradus anteriores descendit in planum, et facta ibidem ante medium Altaris genuflexione, per planum vadit ad latus Evangelii, amovetque Missale simili modo ac n. 6.

14. Postquam per gradus laterales iterum descenderit in planum, vertit se per suam dextram, ne terga vertat Altari, incedit per planum, genuflectit ante medium Altaris, et vadit ad latus Epistolæ, ubi se sistit ut n. 7. Si vero adsit Presbyter assistens, aut Cæremoniarius, tunc Thuriferarius, tradito thuribulo, facit uti dictum est n. 6.

15. Postea, facta Altari genuflexione retro post Diaconum, ante eumdem per cornu Epistolæ pergit ad chorum, et ibi se sistit post Diaconum, cum eo utrimque Chorales salutans, ante et post incensationem Chori. Vide § 7. n. 19. *b*) et *h*). Dum Diaconus incensat, Thuriferarius manet in suo loco, sed, genuflectente Diacono, ipse etiam genuflectit.

16. Incensatione Chori peracta, iterum præcedens Diaconum, per eamdem viam ad Altare redit, et ibi facta genuflexione, stat ad dextram Diaconi, sed paulo post ipsum, dum incensatur Subdiaconus. Recepto postmodum thuribulo, Diaconum duplici ductu incen-

sat, ante et post caput illi inclinans. Mox incensat Cæremoniarium pariter duplici ductu. Tum conversus ad Ceroferarios, unumquemque eorum unico ductu thurificat. Deinde facta genuflexione ante medium Altaris, vertit se, et stans prope aditum Presbyterii aut Chori, populum triplici ductu incensat; nimirum in medio, a parte Epistolæ et a parte Evangelii, ante et post caput mediocriter inclinans. Si vero SS. Sacramentum sit expositum, populum incensans, non stat in medio, sed a latere Epistolæ, ne omnino terga vertat Sacramento. Post populi incensationem iterum genuflectit Altari, et vadit ad locum consuetum, vel ad Sacristiam, ignem præparaturus.

17. Dicto SANCTUS, Thuriferarius cum thuribulo et navicula incensi, antecedens eos, qui intorticia gerunt, vadit ante Altare, ibique tribus circiter passibus ab Altaris gradibus facta cum aliis genuflexione, surgit et genuflectit utroque genu in plano prope infimum gradum ante cornu Epistolæ.

18. Ad verba HANC IGITUR Thuriferarius ponit incensum in thuribulum absque Benedictione. Ad Elevationem ter incensat Hostiam et Calicem, scilicet dum Celebrans genuflectit, dum Sacramentum elevat, et dum iterum genuflectit. Ante et post utramque incensationem caput profunde inclinat. Deinde surgit, et peracta genuflexione, thuribulum ad Sacristiam vel locum ordinarium reportat, statim ad locum suum rediturus. Si vero post Missam Benedictio danda sit cum SS. Sacramento, ignem præparatum teneat.

19. Pro pace in Choro danda, facta Altari genuflexione, comitatur Subdiaconum vel Assistentem, et sistit se ut supra n. 15. Si vero simul cum Assistente adsit Cæremoniarius, tunc Thuriferarius Assistentem non comitatur. Vide § 12. n. 22.

20. Deinde Subdiaconum vel Assistentem per cornu Evangelii ad Altare reducit; ubi facta a sinistris ejus, sed in plano genuflexione, pacem ab eo accipit. Mox repetita genuflexione, pacem dat Ceroferariis; (nisi sint impediti) prius dat pacem secundo, deinde primo Ceroferario, genuflectens dum transit ante medium Altaris.

21. Ad Orationes stat vel genuflectit prout Chorus. Ad Benedictionem utrumque genu flectit in loco suo, ac se signat. Cfr. § 10. n, 8.

22. Lecto Evangelio, ad quod se signat, inclinat et genuflectit sicut Celebrans, se confert ante medium Altaris, ubi facta cum aliis genuflexione, ad Sacristiam redit. Vide n. 2. Sub precibus, si quæ recitandæ sint, sistit se in loco suo consueto.

23. In Sacristia reverentiam facit ut n. 2. et deposito superpelliceo, culpam agnoscit et benedicitur, uti de Ministro Missæ privatæ dictum est.

24. Demum notandum, quod, si Ceroferarii aliquo ministerio sint impediti, (§ seq. 14. n. 19.) eorum vices supplere debeat Thuriferarius, v. g. capiendo velum humerale Subdiaconi sub finem Orationis Dominicæ; ampullas vini et aquæ ministrando pro purificatione et ablutione etc.

Vide etiam § *De ordine genuflectendi* etc.

§ 14.



DE CEROFERARIIS.

1. Duo Ceroferarii sint, quantum fieri potest, statura pares; et, si Fratres laici hoc munere fungantur, insuper sint ejusdem Regulæ, nimirum 1æ vel 3æ.

2. Lotis manibus, superpelliceum induunt, et præparant credentiam et Altare, ut præscribitur § 2. n. 3. et 8.

3. Primus Ceroferarius accendit in Sacristia candelas, quæ sunt in candelabris Ceroferariorum. Idem adjuvat Diaconum, secundus vero Subdiaconum, dum hi sacris vestibus se induunt.

4. Omnibus paratis, sua candelabra sumunt, quæ semper ita deferunt, ut primus, qui a dextris secundi incedere debet, manum sinistram ponat ad pedem candelabri, dextram vero ad medium candelabri globum; secundus vero e converso collocet dextram ad pedem, sinistram ad globum. Tum facta cum aliis reverentia, (§ 5. n. 1.) procedunt aut sequuntur Thuriferarium; (§ præc. 13. n. 2.) et cum pervenerint ad Sanctuarium, observant ea, quæ dicta sunt § 5. n. 6.

5. Cum ad Altare pervenerint, scilicet primus ad cornu Epistolæ,

secundus ad cornu Evangelii, statim candelabra sua super infimum Altaris gradum deponunt, et primus Diaconum, secundus Subdiaconum adjuvat in Amictibus disponendis. Quo facto, ad candelabra redeunt, et cum aliis faciunt reverentiam Altari, sed semper per genuflexionem in plano, et junctis ante pectus manibus.

6. Facta reverentia, candelabra reassumunt, quæ cum candelis accensis deponunt in credentiæ angulis posterioribus. Advertat autem secundus Ceroferarius, (et etiam primus in casu simili) ne, dum solus cum candelabro transit ante medium Altaris, ibidem aliquam reverentiam faciat, sed recto tramite pergat. Dum pervenit ad locum alterius in cornu Epistolæ stantis, ambo simul procedunt ad credentiam, ubi primus candelabrum suum ponit ad latus Altari proximius, secundus vero ad latus ab Altari remotius.

De SS. Sacramento exponendo vide suo loco.

7. Depositis in credentia candelabris, vadunt ante medium Altaris; ibique facta genuflexione, primus tendit ad cornu Epistolæ, secundus ad cornu Evangelii, et facie ad Altare conversa, genuflectunt utroque genu, tribus circiter passibus ab Altaris gradibus remoti. Hic est locus eorum ordinarius, in quo manibus junctis ante pectus, regulariter stant erecti, et semper immoti, sive Celebrans sit in medio, sive in cornu Altaris.

8. Peracta Confessione, quando Celebrans Altare conscendit, Ceroferarii surgunt; secundus in loco suo stat erectus; primus vero cum navicula de credentia sumpta, accedit ante infimum gradum Altaris, et facta ibidem in plano a dextris Thuriferarii genuflexione, pari passu cum ipso ascendit ad secundum gradum, ubi stans naviculam semiapertam tradit Diacono. Si SS. Sacramentum sit expositum, genu utrumque flectit. Vide § præc. 13. n. 4.

9. Recepta navicula, Ceroferarius vertens se per suam sinistram, descendit in planum, ibique ante infimum gradum facta genuflexione, naviculam ad credentiam reportat, et statim ad locum suum ordinarium redit.

10. Si fiat sessio sub Hymno Angelico, Ceroferarii vadunt ad medium Altaris, et facta ibidem genuflexione cum Thuriferario in medio eorum, procedunt ad scamnum. Præcedit primus, qui sistit

se post Diaconum; sequitur Thuriferarius, post quem venit secundus, qui se collocat post Subdiaconum, et posteriorem partem Dalmaticæ et Tunicellæ post scamni tergum deponunt. Finito Hymno, Ministrorum Amictus disponunt, et facta ut prius genuflexione ante medium Altaris, ad sua loca ordinaria redeunt, ibique ad Orationes stant vel genuflectunt prout Chorus.

11. Dum Celebrans incipit ultimam Orationem, deficiente Cæremoniario, primus Ceroferarius accedit ad credentiam et accipit librum Epistolarum, quem tenens ad latera cum apertura ad suam sinistram, tradit Subdiacono, faciens eidem profundam capitis inclinationem, ante et post libri traditionem. Deinde ad locum suum redit. Cum Subdiaconus, cantata Epistola, accipit Benedictionem, idem Ceroferarius sistit se a latere Epistolæ in plano, et ibidem cum reverentiis ut supra, librum a Subdiacono recipit; manetque in eo loco, ut librum Evangeliorum eodem modo tradat Diacono. Quo facto, accipit naviculam, quam, lecto a Celebrante Evangelio, ministrat ut supra.

12. Recepta navicula, primus Ceroferarius descendit cum Thuriferario, ad cujus sinistram accedit secundus Ceroferarius; et simul facta genuflexione, Ceroferarii ad credentiam vadunt, candelabra sua capiunt et collocant se hinc inde a latere Thuriferarii.

13. Facta ibidem una cum aliis genuflexione, Ceroferarii conjuncti Thuriferarium sequuntur ad locum, ubi Evangelium cantari solet; ibique facie ad Diaconum conversa, primus a dextris, secundus a sinistris Subdiaconi consistunt, candelabra sua sustinentes, usque ad finem Evangelii, quin se signent, inclinent aut genuflectant.

14. Cantato Evangelio, Ceroferarii accedunt ante medium Altaris, et facta ibidem genuflexione, candelabra ad credentiam reportant. Tum ante medium Altaris revertuntur, genuflectunt et ad loca sua redeunt.

15. Si ad Symbolum fiat sessio, observant ea, quæ dicta sunt n. 10. Ad verba ET INCARNATUS EST etc. semper utrumque genu flectunt, sive Celebrans sedeat, sive non.

16. Cantato OREMUS ante Offertorium, Ceroferarii, facta genuflexione ante medium Altaris, antecedunt Subdiaconum ad creden-

tiam. Secundus Ceroferarius velum humerale imponit Subdiacono, a quo acceptum velum Calicis plicat et super credentiam collocat. Idem faciendum, si Calix foret in Altari. Quo facto, ad credentiam persistit, facie versa ad Altare. Subdiaconum cum Calice ad Altare redeuntem sequitur primus Ceroferarius, portans ampullas vini et aquæ, quas suo tempore eidem tradit sine osculis. Ampullis ad credentiam reportatis, acceptam naviculam more solito ministrat; et ad credentiam reversus, ibidem cum socio suo perstat, dum incensatur Altare. Ampullas portans, in accessu et recessu unum genu flectit in plano, si SS. Sacramentum sit expositum.

17. Celebrante incensato, Ceroferarius primus cum ampulla aquæ super pelviculam, et secundus, a sinistris ejus, cum manutergio ad secundum Altaris gradum ascendunt, (aut in plano manent, si SS. Sacramentum sit expositum) ibique stantes Celebranti ministrant, aquam super manus fundendo et manutergium præbendo, cum inclinatione capitis ante et post. Recepto manutergio, si stent in secundo gradu, faciem ad invicem vertentes, descendunt, et rebus suis super credentiam depositis, factaque genuflexione ante medium Altaris, ad loca sua ordinaria revertuntur, ubi deinceps a Thuriferario incensantur, cui ante et post caput inclinant. Primus Ceroferarius secum portat campanellam.

18. Dicto SANCTUS, faciunt genuflexionem ante medium Altaris, et vadunt ad locum, ubi posita sunt intorticia; (§ 2. n. 7.) eademque accensa capiunt, et sequentes Thuriferarium, se conferunt ante Altare, intorticia manu extima portantes. Facta ibidem a lateribus Thuriferarii et simul cum eo unius genu flexione, mox, Thuriferario propius ad Altare accedente, ipsi in eodem loco flectunt utrumque genu. Curet quoque primus Ceroferarius, ut campanulam secum habeat. Sic porro genuflexi manent usque post Calicis elevationem; tunc quippe assurgunt, et repetita genu unius flexione, intorticia reportant et extinguunt. Deinde ante medium Altaris revertuntur, et facta genuflexione, ad loca ordinaria redeunt, ubi stant erecti.

19. In Missis vero, in quibus sacra Communio est ministranda, nec non in Missis Feriarum Adventus, Quadragesimæ, Quatuor Temporum, et Vigiliarum cum jejunio, tametsi ex dispensatione

non jejunetur; (excepta Vigilia Paschatis, et Pentecostes, ac Nativitatis Domini, et Quatuor Temporibus Pentecostes) item in Missis Defunctorum, manent genuflexi, intorticia accensa tenentes, usque ad sumptionem SS. Sanguinis inclusive, vel usque dum distributa sit Communio. Vide § præc. 13. n. 24.

20. In Festis præcipuis, maxime si adsint Versicularii superpelliceis induti, adhiberi possunt quatuor vel sex Religiosi intorticia gerentes. Si ex postica Altaris parte in Presbyterium veniant, egrediuntur cum intorticio in manu extima per utrumque Altaris latus, divisi in æquali numero unus post alium, dignioribus præcedentibus. Sin autem aliunde illuc veniendum sit, tunc incedunt bini et bini, minus dignis præeuntibus. Cum ad medium Presbyterii devenerint, facta simul unius genu flexione in recta linea, ibidem genuflectunt, sic tamen ut digniores sint medio Altaris viciniores. Qui sunt in cornu Evangelii, intorticia tenent manu sinistra; qui vero in cornu Epistolæ manu dextra illa sustinent. Facta autem Elevatione, vel distributa Communione, surgunt, et facta unius genu flexione, abeunt conjuncti vel divisi prout venerunt, minus dignis præcedentibus.

21. Sub finem Orationis Dominicæ, primus Ceroferarius accedit ad latus Epistolæ, et facta ibidem in plano genu unius flexione, ascendit ad secundum gradum lateralem, et capit utraque manu velum humerale Subdiaconi, illudque portans descendit, iterum genuflectit, et velo super credentiam deposito, ad locum suum redit. Vide § præc. 13. n. 24.

22. Discooperto Calice et facta a Celebrante genuflexione ante sumptionem SS. Sanguinis, primus Ceroferarius vadit ad credentiam, accipit pelviculam cum ampullis vini et aquæ, et facta genuflexione in plano, ascendit ad secundum gradum, ibidemque stans, suo tempore ampullas Subdiacono (vel Diacono § 9. n. 10.) porrigit. Quibus postea receptis, vertens se per suam dextram, descendit, eas sine genuflexione (nisi SS. Sacramentum sit expositum) ad credentiam reportat, et deinde ad locum ordinarium redit.

23. Interim secundus Ceroferarius, facta ante medium Altaris genuflexione, vadit ad credentiam, et accipit velum Calicis plicatum.

tiam. ... am, facta simul cum Diacono et
a ... genuflexione, incedit per planum,
Id... undum gradum ascendit, velumque
... Altaris deponit. Quo facto, des-
... (nisi SS. Sacramentum sit expositum)
... ad locum suum revertitur.
... umque genu flectunt in loco suo, ac se

... vel precum, si quæ recitandæ sint,
... medium Altaris, ad credentiam vadunt, can-
... iis sistunt se ad latera Thuriferarii; ubi
... Altari per genu unius flexionem, eodem
... istiam revertuntur. Ibidem a tergo Minis-
... antes, debitam faciunt reverentiam, et candela-
... pristinum.
... Ceroferarius ad Altare redit, et candelas
... in parte Epistolæ ab illa, quæ est a Cruce
... eodem modo in parte Evangelii. Tandem om-
... absolutis et depositis superpelliceis, culpam agnos-
... a Celebrante Benedictione in pace recedunt.
... *De ordine genuflectendi* etc.

CAPUT IV.

DE QUIBUSDAM MISSIS PRIVATIS ET SOLEMNIBUS IN PARTICULARI.

§ 1.

DE MISSIS VOTIVIS.

Missa votiva stricte dicta, de qua sola hic agitur, est illa, quæ ... extra ordinem Officii diei, quin a Rubricis præscribatur. ... vel *solemnis* vel *privata*.

2. *Solemnis* est illa, quæ pro re gravi vel publica Ecclesiæ causa, ex indictione aut licentia Ordinarii solemniter decantatur. Observandus est sensus peculiaris, qui hic tribuitur voci *solemnis*. Non enim hæc Missa dicitur *solemnis*, præcise quia in ea servantur omnes Ritus Missæ solemnis, sed a circumstantia, in qua celebratur.

3. Requiritur ergo: *a*) causa gravis et publica, quæ saltem notabilem communitatis partem concernit; *b*) licentia vel indictio Ordinarii; *c*) solemnitas, id est, ut in cantu celebretur, cum Ministris sacris, vel sine eis, si haberi nequeant.

4. Capitula Generalia et Provincialia pro electione Superiorum Ordinis vel Provinciæ censeri queunt gravis causa et sufficiens canendi Missam votivam de Spiritu sancto; ea quippe ad plurium familiarum Religiosarum bonum maxime conducunt.

5. Missa hæc cantari potest singulis diebus; exceptis Festis Duplicibus 1. Classis, Dominicis item 1. Classis, Feria quarta Cinerum, tota Majori Hebdomada, et Vigiliis Nativitatis Domini et Pentecostes. Si hisce diebus Missa hujusmodi celebranda foret, dicenda erit de Officio currenti, ejusque Orationi principali adjungenda est Oratia Missæ votivæ impeditæ sub una conclusione, licet aliæ adhuc Orationes dicendæ sint sub altera conclusione.

6. Missa votiva *privata* est illa, quæ celebratur ex particulari privatorum voluntate, vel ex præscripto quidem Ordinarii, sed non pro causa gravi et publica, sive solemniter cantetur, sive privatim legatur.

7. Ut liceat celebrare Missam hujusmodi, requiritur causa rationabilis; dicit enim Rubrica Generalis Tit. IV. n. 3. *Id vero passim non fit, nisi rationabili de causa. Et quoad fieri potest: Missa cum Officio conveniat.*

8. Missa hæc celebrari nequit diebus Dominicis, Festis Duplicibus, infra Octavas Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Paschatis, Pentecostes et Corporis Christi, item in Vigiliis Nativitatis Domini, Epiphaniæ et Pentecostes, Feria quarta Cinerum et tota Majori Hebdomada.

9. Apud Nos vero, ex speciali Apostolico indulto (5. April. 1856.) singuli Sacerdotes, nostro Ministro Generali subjecti, possunt celebrare Missam votivam de Immaculata Conceptione B. M. V. in

Ecclesiis proprii Ordinis, quolibet die Sabbatho, exceptis tamen Sabbathis solemnioribus, primæ scilicet ac secundæ Classis, et privilegiatis juxta Rubricas.

10. Missæ votiva dici non potest de Beatis nondum Canonizatis, nisi id expresse concedatur. Neque dici potest de Tempore, nec de Mysteriis vel Festivitatibus Domini aut B. M. V. præter illa, quorum Votivæ in fine Missalis assignantur, vel specialiter indultæ sunt, uti quandoque in Missali insinuatur.

11. Celebrari vero potest de omnibus Sanctis, de quorum Canonizatione constat vel ex Martyrólogio, vel aliunde, vel quorum nomina occurrunt in Litaniis Omnium Sanctorum.

12. Quando ergo dicenda est hæc Missa de Sancto, cui votiva non assignatur, sumitur Missa de Festo, si etiam extra diem Festi servatur veritas in verbis, aut servari potest, pauca omittendo vel mutando. Cfr. dicta cap. II. § 3. n. 2. *b*). Si vel Tractus, vel Graduale etc. non habeantur in Proprio, sumuntur de Communi, prout tempori congruit. Ea vero, in quibus veritas commode obtineri non potest, de Communi sumuntur.

13. Si tempore Paschali celebranda sit Votiva SS. Martyrum, quorum Festum extra tempus Paschale colitur, sumitur ex Communi pro tempore Paschali, et econtra, semper tamen retentis iis, quæ sunt propria ipsorum Missæ.

14. Si dicenda sit Votiva B. M. V. vel alterius Sancti in die, in qua de eis fit Officium ratione Festi vel Octavæ, celebranda est Missa de Festo vel de Octava tamquam non votiva, nempe cum Commemorationibus, GLORIA, CREDO et Evangelio proprio in fine, prout ipsa Missa diei exigit. Si vero de eis non fiat Officium, uti evenit, quando infra Octavam de alio Sancto fit Officium, Missa quidem erit de Octava, sed more votivo, id est, sine CREDO et semper cum consueto Evangelio S. Joannis in fine; sed tamen cum GLORIA propter Festivitatem.

15. QUOAD HYMNUM ANGELICUM. In *Votivis solemnibus* (vide supra n. 2.) semper dicitur GLORIA; nisi celebrentur in paramentis violaceis.

In *Votivis privatis*, quantumvis solemniter etiam cantatis, num-

quam dicitur GLORIA, nisi *a*) in Votivis B. M. V. si celebrentur in Sabbatho, quamvis non fiat Officium de B. M. V. *b*) in Votivis de Angelis, uno vel pluribus, quocumque die celebrentur; *c*) in Votivis Sanctorum, qui in Officio diei solam habent Commemorationem, ut S. Lucius in Officio S. Casimiri, 4. Martii; et *d*) in Votivis, de quibus dictum est n. 14.

16. QUOAD ORATIONES. *In Missis votivis, quando solemniter dicuntur pro re gravi, vel pro publica Ecclesiæ causa*, regulariter *dicitur una tantum Oratio*, absque ulla Commemoratione Officii occurrentis, dum nempe, præter Missam votivam, alia Missa Conventualis cantetur vel saltem legatur. Vide etiam cap. II. § 3. n. 3.

In Missa vero solemni *pro gratiarum actione*, dicenda de SS. Trinitate, vel de Spiritu sancto, vel de B. M. V. Orationi Missæ votivæ adjungitur Oratio: DEUS, CUJUS MISERICORDIÆ etc. sub una conclusione; uti habetur in Missali post Missam votivam de SS. Trinitate. Cfr. L. c. n. 5. *d*).

17. In Votivis privatis, quamvis etiam solemniter celebrentur, vel ex privilegio in Duplicibus dicantur, quemadmodum apud Nos Votiva de Immaculata Conceptione, (n. 9.) saltem tres Orationes recitandæ sunt: prima scilicet de ipsa Missa votiva; secunda de Officio diei; tertia, quæ in Missa de die foret secundo loco adjungenda. Si vero in Officio diei plures factæ sint Commemorationes speciales, illæ omnes eodem ordine dicendæ sunt in Missa votiva; post quas aliæ Orationes addi possunt ad libitum Celebrantis, dummodo tamen simul junctæ septenarium numerum non excedant. Quod si Sacerdos Orationibus præscriptis alias Orationes superaddere velit, curet ut Orationes simul junctæ sint numero impares. Si vero Orationes præscriptæ numerum parem efficiant, Sacerdos non tenetur aliquam Orationem addere, ut numerus impar fiat. Vide etiam cap. II. § 3. n. 2.

18. Excipitur: *a*) Missa votiva B. M. V. in qua 3ª Oratio semper dicitur de Spiritu sancto, si nempe nulla in Officio facta fuerit Commemoratio; *b*) Votiva S. Petri Apostoli tantum, vel S. Pauli, in qua 2ª Oratio dicitur de alterutro, et 3ª de Officio diei; *c*) Votiva utrique Apostolo communis, in qua, eo tempore, quo po-

nenda est Oratio A cunctis. In hujus loco dicitur Oratio B. M. V. Concede nos, ut in ejus Votivis, ac his fit mentio SS. Petri et Pauli; *d)* Votiva *pro gratiarum actione*, in qua 2a oratio est de Officio diei, 3a seu ultima post alias Commemorationes speciales, sed ante Orationes imperatas. Oratio: Deus, cujus misericordiæ.

19. Quoad Sequentiam. In Votivis, tam solemnibus, quam privatis, numquam dicitur Sequentia, sine speciali indulto.

20. Quoad Symbolum. In Votivis solemnibus semper dicitur Credo, nisi adhibendus sit color violaceus: in Dominica vero semper dicitur, etiamsi adhibendus sit color violaceus.

In Votivis autem privatis semper omittitur, quantumvis solemniter cantentur.

21. Quoad Præfationem. In omnibus Votivis, tam solemnibus quam privatis, quocumque tempore celebrentur, dicitur Præfatio propria, si adsit, etiam infra Octavam Nativitatis. Si vero Votiva propriam Præfationem non habeat, dicitur de Octava, propriam habente, si Votiva infra hujusmodi Octavam celebretur. Si nulla Octava occurrat, dicenda est Præfatio de tempore, propriam habente. Extra hos casus semper dicitur Præfatio communis.

Notandum hic venit, quod in Votivis B. M. V. (extra Octavas ejusdem) in Præfatione semper dicitur: Et te in veneratione. Nihil vero obstare videtur, quin in Votiva privilegiata Immaculatæ Conceptionis (n. 9.) dicatur: Et te in Conceptione Immaculata.

22. Quoad Communicantes et Hanc igitur. Hæ Orationes, Octavis aliquorum Mysteriorum propriæ, leguntur in omni Missa votiva, quæ infra easdem Octavas celebratur; etiamsi adhibeatur Præfatio propria Missæ votivæ.

23. Ite, missa est dicitur in quibuscumque Votivis, in quibus dictum est Gloria in excelsis; alias semper dicitur Benedicamus Domino, in quocumque colore celebretur.

24. In fine cujuscumque Votivæ semper legitur Evangelium S. Joannis: In principio

25. Quoad cantum et colorem. In Missis votivis solemnibus Præfatio et omnia alia solemniter sunt peragenda; Votivæ vero privatæ, si cantentur, in tono feriali cantandæ sunt. Excipi tamen

potest casus, quo magna cum solemnitate extrinseca celebratur, v. g. in Primitiis Neomystæ.

In Missis votivis, quocumque tempore celebrentur, tales adhibendi sunt colores, quales adhiberi oportet in ipso Festo, de quo Votiva celebratur. Vide etiam Rubr. Gen. Missalis Tit XVIII. n. 5.

26. Quoad Missas votivas, cantandas durante tempore Precum Quadraginta Horarum, (cap. VI. § 8. n. 11.) observanda sunt ea, quæ in qualibet Diœcesi præscripta sunt.

27. Missa, vulgo *Aurea* dicta, ex immemorabili consuetudine in aliquibus locis solemniter cantatur Feria quarta Quatuor Temporum Adventus. Pro hac Missa sumitur Votiva de B. M. V. tempore Adventus: RORATE, cum GLORIA et CREDO, absque ulla Commemoratione. Vide n. 16. Cfr. etiam n. 14.

§ 2.

DE MISSIS DEFUNCTORUM.

1. Quatuor Missæ pro Defunctis in Missali assignantur. Prima dicitur: *a*) in Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum, tam in Missa solemni quam in privatis; excepta Missa Conventuali de officio currenti, et Exequiali, corpore præsente, quæ est ut in die Obitus; *b*) item in Commemoratione Omnium Fratrum etc. quando dicitur Officium generalissimum, cum Oratione DEUS, VENIÆ; *c*) in Exequiis, die Tertio, Septimo, Trigesimo et Anniversario Summi Pontificis, Cardinalium, Episcoporum et Sacerdotum, cum Oratione ut infra; pro Sacerdotibus vero etiam dici potest Missa, quæ secundo loco ponitur. Secunda dicitur in Exequiis, die 3. 7. et 30. Clericorum aliorum, et Laicorum. Tertia dicitur in die Anniversaria Clericorum et Laicorum. In die Anniversaria Sacerdotum potest dici hæc vel prima, Quarta, quæ quotidiana vocatur, dicitur extra dies enumeratos pro quocumque Defuncto, vel quibuscumque Defunctis, cum una vel pluribus Orationibus ut infra.

2. Privilegia Missarum *de Requiem* sunt diversi gradus, de quibus vide Auctores et Statuta diœcesana.

3. Cum primum accipitur nuntium de obitu alicujus Fratris, qui in loco dissito decessit, pro eodem cantari potest Missa *de Requiem*, ut in die Obitus seu Depositionis, in omnibus Ecclesiis Ordinis vel Provinciæ, prima die non impedita post nuntium acceptum. Dies impeditæ sunt: Festa Dupl. 1. et 2. Classis, omnes dies Dominicæ et Festivæ de præcepto, Octavæ privilegiatæ, Feria quarta Cinerum, tota Hebdomada sancta, Vigiliæ Nativitatis Domini et Pentecostes, et dies illæ, quibus Sanctissimum est expositum occasione Orationis 40 Horarum et Adorationis perpetuæ, vel similis expositionis solemnioris.

4. Missæ quotidianæ Defunctorum prohibentur omnibus diebus, quibus prohibentur Missæ votivæ privatæ, nisi adsit indultum Apostolicum.

5. Sacerdos, habens Officium Duplex, aut æquivalens, licet 1. vel 2. Classis, et celebrans in aliena Ecclesia, ubi celebratur Festum permittens Missas votivas et *de Requiem*, potest ibidem legere Missam *de Requiem*, quando nempe ad illam Ecclesiam venerit, ibidem Missam privatam celebraturus occasione solemnium Exequiarum pro aliquo Defuncto, præsente corpore, vel Anniversarii. Id vero non licet, si in aliena Ecclesia occurrit Festum Duplex.

6. Si Sanctissimum est expositum ut supra n. 3. Missæ quæcumque *de Requiem* prohibentur in omnibus Ecclesiæ Altaribus. Dum autem agitur de expositione, publica quidem, sed minus solemni, prohibentur tantum in Altari expositionis.

7. Numerus Orationum. *a*) Una tantum dicitur Oratio in die Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum, in die Commemorationis Omnium Fratrum etc. in die Depositionis, 3. 7. 30. et Anniversario Defuncti. Idque locum habet in omnibus Missis *de Requiem*, sive cantentur, sive simpliciter legantur, non tantum in die Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum et Omnium Fratrum etc. sed etiam, dummodo Missæ privatæ Defunctorum permittantur, in die Obitus seu Depositionis, et toto tempore intermedio, quo corpus manet insepultum, item in die 3. 7. 30. et Anniversario, quando dicitur prima, secunda aut tertia Missa, cum Oratione conveniente.

b) Item una tantum Oratio dicitur, *quandocumque pro Defunctis solemniter celebratur:* ad quod non requiritur concursus populi vel pompa exterior, sed sufficit, ut Missa *de Requiem* cum, vel sine Ministris sacris, in cantu celebretur, sive id fiat pro uno aut pluribus Defunctis in particulari, sive generatim pro omnibus Fidelibus Defunctis.

c) In omnibus aliis Missis plures dicuntur Orationes, id est, semper tres dici debent; possunt tamen semper plures dici usque ad quinque vel septem; dummodo ultimo loco dicatur Oratio FIDELIUM, et curetur, ut sint numero impares.

8. QUALITAS ORATIONUM. Quando una tantum dicenda est Oratio, hæc conveniens esse debet personæ aut personis pro quibus celebratur; hinc

a) Pro summo Pontifice in quacumque Missa dicitur Oratio prima inter diversas.

b) Item pro Episcopo Cardinali, Presbytero Cardinali vel Diacono Cardinali, dicitur Oratio, prout post Orationem secundam ibidem assignatur.

c) Pro Episcopo et Sacerdote, in die ipsorum Obitus vel Depositionis, item die 3. 7. 30. et Anniversario, dicitur Oratio secunda, mutatis mutandis, ut ibidem indicatur. Verum extra enumeratos dies, pro Episcopo dici potest tertia, et pro Sacerdote quarta Oratio.

d) Pro aliis Defunctis, sive Clericis sive Laicis, in die ipsorum Obitus vel Depositionis vel die 3. 7. 30. et Anniversario, non assignantur Orationes propriæ, inter diversas, et ideo dicendæ sunt illæ, quæ in respectiva Missa habentur; nam

e) Orationes 5. 6. 7. etc. inter Orationes diversas, non sunt dicendæ in præfatis diebus, sed in aliis Missis, puta, quando per annum, extra hos dies, pro illis Missa cantatur, (n. 7. *b*.) vel quando in Missis quotidianis privatis secunda Oratio mutatur, vel aliqua Oratio additur, ut dicitur n. seq.

9. Quando plures dicuntur Orationes, prima et ultima leguntur prout ibidem, in Missa quotidiana, jacent; secunda vero est ad libitum Sacerdotis, ita ut pro ea aliam vel alias assumere, vel illi alias adjungere possit. Vide n. 7. *c*).

[illegible]

[illegible]

[illegible] remanet [illegible] Alleluja tempore Paschali post Antiphonam.

i) [illegible] Sacerdos [illegible] paramenta [illegible].

c) [illegible] sed [illegible] a ministro [illegible] nostrum, et [illegible] in aliis Missis.

d) *Cum* [illegible] sed, sinistra super Altare posita, *manu dextra* [illegible] *signum Crucis super* [illegible], [illegible] *quasi aliquem benedicens.* [illegible] *post Psalmum repetitur* Requiem æternam.

e) *Nec dicitur* Gloria in excelsis, *nec* Alleluja, *nec* Jube Domine benedicere, *nec* Dominus sit in corde meo, *nec osculatur liber in fine* Evangelii, *nec dicitur* Per Evangelica dicta.

f) Prosa seu *Sequentia* Dies iræ *dicitur*.... *quandocumque in Missa dicitur una tantum Oratio: in aliis autem Missis pro Defunctis dicatur ad arbitrium Sacerdotis.*

g) *Non dicitur* Credo: *non benedicitur aqua in Calicem fundenda; dicitur tamen Oratio:* Deus, qui humanæ substantiæ etc.

h) *Cum lavat manus, in fine Psalmi:* Lavabo inter innocentes *non dicitur* Gloria Patri: nec ei substituitur Requiem æternam.

i) Præfatio et Orationes Communicantes et Hanc igitur semper dicuntur de Communi.

j) *Ad* AGNUS DEI *non dicitur* MISERERE NOBIS, *cujus loco*, manibus junctis ante pectus, et non super Altare positis, *dicitur* DONA EIS REQUIEM; *nec tertio* DONA NOBIS PACEM, *cujus loco dicitur* DONA EIS REQUIEM SEMPITERNAM, *neque percutitur pectus.*

k) *Non dicitur prima Oratio ante Communionem*, *scilicet*, DOMINE JESU CHRISTE, QUI DIXISTI APOSTOLIS TUIS etc. *nec datur pax.*

l) *In fine non dicitur* ITE, MISSA EST, *nec* BENEDICAMUS DOMINO, *sed* facie ad Altare versa, dicitur semper in plurali REQUIESCANT IN PACE.

m) *Et non datur Benedictio*, *sed dicto* PLACEAT, *et osculato Altari*, vadit Celebrans ad cornu Evangelii, et *dicitur*, *ut supra,* IN PRINCIPIO ERAT VERBUM etc. *Alia omnia ut in aliis Missis.*

12. Quando in Canone aut alibi nominatur Sanctus, cujus illa die fit Officium vel Commemoratio, facienda non est a Celebrante capitis inclinatio: ad nomina vero JESU, B. M. V. et Papæ regnantis semper caput inclinandum est.

13. In discessu ab Altari, recitatur more solito Antiphona: TRIUM PUERORUM, et Canticum: BENEDICITE.

§ 3.

DE MISSA SOLEMNI DEFUNCTORUM.

1. Quandocumque pro Defunctis erit Missa *de Requiem* solemniter celebranda, Altare pallio nigri coloris et simpliciter absque ullis imaginibus, Reliquiis, floribus, aliisque ad ornatum pertinentibus, paretur. Sint super illud sola Crux et sex candelabra cum totidem candelis ex cera communi. Cfr. cap. I. § 1. n. 4. 5 et 6.

2. Omnia paramenta Altaris, Celebrantis, Ministrorum et librorum sint nigra, et in his nullæ imagines mortuorum, vel Cruces albæ ponantur. Cfr. cap. I. § 3. n. 11.

3. Omnibus præparatis, ut dictum est cap. III. § 2. præcedentibus Ceroferariis cum candelabris, et Thuriferario sine thuribulo, aliisque Ministris subsequentibus, Celebrans more solito procedit ad Altare, et facit ut in Ordine Missæ.

[illegible] *[illegible]itum*, sed Ministri, facta [illegible] ad Altare, ubi facta reve- [illegible] accedunt ad dextram Celebrantis, [illegible] KYRIE ELEISON, ut in aliis Missis. [illegible] ipsi se non signant.

[illegible], *non osculatur manum Cele-* [illegible] facta genuflexione, librum illi reddit, [illegible] transfert Missale ad cornu Evangelii. [illegible] cum Ministris vadit ad scamnum [illegible] dum cantatur a Choro PIE JESU [illegible] inclinant detectum, et mox surgentes

[illegible] suppedanei genuflexus, dicit MUNDA COR [illegible] prius, ut in aliis Missis, ad Altare detu- [illegible] *Benedictionem, nec osculatur Celebrantis* [illegible] planum, et procedit ad cantandum Evan-

[illegible] *ad Evangelium, nec portatur in-* [illegible] *Acolythi sine candelabris stant, unus a* [illegible] *Subdiaconi tenentis librum Evangelio-* [illegible], *nec in fine Celebrans, nec defertur* [illegible], sed per Ceroferarium in credentia

[illegible] ORFMUS, Diaconus accedit ad dextram [illegible] vero vadit ad credentiam, et sine velo [illegible] suo suppellectili coopertum, ad Altare defert. [illegible] aufert velum Calicis, illudque tradit secundo [illegible] deferendum. Non dicit BENEDICITE etc. [illegible], quia *non tenet Patenam* [illegible] in planum ante medium Altaris, ibique [illegible] gradum, statim se recipit ad si- [illegible] vero et purificatorium collocantur ut in

[illegible], id est, ut in alia Missa [illegible], *incensatur solus Celebrans*,

et non incensantur alii. Sub incensatione Oblatorum Subdiaconus stat ad sinistram Celebrantis, et sub incensatione Altaris et Celebrantis se gerit ut ante Introitum in aliis Missis.

12. Ad ablutionem manuum Diaconus et Subdiaconus stant unus post alium in loco suo in cornu Epistolæ.

13. Paulo ante Elevationem SS. Sacramenti Subdiaconus, facta genuflexione, accedit ad cornu Epistolæ, et, accepto thuribulo a Thuriferario, qui prius thus imposuit, *tempore Elevationis Sacramenti* in infimo gradu Altaris *genuflexus in cornu Epistolæ illud incensat*, ut de Thuriferario dictum est.

14. Finita Elevatione, Subdiaconus reddito thuribulo, redit ad locum suum, et ibi, facta genuflexione, stat usque ad PAX DOMINI.

15. Dicto AGNUS DEI absque tunsione pectoris, Diaconus accedit ad sinistram, Subdiaconus ad dextram Celebrantis.

16. Cantato a Diacono, facie ad Altare versa, REQUIESCANT IN PACE, manent ipse et Subdiaconus in loco suo, usque dum Celebrans vadit ad cornu Evangelii.

17. *Ministri*, tam sacri quam inferiores, *cum aliquid porrigunt Celebranti, in hac Missa non osculantur ejus manum, neque rem* quamcumque, *quæ porrigitur;* idem in Absolutione observandum.

§ 4.

DE ABSOLUTIONE PRO DEFUNCTIS.

1. Absolutio illa est, quæ ad tumulum peragitur, absente Defuncti corpore. Exequiæ illæ dicuntur, quæ circa feretrum fiunt, præsente Defuncti cadavere.

2. Tumulus, qui et lectica mortuorum, castrum doloris etc. vocatur, erigitur in medio Ecclesiæ, vel in Choro, vel in alio loco congruo, juxta consuetudinem et situs dispositionem; numquam vero in Presbyterio. Ponitur autem semper ita, ut pedes imaginarii Defuncti versus Altare dirigantur, sive Absolutio fiat pro Sacerdote, sive pro Clerico vel Laico.

3. Tumulus cooperitur panno nigri coloris, in quo Crux et mor-

... servari possunt. In Absolutione ... appeni etiam possunt insignia Ordinis, ... Sella nigri vel violacei coloris, non ad ... distinguendam personæ dignitatem et

... singulis regulariter quatuor tantum ponuntur ... candelis, congruentius ex cera communi. ... plura poni candelabra, juxta Superiorum ... nempe Missa solemnis *de Requiem* cum Absolutione cantatur pro persona, quæ in dignitate constituta ... insigni benefactore etc.

... *facienda est Absolutio*, *Celebrans* cum Ministris ... reverentia, ut cap. III. § 6. n. 5. *retrahit se* ... *in planum ad cornu Epistolæ, ubi exuitur* ... *Manipulo*, quem etiam Ministri deponunt, ... adjutus a primo Ceroferario. Si desit ... manet cum Alba et Stola, in modum Crucis ... disposita, quo casu Ministri, ultra Manipulos, etiam ... Planellam deponunt.

... Celebrans cum Diacono a sinistris ad medium Altaris ... Subdiaconus vero, post depositum Manipulum, accipit ... ei allatam ab Acolytho, qui ferre debet ... benedictæ, et medius inter duos Ceroferarios cum candelabris ... accedit ante medium Altaris, parum ab Altari remotum ... Crucem ita, ut imago Crucifixi ipsi portanti ... Thuriferarius cum thuribulo et navicula sistit se retro ... sed parum versus cornu Evangelii; alter vero ... aqua benedicta sistit se a dextris Thuriferarii.

... omnibus, exceptis Subdiacono et Ceroferariis, debita ... procedunt ad tumulum. *Subdiaconus medius* ... seu Ceroferarios, *cum candelabris accensis*, ... *in Processionibus*, ut supra, ipsos *præcedenti-* ... nempe, Thuriferario, *cum thuribulo*, ... a sinistris ejus *cum vase aquæ benedictæ* ... *Celebrans* ... *et Diaconus a sinistris ejus.*

8. Cum pervenerint ad tumulum, Thuriferarius et socius ejus manent ante tumulum a parte Epistolæ; *Subdiaconus* vero cum Ceroferariis ex parte Evangelii progrediendo, *cum Cruce sistit se ad pedes tumuli*, *seu lecticæ mortuorum contra Altare*, ita ut sit inter portam Ecclesiæ et tumulum, facie ad Altare conversa, et ita stat *medius inter dictos Acolythos*, seu Ceroferarios, *tenentes luminaria.* Advertat autem Subdiaconus, ut congruum relinquat spatium Celebranti et Diacono transituris.

9. *Celebrans vero* sistit se *ex alia parte*, *in capite loci*, *inter Altare et tumulum*, *aliquantulum versus cornu Epistolæ*, *ita ut Crucem Subdiaconi respiciat*, Altari tamen tergum directe non obvertat. *A sinistris ejus* stat *Diaconus*, *et prope eum*, a sinistris, sed parum a retro, *alii duo Acolythi*, *deferentes thuribulum*, *et vas aquæ benedictæ.*

10. *Interim cantatur* ℟. LIBERA ME DOMINE, *et circa illius finem* Diaconus, genuflectens versus Altare, accedit ad dextram Celebrantis. Diaconum mox sequuntur Thuriferarius et alius Acolythus, qui etiam versus Altare genuflectentes, se sistunt ad dextram Diaconi, eodem ordine ac modo, ut prius ad ejus sinistram steterunt.

11. Mox *Celebrans ponit incensum in thuribulum*, *benedicens illud more solito*, *ministrante Diacono naviculam*, ac dicente BENEDICITE PATER REVERENDE. Thuriferarius vero, tradita Diacono navicula, ministrat thuribulum more solito; postea mutat locum cum socio suo, qui, tempore congruo, Diacono tradit aspersorium madefactum. Deinde Thuriferarius et socius ad pristinum redeunt locum.

12. Absoluto Responsorio, Cantor canit KYRIE ELEISON, Chorus respondet CHRISTE ELEISON, et deinde omnes simul cantant KYRIE ELEISON; *et finito* hoc ultimo KYRIE ELEISON, Celebrans *incipit intelligibili voce* PATER NOSTER, *et secreto prosequendo reliqua*, *accipit aspersorium de manu Diaconi.* Quo accepto, Celebrans Cruci Subdiaconi profunde corpus inclinat, Diacono genuflectente; tum vertens se per suam dextram, cum eodem Diacono a dextris, ante medium Altaris se recipit, *et facta Altari reverentia* per profundam corporis inclinationem, vel, si SS. Sacramentum in Tabernaculo sit

inclusum, per genuflexionem, Diacono semper genuflectente, et *comitante eodem Diacono a dextris, et tenente fimbriam anteriorem Pluvialis*, Celebrans *circuiens tumulum, aspergit illum aqua benedicta, ter a parte dextra* respectu sui ipsius, stantis versus tumulum, ita ut jugiter progrediendo aspergat initium, medium et finem ejusdem lateris tumuli; *et* deinde aspergit *ter* eodem modo *a sinistra: cum transit ante Crucem*, quam tenet Subdiaconus, corpus *profunde inclinat, Diaconus vero genuflectit. Postea* redux ad locum, unde discesserat, reddit aspersorium Diacono, qui illud tradit Acolytho, et statim *de manu ejusdem Diaconi accipit thuribulum, et* facta Altari, non Cruci Subdiaconi, reverentia ut supra, *eodem modo, quo asperserat* tumulum, etiam eumdem *incensat*, non prætermissa in transitu debita Cruci Subdiaconi reverentia.

13. *Et rediens* Celebrans *ad pristinum locum*, reddit thuribulum Diacono, qui illud tradit Thuriferario. Deinde facta Cruci Subdiaconi reverentia, et *Diacono* stante a sinistris, ac *tenente librum*, stans ut n. 9. *junctis manibus, dicit*:

℣. *Et ne nos inducas in tentationem.*

℟. *Sed libera nos a malo.*

℣. *A porta inferi.*

℟. *Erue, Domine, animam ejus.*

℣. *Requiescat in pace.*

℟. *Amen.*

℣. *Domine, exaudi orationem meam.*

℟. *Et clamor meus ad te veniat.*

℣. *Dominus vobiscum.*

℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS.

Absolve, quæsumus Domine, animam famuli tui N. ab omni vinculo delictorum; ut in resurrectionis gloria, inter Sanctos et Electos tuos resuscitatus respiret. Per Christum Dominum nostrum. ℟ *Amen.*

14. *Deinde Celebrans*, sinistra pectori admota, *faciens Crucem manu dextra super tumulum, dicit:*

℣. *Requiem æternam dona ei, Domine.*

℟. *Et lux perpetua luceat ei.*

15. *Et dicto per Cantores* in singulari numero: REQUIESCAT IN PACE, *et* ℟. AMEN, Celebrans gravi et demissiori voce profert:

Anima ejus, et animæ omnium Fidelium Defunctorum per misericordiam Dei requiescant in pace. ℟. *Amen.*

16. *Si Officium fit pro pluribus Defunctis, omnia dicantur in numero plurali;* si pro fœmina, in genere fœminino. Si Defunctus fuerit Sacerdos vel Episcopus, in Oratione exprimitur nomen dignitatis, v. g. FAMULI TUI N. SACERDOTIS.

17. *Vel dicatur Oratio, quæ dicta est in Missa, vel alia conveniens*, ait Rit. Rom.

18. In nostro Officio generalissimo et in tribus generalibus pro defunctis Fratribus etc. dicitur Oratio: DEUS, VENIÆ. Verum in Officio generali pro defunctis Patribus et Matribus omnium Fratrum dicitur Oratio: DEUS, QUI NOS PATREM.

19. Si Absolutio facta fuerit in refrigerium Omnium Fidelium Defunctorum universalis Ecclesiæ, non additur in fine: ANIMÆ EORUM ET ANIMÆ etc.

20. Postea Celebrans, clara voce, ut a Ministris audiri possit, subdit: SI INIQUITATES OBSERVAVERIS, DOMINE, et deinde Ps. DE PROFUNDIS, quem alternatim cum Ministris recitat, dum ad Sacristiam revertuntur. Finito Psalmo cum versu: REQUIEM ÆTERNAM DONA EIS, DOMINE etc. repetitur a Celebrante Antiphona: SI INIQUITATES OBSERVAVERIS, DOMINE: DOMINE, QUIS SUSTINEBIT?

21. Ante discessum a tumulo, omnes, exceptis Subdiacono et Ceroferariis, in loco suo debitam Altari faciunt reverentiam, et ordine ut n. 7. per viam breviorem ad Sacristiam revertuntur. Ante egressum ex Ecclesia Subdiaconus tradit Crucem Acolytho, a quo acceperat.

22. Finaliter notandum, dictam Absolutionem pro Defunctis peragi tantummodo posse post Missam *de Requiem:*

§ 5.

DE MISSA, QUÆ CANTATUR SINE DIACONO ET SUBDIACONO.

1. *Si quando Celebrans cantat Missam sine Diacono et Subdiacono, Epistolam cantat in loco consueto aliquis Lector,* Clericus nempe, qui apud Nos vocatur Acolythus, *superpelliceo indutus, qui in fine non osculatur manum Celebrantis.* Deficiente vero Acolytho, cantat ipse Celebrans, loco suo remanens, Epistolam. *Evangelium autem semper cantat ipse Celebrans ad cornu Evangelii,* stans ut in Missa privata; *qui et in fine Missæ cantat* ITE, MISSA EST, *vel* BENEDICAMUS DOMINO, *aut* REQUIESCANT IN PACE, *pro temporis diversitate.*

2. Celebrans ipse, juxta consuetudinem, Calicem portet, ut in Missa privata. In cornu Epistolæ dicit KYRIE ELEISON, item HUMILIATE CAPITA VESTRA DEO, sed versus ad Altare. Lecta Epistola, sibi respondet DEO GRATIAS, nisi alius adsit, qui respondeat.

3. Ad GLORIA IN EXCELSIS et CREDO sedere quidem posset, quemadmodum in Missa solemni; pro uniformitate tamen servanda, servetur consuetudo non sedendi. Ad verba autem: ET INCARNATUS EST genuflectit, ut in Missa solemni.

4. In Festis 2. Classis omittendæ sunt Commemoratio simplicis per se, et Oratio imperata.

5. Non incensatur Altare, neque Evangelium, neque Oblata, neque SS. Sacramentum ad Elevationem. Neque deferuntur luminaria ad Evangelium, nec datur pax.

6. Si unus tantum Acolythus seu Minister adsit, eadem omnia peragit ut Minister Missæ privatæ, itaque genuflexus manet super infimum gradum Altaris, respondet Celebranti ad ea, ad quæ Chorus non respondet, transfert Missale, et per totam Missam sistit se a parte Missali opposita; sed ante Missam superpelliceo indutus, in Altari saltem quatuor candelas accendit; et, si sit Clericus, librum Epistolarum præparat super credentiam, (n. 1.) ex quo Epistolam decantabit ut infra n. 11.

7. Si vero duo Ministri adhibeantur, observentur ea, quæ dicta

sunt de Ceroferariis cap. III. § 14. n. 1. et 2. Primus Minister præparat Missale in Altari, et librum Epistolarum in credentia ut n. præc. ac deinde Celebrantem adjuvat, dum sacris se vestit indumentis; secundus interim accendit cereos in Altari.

8. Antequam e Sacristia egrediantur, Ministri se sistunt hinc inde ad latera Celebrantis, sed paulo post ipsum, et cum eo Cruci reverentiam exhibent. Qua facta, bini et manibus junctis, Celebrantem præcedunt ad Altare, nisi ob angustiam loci unus post alterum incedere debeat. De incessu ad Altare cfr. dicta in Missa solemni.

9. Cum ad gradus Altaris pervenerint, faciunt reverentiam per genu unius flexionem in plano, primus ad latus dextrum, secundus ad latus sinistrum Celebrantis. Deinde primus Amictum Celebrantis disponit, et sistit se in cornu Epistolæ, sicuti secundus in cornu Evangelii. Cum Celebrans in planum descendit, Ministri utrumque genu flectunt in plano, ad latera Celebrantis, sed paulo post ipsum.

13. Cantato OREMUS, surgunt, genuflectunt in plano ante medium Altaris, et vadunt ad credentiam, ubi primus Minister accipit ampullas, quas ministrat ut in Missa privata; secundus vero interea stat ad credentiam, facie ad Altare versa. Cfr. cap. III. § 14. n. 16. Ad LAVABO se gerunt, ut ibidem n. 17,

14. Rebus suis super credentiam depositis, primus accipit campanellam; quam suo tempore pulsabit, et ambo redeunt ad medium Altaris; factaque ibidem in plano genuflexione, ad loca sua revertuntur, et genuflectunt.

15. Ante Consecrationem ambo, facta solita genuflexione ante medium Altaris, in ora suppedanei, aut, si locus id non permittat, in secundo gradu genuflectunt, et ad Elevationem Planetam Celebrantis elevant, primus sinistra, secundus vero dextra manu. Postea cum solita genuflexione redeunt ad loca sua, ibique genuflexi manent usque ad Communionem.

16. Dum Celebrans fragmenta colligit, Ministri surgunt et faciunt unius genu flexionem in plano ante medium Altaris. Qua facta, primus vadit ad credentiam, et reliqua peragit, quæ præ scribuntur cap. II. § 7. n. 25. et 26. Depositis ampullis super

credentiam, ibidem stat, facie ad Altare versa, exspectans socium suum.

Secundus vero Minister, facta dicta genuflexione, vadit per planum ad latus Evangelii, ibique super infimum gradum genuflectit, dum Celebrans SS. Sanguinem sumit, et suo tempore transfert Missale ad cornu Epistolæ. Deinde collocato velo Calicis ut l. c. n. 27. descendit per gradus laterales in planum, ubi se adjungit socio suo. Tum ambo vadunt ad medium Altaris, et ibidem facta solita genuflexione, ad loca sua revertuntur, ibique genuflectunt usque post Benedictionem. Si liber sit transferendus, id facit secundus, ut l. c. n. 29.

17. Si preces quædam recitandæ sint, eas cum celebrante dicunt genuflexi, ut l. c. n. 9. Postea eo modo quo venerunt, ad Sacristiam revertuntur, et facta reverentia Cruci, secundus extinguit candelas Altaris. Tandem depositis superpelliceis, culpam agnoscant.

Reliqua omnia, quæ hic annotata non sunt, servantur ut in Missa privata.

Quid observandum, si SS. Sacramentum sit expositum, conclude ex l. c. n. 33.

§ 6.

DE TRIBUS MISSIS IN DIE NATIVITATIS DOMINI.

1. Sacerdos, tres Missas successive celebrare volens, tres deferat Hostias; unam videlicet de more super Patenam, duas alias vero in bursa Corporalium positas, quas duas, cum ad Altare pervenerit, subtus Corporale ponere potest.

2. In 1. et 2. Missa, sanctissimo Sanguine diligentissime sumpto, Celebrans Calicem super Corporale positum Patena et palla cooperit; deinde, manibus junctis ante pectus, dicit Quod ore etc. Hac Oratione finita, in aliquo vase mundo, vino et aqua digitos abluit abstergitque purificatorio, interim dicens Corpus tuum etc. Advertat Celebrans, ne os suum, neque Calicem abstergat: sed abstersis digitis, purificatorium collocat juxta Corporale; vas vero,

quod alia palla cooperit, ponit in posteriori parte Altaris prope Corporale, versus cornu Epistolæ.

3. Deinde una manu Calicem parum elevans, altera plicat anteriorem partem Corporalis, (Cfr. tamen cap. II. § 1. n. 15.) et Calicem super mediam plicaturam deponit. Tum pallam a Patena removet, Hostiam pro Missa sequenti Patenæ imponit, et palla veloque cooperit; bursa vero purificatorium et cochlear suo loco relinquuntur.

4. Quamvis verosimiliter aliquid de SS. Sanguine in Calice remanserit, Sacerdos tamen postea non debet genuflectere in transitu, accessu aut recessu; et vertens se ad populum, renes ad Altare vertere debet, ut alias.

5. In 2. et 3. Missa ad Offertorium, nequaquam extergendus est Calix purificatorio: et cum vinum infunditur, Calix relinquitur super Corporale, vel in cornu Epistolæ ponitur super pallam, aut parum elevatus sustinetur, minime super Altaris mappam ponendus. Vinum et aqua caute infundenda sunt, ne guttæ ad labia Calicis resiliant, nullatenus enim abstergi possunt.

6. In ultima Missa, sumpta purificatione, et ablutis super Calicem abstersisque, ut alias, digitis, ablutionem e vasculo immittit in Calicem, et illam sumit simul cum ablutione ultimæ Missæ: qua sumpta, os purificatorio extergit, deinde Calicem et vasculum.

7. Ast, si tres illæ Missæ non successive, sed diversis horis dicantur, Calix post 1. et 2. Missam in Tabernaculo vel alio decenti ac tuto loco reponitur, Patena et palla coopertus, et supposito Corporali.

8. Tres illæ Missæ in omnibus Conventibus solemniter celebrentur: prima scilicet post mediam noctem, dicto Matutino; secunda in aurora, dicta Prima; et tertia Missa, omnium solemnisissima, celebratur, in die, dicta Tertia.

9. In his Missis Diaconus et Subdiaconus respective observant ea, quæ de Missis aliis dicta sunt. Subdiaconus etiam in 2. et 3. Missa de more sustinet Patenam, quamvis superposita fuerit Calici nondum purificato.

10. Media nocte una tantum Missa cantari potest; et non, nisi

ex indulto Apostolico, licet aliam Missam, sive solemnem sive privatam celebrare ante tempus consuetum.

11. Pariter sine indulto non licet in prima Missa neque post illam, sacram Communionem distribuere. Liceret tamen, si Missa tardius v. g. hora tertia vel quarta celebretur. Cfr. Synod. Prov. Ultrajecten. Tit. IV. Cap. IV. in fine.

§ 7.

DE MISSA PRIVATA CORAM PRÆLATIS INTRA VEL EXTRA LOCUM SUÆ JURISDICTIONIS.

1. *Si* Sacerdos Missam privatam *celebraturus sit.... coram* Prælato, videlicet, *Cardinali, Legato Sedis Apostolicæ, aut Patriarcha, Archiepiscopo, et Episcopo, in eorum residentiis, vel loco jurisdictionis*, nimirum coram Cardinali, ubique terrarum; coram Legato seu Nuntio Sedis Apostolicæ, in locis suæ Legationis; coram Patriarcha, in suo Patriarchatu; coram Archiepiscopo, in sua Provincia; et coram Episcopo, in sua Diœcesi, comprehensis Ecclesiis nostris et aliorum Regularium quoquo modo exemptis, curabit ut ante adventum Prælati stet ad Missam inchoandam paratus.

2. Aptato itaque Calice in Altari, apertoque Missali, Celebrans descendit, et *stans ante infimum* Altaris *gradum a cornu Evangelii*, capite detecto, junctisque manibus, Prælato adventanti profundam facit reverentiam per corporis inclinationem; mox erectus *exspectat* signum incipiendi. *Dato signo*, iterum, ut supra, *facit profundam reverentiam Prælato, et versus ad Altare* in eodem Evangelii cornu, debitam Altari facit reverentiam, et more solito *incipit Missam.* Minister genuflectit in plano, in cornu Epistolæ, dummodo ibi non adsit Prælatus, quo casu collocat se, ut alias, ad partem Evangelii. Minister, ab una parte ad aliam perrecturus, advertere debet, ne transeat ante Prælatum, sed post ipsum.

3. Si vero Prælatus Celebrantem præveniat ad Altare, tum Celebrans ad Altare pergit cum Calice, ut alias, ac transiens ante Prælatum, eidem caput coopertum profunde inclinat; Minister vero

eidem genuflectit. Tum Celebrans accedens ante infimum Altaris gradum, tantillum ad cornu Evangelii, ne Prælato terga vertat, caput detigit, et exhibita more solito una cum Ministro Altari reverentia, ad illud ascendit, Calicem accommodat, ac Missale aperit; postmodum descendit ante infimum gradum, et cætera perficit ut supra.

4. In confessione, Celebrans, *ubi* alias *dicit* VOBIS FRATRES, *dicat* TIBI PATER. *Similiter in fine, ubi dicit* VOS FRATRES, *dicat* TE PATER; *quod dicens* ..... *Prælatis profunde se inclinat*, vertens se ad illos. More autem solito dicit MISEREATUR et INDULGENTIAM. Minister vero dicens TIBI PATER, et TE PATER, convertit se ad Celebrantem, non autem ad Prælatum.

5. Facta Confessione, aliisque absolutis ut in Ordine Missæ, et dicto OREMUS, vertit se Celebrans ad Prælatum; et *facta*, ut supra n. 2. *profunda reverentia, accedit ad medium Altaris ante infimum gradum, et ibi incipit secreto* AUFER A NOBIS, ascendens interim ad Altare, et alia peragens, *ut in Ordine Missæ*. Minister interim accedit ad cornu Evangelii.

6. Post Evangelium *defertur* per Ministrum Prælato *osculandus liber, et Celebrans tunc non osculatur illum, nec dicit* PER EVANGELICA DICTA. Minister autem defert librum apertum absque ulla reverentia, et Prælato indicat principium Evangelii; post cujus osculum librum claudit, genuflectit Prælato, atque ad Altare redit; ubi in plano facta genuflexione, librum super pulpitum reponit, et pergit ad cornu Epistolæ.

7. Quum Celebrans dicit AGNUS DEI, Minister (in Missis Vivorum) facta prius Altari deinde Prælato reverentia, sumit de credentia instrumentum pacis, cum velo coloris Missæ congruentis, ejus manubrio appenso, ac in suppedaneo ad cornu Epistolæ genuflexus exspectat. Post primam Orationem ante Communionem Celebrans, ut in Missa solemni, osculatur Altare, deinde instrumentum pacis, a Ministro adhuc genuflexo porrectum, et dicit PAX TECUM. Minister respondet ET CUM SPIRITU TUO, illico surgit, genuflectit Sacramento, instrumentum velo abstergit, illudque absque ulla reverentia Prælato defert deosculandum, dicens PAX TECUM.

Dehinc idem instrumentum velo cooperit, et, facta prius Prælato deinde Altari genuflexione, ad credentiam reportat.

8. Ad Benedictionem *Celebrans*, *dicto* PLACEAT TIBI, SANCTA TRINITAS etc. *dicit* BENEDICAT VOS OMNIPOTENS DEUS, more solito faciens reverentiam Cruci; ast conversus ad Prælatum, caput ei profunde inclinat, *quasi licentiam benedicendi petens:* tum erectus *prosequitur* PATER, ET FILIUS, ✝ ET SPIRITUS SANCTUS, *benedicens adstantes a parte, ubi non adest Prælatus*; scilicet a parte Evangelii, si Prælatus sit in medio vel in parte Epistolæ.

9. Finito Evangelio, Celebrans ibidem consistens, Prælato profundam facit inclinationem ut n. 2. nec prius discedit quam Prælatus abierit. Quod si Prælatus moram fecerit ad Officium recitandum vel alia de causa, Celebrans apprehenso Calice descendit ante infimum gradum, aliquantulum ad cornu Evangelii, ubi exhibita Altari reverentia, caput cooperit, et ad Sacristiam redit, Prælato in transitu caput coopertum inclinando.

10. Minister candelas Altaris non extinguit, nisi Prælato discedente, cui genuflectit, quum eidem Celebrans caput inclinat.

11. Advertendum est, supradicta peragenda esse erga Prælatos illos dumtaxat, quando intersunt in habitu saltem Prælatitio.

12. Si Celebrans Sacrum faciat, coram Prælatis extraneis, sive extra locum eorum jurisdictionis, ita coram istis se gerit, ac si non adessent; si excipias, quod illis osculandum defertur instrumentum pacis, et in accessu et recessu ab Altari reverentia exhibetur per capitis inclinationem. Minister etiam illis non genuflectit, sed dumtaxat se profunde inclinat.

Cætera huc pertinentia vide in Cærem. Episc. Lib. I. Cap. XXX.

§ 8.

DE MISSA PRIVATA MINISTRI GENERALIS NOSTRI ORDINIS.

1. Quum Minister Generalis Missam privatam est celebraturus, paramenta in Sacristia induet. Quatuor candelæ super Altare ardebunt; et duo intorticia ad Elevationem deferentur. Aderit unus

Sacerdos, superpelliceo absque Stola indutus, cum duobus Ministris (Clericis, si adsint) similiter amictis.

2. Ad Altare præcedunt duo Ministri, tum Sacerdos assistens, et ultimo Celebrans.

3. Assistens genuflectit, dum Celebrans facit Confessionem cum suo Psalmo, et iterum ad Elevationem, (ad quam sublevabit posteriorem partem Planetæ) et ad Benedictionem in fine Missæ, nec non quoties Celebrans genuflectit. Adstat cum Palmatoria, dum Celebrans legit, indicat legenda, et folia vertit. Ad Offertorium detegit Calicem, porrigit Patenam cum osculis, infundit vinum et aquam in Calicem, ampullam aquæ Celebranti ostendendo ac proferendo BENEDICITE, PATER REVERENDISSIME; itemque porrigit Calicem, eumque cooperit, detegitque, cum opus erit. Præbet linteum ad manus abstergendas post LAVABO; atque facta digitorum ablutione, extergit Calicem, eumque componit, ut initio Missæ.

4. Ministri manent semper hinc inde ante infimum Altaris gradum, præterquam dum transferendum est Missale, ac dum ministrandæ sunt ampullæ, nec non aqua cum Bacili ad LAVABO. Genuflectunt saltem ad Confessionem, Elevationem, (ad quam duo intorticia deferent) Communionem ac Benedictionem in fine Missæ.

§ 9.

DE MISSA SOLEMNI MINISTRI GENERALIS NOSTRI ORDINIS.

1. Quum Minister Generalis Missam solemnem est celebraturus, splendidior erit Altaris apparatus; super credentiam collocabitur Bacile cum Bucali pro LAVABO; et in Choro sex vel saltem quatuor intorticia pro Elevatione. Pretiosiora erunt indumenta, ac Diaconus et Subdiaconus digniores. Insuper Presbyter assistens dabitur illi aliquis ex insignioribus Patribus.

2. Clericus quoque cum Palmatoria aderit, superpelliceo indutus, qui eam accensam dextra manu deferens, (nisi jam super Altare) ad Altare a dextris Thuriferarii procedit; quo cum accesserit, facta simul cum aliis genuflexione, Palmatoriam super Altare a sinistris

Missalis deponit; dehinc ad cornu Epistolæ in plano utrumque genu flectit. Absoluta Confessione cum suo Psalmo, assurgit, et imposito a Celebrante incenso in thuribulum, accedit ad latus Epistolæ, Palmatoriam prehendit, et in planum descendens, ad dextram Presbyteri assistentis consistit, donec iste super Altare Missale reponat; tunc enim et ipse Palmatoriam ibidem statuit, et postea ad pristinum locum ad cornu Epistolæ redit. Thurificato subinde Celebrante, denuo ad latus Epistolæ pergit, et manu, quæ Missali est propior, Palmatoriam sustinens, a dextris se sistit Assistentis. Cum Celebrans ad GLORIA sedet, Palmâtoriam super Altare ponit, et sistit se a dextris primi Ceroferarii; si non sedetur, sistit se in loco suo ut supra. Post GLORIA ad latus pergit Epistolæ Palmatoriam sustenturus ut ad Introitum. Cantata Epistola, se per planum confert, cum genuflexione in medio Altaris, ad latus Evangelii, ubi a sinistris Assistentis adstabit cum Palmatoria, dum Celebrans legit Evangelium. Ad hujus vero cantum, deposita juxta Missale Palmatoria, ad dextram stabit Assistentis, facie ad Diaconum versa. Ad CREDO perficiet, quæ supra de GLORIA dicta sunt. Post Symbolum redit cum genuflexione in medio Altaris, ad cornu Evangelii, ibique cum Palmatoria assistit, dum Celebrans legit Offertorium. Sub incensatione Altaris stat in plano ut ante Introitum, dein assistit uti prius. Ad SS. Sacramenti elevationem, deposita super Altare Palmatoria, genuflectit utroque genu in latere ejusdem cornu Evangelii; se postmodum erigit, et Celebranti cum Palmatoria assistit usque ad ablutionem; ast quando genuflectit cum Celebrante, Palmatoriam interim super Altare ponet. Peracta ablutione, se cum Palmatoria post Assistentem recipit ad latus Epistolæ, genuflectens in transitu ante medium Altaris, et illic ad Orationes assistit ut ad Introitum. Quibus expletis, sequens rursum Assistentem, se transfert cum Palmatoria et genuflexione ut supra, ad latus Evangelii, genuflectit ad Benedictionem, et ad ultimum Evangelium adstat ut alias; post quod in planum descendit, et facta a dextris secundi Ceroferarii genuflexione, ad Sacristiam eo quo venit ordine revertitur.

§ 10.

DE ORDINE GENUFLECTENDI, SEDENDI ET STANDI IN MISSA PRIVATA ET SOLEMNI.

1. *In Missa privata Sacerdos genuflectit, quando legit Evangelium S. Joannis* IN PRINCIPIO, *ad illa verba:* ET VERBUM CARO FACTUM EST; *et in Evangelio Epiphaniæ,* CUM NATUS ESSET JESUS, *ad illa verba:* ET PROCIDENTES ADORAVERUNT EUM. *Item in Evangelio Feriæ* IV. *post Dominicam quartam Quadragesimæ, ad illa verba in fine:* ET PROCIDENS ADORAVIT EUM.

Item genuflectit in Dominica Palmarum, et in Missis de Cruce, ad illa verba in Epistola: IN NOMINE JESU OMNE GENU FLECTATUR etc. *et quando legitur Passio, ad illa verba:* EXPIRAVIT, *vel* EMISIT SPIRITUM, *ut suis locis notatur.*

Item genuflectit, cum dicit: FLECTAMUS GENUA.

Item, quando in Quadragesima dicit in Tractu ℣. ADJUVA NOS, DEUS etc. *et in omnibus Missis de Spiritu sancto, cum dicit* ℣. VENI SANCTE SPIRITUS, REPLE. etc.

Item, quando Sacramentum in Altari discoopertum apparet, genuflectit, quoties ante illud transit in medio Altaris.

Et quandocumque in Ordine Missæ, et in ritu servando in celebratione Missæ notatur, quod debeat genuflectere.

2. Circa hanc Rubricam generalem, Tit. XVII. notandum: *a*) Omnes istæ genuflexiones faciendæ sunt uno genu, excepta ea, quæ fit ad verba: EXPIRAVIT, vel EMISIT SPIRITUM, quia facienda est cum pausa, ut suis locis notatur in Missali. *b*) Ad verba; ADJUVA NOS etc. et VENI SANCTE SPIRITUS. etc. in Missis privatis Celebrans genuflectit tantum ad prima verba et statim surgit, ut commodius lectionem prosequi possit. *c*) Ad alia autem verba genuflexio incipitur ad prima verba, et terminatur cum ultimis. Cfr. etiam cap. v. § 1. n. 6.

3. *Circumstantes autem in Missis privatis semper genua flectunt, etiam tempore Paschali, præterquam dum legitur Evangelium.*

4. *In Missa solemni Celebrans genuflectit ad omnia supradicta*

verba, tum quando illa privatim legit, nisi aliter notetur, ut in Passione Domini; (cap v. § 1. n. 8. *f*) tum iterum, quando publice vel a Ministris sacris, vel a Choro cantantur, modo Celebrans tunc non sit occupatus legendo; *præterquam ad* FLECTAMUS GENUA, *et tunc ipse solus stat*, nec verba illa pronuntiat; *Diaconus vero*, qui illa cantat, *et Subdiaconus*, qui cantat LEVATE, *et omnes alii* tam ad Altare, quam in Choro existentes, unum *genu flectunt*, vultibus ad Altare conversis.

5. *Ad Versum vero:* ADJUVA NOS DEUS, *et ad Versum*: VENI SANCTE SPIRITUS etc. quando hi Versus cantantur a Choro, Celebrans, si non sit occupatus legendo, utrumque *genu flectit* in medio Altaris *usque ad finem* Versus.

6. *Item genuflectit* Celebrans *in die Annuntiationis B. Mariæ* propria, vel, si transferatur Festum, in die translationis; insuper in Missa, vulgo Aurea dicta, *et in tribus Missis Nativitatis Domini*, *quando cantatur in Choro* ET INCARNATUS EST etc. *Aliis diebus*, *si sedeat*, *cum cantantur ea verba*, *non genuflectit*, *sed caput tantum profunde inclinat apertum*, *et*, *si non sedet*, *genuflectit.* Vide cap. III. § 7. n. 2.

Pariter ad omnia supradicta genuflectere debet Celebrans, qui Missam cantat sine Ministris sacris.

7. *Ministri* Altaris omnes, etiamsi suis non se moveant locis, *semper genuflectunt cum Celebrante*, *præterquam Subdiaconus*, *tenens librum ad Evangelium*, et idem Subdiaconus, tenens Patenam; (cap. III. § 7. n. 14.) *et Acolythi*, id est, Ceroferarii, *tenentes candelabra*, *qui tunc non genuflectunt. Et cum Diaconus cantat illa verba*, *ad quæ est genuflectendum*, *ipse versus librum*, *Celebrans et omnes alii versus Altare genuflectunt.* Hæc Rubrica: *Ministri semper genuflectunt cum Celebrante* extenditur etiam ad Missam coram SS. Sacramento exposito, ita ut Ministri cum Celebrante genuflectere debeant tam ante quam post DOMINUS VOBISCUM, ORATE FRATRES etc.

8. *In Choro genu* utroque *flectitur .... ad Confessionem cum suo Psalmo*, id est, a principio Missæ quoadusque Celebrans Altare ascendat. Genuflexio hæc a Fratribus laicis tantum fiat, non vero

a Choristis, qui, juxta Provinciæ consuetudinem, omnes cantant, vel cantare supponuntur.

9. Fratres laici, dum soli genuflectunt, semper faciem ad Altare vertunt, dum vero genuflectunt vel erecti stant una cum Choristis, semper eodem modo ac illi se vertunt.

10. Choristæ, dum cantatur Introitus, stant erecti, facie ad invicem vel ad librum versa; sed cantato ultimo KYRIE, ad Altare se convertunt, facta Altari debita reverentia per profundam capitis inclinationem. (Quod semper observandum, quando se ad Altare convertunt, vel se ab eo avertunt) Sic omnes stant erecto corpore, usque dum Celebrans intonaverit GLORIA IN EXCELSIS DEO, ad verbum DEO cum Celebrante capita inclinantes. Post inclinationem statim se ad librum convertunt, Hymnum Angelicum cantaturi.

11. Sub Hymno, dum cantantur verba, quæ inclinationem requirunt, caput ad invicem conversi profunde inclinant; et cantato Hymno, ad Altare se convertunt, ut supra. Responso ET CUM SPIRITU TUO, et facta cum Celebrante ad OREMUS capitis inclinatione, convertunt se ad invicem, et ex prisco nostræ Religionis more ad Orationem primam, corpus profunde inclinant. Vide Part. II. cap. I. § 4. n. 3. *c*) Finita prima Oratione, (etiamsi secunda Oratio sub una conclusione foret adjungenda) se erigunt et iterum ad Altare convertunt, curantes, ut simul cum Celebrante caput versus Altare inclinent, si Oratio concludatur: PER DOMINUM NOSTRUM JESUM CHRISTUM etc. Deinde manent erecti, stantes versus Altare, usque dum responderint AMEN post ultimam Orationem, semper cum Celebrante caput inclinantes.

12. *In Missis autem Feriarum Adventus, Quadragesimæ, Quatuor Temporum, et Vigiliarum, quæ jejunantur*, id est, quæ de jure communi jejunari deberent, tametsi ex dispensatione non jejunetur, *ac in Missis Defunctorum genu* utrumque *flectunt omnes* Ministri Altaris inferiores, et *etiam* omnes in Choro *ad Orationes*, facie ad Altare conversa. Quod tamen intelligendum est de illis solis Orationibus, quæ cantantur post DOMINUS VOBISCUM. Verum in *Vigilia Paschæ, et Pentecostes, ac Nativitatis Domini, et Qua-*

tuor Temporibus Pentecostes, ac Feria quinta in Cœna Domini omnia fiunt ut in Festis.

13. *Celebrans medius inter Diaconum et Subdiaconum sedere potest a cornu Epistolæ juxta Altare, cum cantatur* KYRIE ELEISON, GLORIA IN EXCELSIS *et* CREDO; nec non cum cantatur Graduale, Tractus et Sequentia.

14. Totus Chorus sedet, dum cantantur Epistola et Profetiæ, exceptis illis, qui actu Prophetias cantant. Quando nominatur nomen JESUS, caput profunde inclinant; quando vero cantantur verba: IN NOMINE JESU OMNE GENU FLECTATUR, omnes utrumque genu flectunt versus medium Chori, usque ad INFERNORUM inclusive. Item dum cantatur Tractus, eodem modo ab omnibus genuflectitur ad Versum: ADJUVA NOS usque ad finem Versus; item ad Versum: VENI SANCTE SPIRITUS, REPLE etc.

15. Post Tractum vel ultimum ALLELUJA omnes vertunt se ad Altare, se signantes, inclinantes et genuflectentes, cum opus fuerit.

16. Finito Evangelio, postquam Celebrans intonaverit CREDO, ad verbum DEUM caput inclinantes, omnes se convertunt ut n. 10. et Symbolum alternatim et integre decantant. Ad verba: ET INCARNATUS EST usque ad ET HOMO FACTUS EST inclusive, omnes utrumque genu flectunt, conversis ad invicem vultibus. Ad verba: SIMUL ADORATUR caput profunde inclinant. Dicto AMEN, sese ad Altare convertunt ut supra.

17. Dicto a Celebrante OREMUS, omnes, facta cum ipso capitis inclinatione, sedent; vel, si organum non pulsetur, ad librum se convertunt, Offertorium cantaturi; quo cantato, sedent.

18, Sedent autem *usque ad incensationem Chori*, *et si* Chorus *non incensatur usque ad Præfationem.* Accedente ad Chorum Diacono pro ejusdem incensatione, surgunt omnes, et se gerunt ut dictum est cap. III. § 7. n. 19. Dum Diaconus ad Altare redit, vel, si Chorus non incensatur, dum Celebrans incipit Præfationem, se convertunt omnes ad Altare, cum Celebrante caput inclinantes versus Altare, ad verba DEO NOSTRO, et ad alia, quæ capitis inclinationem exigunt.

19. Ad SANCTUS Fratres laici statim utrumque genu flectunt ver-

sus Altare; Choristæ vero sese ad librum convertunt. Quando Diaconus ad verba: QUAM OBLATIONEM accessit ad dextram Celebrantis, et ibidem genuflectit, Choristæ etiam genuflectunt versus Altare: quapropter attendendum est, ut cantus non nimium protrahatur, quatenus omnes tempore debito genuflectere possint.

20. Dum Celebrans primo sacram Hostiam adorat, omnes caput profunde inclinant, et mox denuo erecti Sacramentum adorant, manibus ante pectus junctis; et Sacerdote pro secunda vice Sacramentum adorante, ipsi denuo caput profunde inclinant, et statim iterum se erigunt. Idem in elevatione et adoratione Calicis facient.

21. Deposito et adorato a Celebrante Calice, Choristæ surgunt et ad librum conversi cantant BENEDICTUS, QUI VENIT etc. Quo facto, iterum genuflectunt versus Altare, usque ad PATER NOSTER. Tum omnes etiam Laici surgunt, manentque stantes versus Altare, usque ad AGNUS DEI. In Missis autem, de quibus agitur n. 12. non surgunt ad PATER NOSTER, sed omnes genuflexi manent usque ad AGNUS DEI, quod cantant, conversi ad librum. Si detur pax, observantur ea, quæ dicta sunt cap. III. § 9. n. 6. et 7.

22. Data pace et cantato AGNUS DEI, omnes iterum versus Altare genuflectunt, usque dum dicatur a Celebrante vel cantetur a Choro Antiphona, quæ dicitur Communio.

23. Ad Orationes stant vel genuflectunt prout ante Epistolam. Ad Benedictionem genuflectunt, præter Prælatos majores, nimirum Ministrum Generalem, Provincialem et Custodem Regiminis, qui Benedictionem accipiunt, capite profunde inclinati.

24. Omnibus absolutis, conversi ad invicem, stantes vel genuflexi pro ratione temporis, cantant vel legunt Antiphonam: HÆC EST PRÆCLARUM VAS; qua absoluta, subjungitur Hora canonica, si qua sit dicenda.

CAPUT V.

DE MISSA ALIISQUE FUNCTIONIBUS SACRIS, IN QUIBUSDAM DIEBUS SOLEMNIBUS.

§ 1.

DE MISSA IN DOMINICA PASSIONIS ET PALMARUM.

1. *Ante* primas *Vesperas* Dominicæ Passionis, etiamsi sint de Sancto, *cooperiuntur* non modo *Cruces et Imagines* Salvatoris nostri, sed etiam Imagines B. M. V. et Sanctorum per totam Ecclesiam, velis violaceis, in quibus nulla Crux aut Imago appareat.

2. Sic coopertæ remanent, Cruces quidem usque ad illius detectionem, quæ fit Feria sexta, in Parasceve; Imagines vero usque ad GLORIA IN EXCELSIS Missæ Sabbathi sancti, si tunc commodo detegi possint, alias usque post Officium illius diei. Usus tamen invaluit, etiam Romæ, ut non cooperiantur Cruces et Imagines Stationum Viæ Crucis.

3. *Ab hac die* Dominica Passionis inclusive, *usque ad Sabbathum sanctum exclusive*, tam in Missa solemni quam privata de Tempore, *non dicitur Psalmus:* JUDICA ME *ante Confessionem*, *neque* GLORIA PATRI ad Introitum, nec *ad* LAVABO. Idipsum etiam hac et sequenti Dominica omittitur ad ASPERGES ME post Ps. MISERERE. In Missis autem de Festo et Votivis, etiamsi sit Votiva de Passione vel de Cruce, Ps. JUDICA ME et GLORIA PATRI dicitur ut alias.

4. In Dominica Palmarum, *completa Tertia*, *et facta aspersione aquæ more solito*, *Sacerdos .... procedit ad benedicendum ramos palmarum*, ut explicatur cap. VIII. § 3.

5. *Deinde*, terminata scilicet Processione, *celebratur Missa*, *et rami tenentur in manibus*, *dum cantatur Passio et Evangelium tantum*, ut infra dicetur.

6. Cum Subdiaconus in Epistola cantat: UT IN NOMINE JESU OMNE GENU FLECTATUR, ipse et omnes alii, etiam Choristæ, utrumque genu

flectunt in locis suis, et permanent genuflexi usque ad INFERNORUM inclusive. Celebrans, dum illa verba legit, unum flectit genu cum Ministris Altaris, excepto Subdiacono. Vide cap. III. § 6. n. 12. et 13. et cap. IV. § 10. n. 2.

7. Passio cantari potest vel a tribus Diaconis peculiaribus, vel ob penuriam a Celebrante, Diacono et Subdiacono Missæ. Subdiaconus autem in hoc casu in Ordine saltem Diaconatus constitutus esse debet.

8. Si Passio cantatur a tribus Diaconis peculiaribus;

a) Induunt in Sacristia Amictum, Albam, Cingulum, Manipulum et Stolam transversam violacei coloris, et circa finem Tractus ad Altare, detecto capite, procedunt hoc ordine: antecedit qui personam agit Evangelistæ, tum qui Turbarum, et ultimo qui Christi.

b) Cum ante infimum gradum Altaris pervenerint, unum genu flectunt in plano, ita ut qui personam agit Christi, sit in medio, qui Evangelistæ a dextris, et qui Turbarum a sinistris. Facta genuflexione, vadunt ad locum, ubi Evangelium cantari solet, et ibi stant in linea recta, manibus junctis, sine palmis, et facie versa, uti Diaconus, dum cantat Evangelium. Qui Christi personam refert in medio se ponit, qui Evangelistæ a dextris, qui Turbarum a sinistris, si nimirum tribus utantur Missalibus; sin autem unum dumtaxat adhibent, qui Evangelistæ personam agit se in medio statuit, et qui Christi a dextris.

c) *Passio Domini incipitur absolute: non dicitur* MUNDA COR MEUM, *non petitur Benedictio, non deferuntur luminaria, nec incensum;* adstant tamen Ceroferarii et in eorum medio Thuriferarius, facie ad Diaconos conversa. *Non dicitur* DOMINUS VOBISCUM, *nec respondetur* GLORIA TIBI, DOMINE, *et Celebrans seu Diaconus, dum pronuntiat* PASSIO DOMINI NOSTRI, *non signat librum, neque seipsum. Quod et in aliis diebus servatur, quando legitur Passio.*

d) Cum Passio inchoatur a Diacono, personam Evangelistæ agente, Celebrans sinistra tenet palmam, dextra libro more solito apposita, et submissa voce legit Passionem in cornu Epistolæ. Ministri sacri interim stant ut ad Introitum Missæ, manu sinistra palmam tenentes, dextra pectori admota.

e) Similiter universi de Choro, toto tempore, quo cantatur Passio et Evangelium, stant detecto capite, et facie ad Altare conversa, palmas in manibus tenentes.

f) Dum Celebrans legit verba: EMISIT SPIRITUM, non genuflectit, sed pergit legendo: absoluta vero altera parte Passionis usque ad illam, quæ a Diacono Missæ in tono Evangelii cantanda est, ipse cum Ministris se vertit ad Diaconos cantores; Diaconus stat ad ejus sinistram, in secundo gradu, et Subdiaconus ad sinistram Diaconi, in plano. Omnes palmam tenent manu sinistra, dextra pectori applicata.

g) Dum cantantur verba: EMISIT SPIRITUM, Celebrans, Ministri et omnes de Choro genu utrumque flectunt, in loco ubi sunt, facie ad Altare conversa: Diaconi vero cantores Passionis, post cantata illa verba, genu utrumque flectunt versus librum.

h) Post pausam unius PATER NOSTER, Diacono, qui Evangelistæ personam refert, surgente, surgunt et alii, et stant ut prius.

i) Finito Passionis cantu, Diaconi, facta genuflexione uti ad lit. *b*), eo quo venerunt ordine, ad Sacristiam revertuntur. Celebrans et Ministri tradunt palmas primo Ceroferario, in loco congruo deponendas. Mox Celebrans ad medium Altaris accedit, ibique more solito dicit MUNDA COR MEUM et JUBE DOMINE etc. Subdiaconus interim defert librum ad cornu Evangelii, ibique Celebranti ex more assistit, et in fine Evangelii respondet LAUS TIBI, CHRISTE. Diaconus more solito defert librum ad Altare; et posito, ut alias, incenso in thiribulum, a Diacono *dicitur* MUNDA COR MEUM, *petitur Benedictio*, *defertur incensum sine luminaribus*, adstant tamen Ceroferarii, manibus junctis; Thuriferarius statim tradit thuribulum Diacono, *et incensatur liber: non dicitur* DOMINUS VOBISCUM, *et Celebrans aut Diaconus non signat librum neque seipsum*: *et quod sequitur*, *cantatur in tono Evangelii*, *in cujus fine Celebrans osculatur librum*, dicens PER EVANGELICA DICTA etc. *et incensatur* more ordinario.

9. Si Celebrans, Diaconus et Subdiaconus Missæ Passionem cantant, notetur:

a) Subdiaconus, delato Missali ad cornu Evangelii, descendit in

planum ante Altare tantillum versus cornu Evangelii, accipit Stolam a primo Ceroferario allatam, et facta ab ipso et Diacono a dextris ejus genuflexione in infimo gradu, accedunt ambo ad locum, ut supra.

b) Celebrans vero, quin Planetam exuat, stans in cornu Evangelii, agit personam Christi, et quæ ab aliis cantantur, ipse submissa voce legit.

c) Finita Passione, Diaconus et Subdiaconus vadunt ad Altare ut ad lit. *a*), ubi Subdiaconus Stolam tradit secundo Ceroferario; Diaconus vero librum, a primo Ceroferario acceptum, defert ad Altare.

d) Celebrans loco solito dicit MUNDA COR MEUM, et legit Evangelium, stantibus Ministris in loco, ut alias.

10. Quando Passio non cantatur, tota legitur a Celebrante in cornu Evangelii, stante Diacono a sinistris ejus in secundo gradu, et Subdiacono a sinistris Diaconi in plano.

11. In Missa cantata sine Ministris sacris, etiam in cornu Evangelii Passio legitur et Evangelium cantatur a Celebrante. Item in Missis privatis tota Passio legitur in cornu Evangelii, manibus ante pectus junctis.

§ 2.

DE MISSA ET ALIIS SACRIS FUNCTIONIBUS FERIA QUINTA IN CŒNA DOMINI.

In primis de Missa usque ad Processionem.

1. Altare majus pro hac die paretur solemniter cum florum vasculis et paramentis albis, non tamen Reliquiis vel Imaginibus Sanctorum. Antipendio albo superimponetur aliud violaceum, post Nonam amovendum. Crux in eodem Altari cooperietur velo albo, tametsi Altaria minora cum eorum Cruce suis paramentis violaceis parata remaneant.

2. Super credentiam, præter Calicem Missæ, super cujus Pate-

nam collocabuntur duæ Hostiæ majores, aderit alius Calix amplior et pulchrior, cum Patena, palla et parvo velo serico albo: item Pyxis cum sufficiente numero Hostiarum, si opus fuerit, ac linteum mundissimum, ante communicandos extendendum.

3. Prope credentiam ponetur crotalum, Crux processionalis, velo violaceo tecta, et umbella seu baldachinum parvum albi coloris.

4. *Paretur* etiam tempestive *locus aptus in aliqua Capella Ecclesiæ*, *vel* in aliquo *Altari*, distincto ab illo, in quo Missa celebratur, *et decenter*, *quoad fieri potest*, *ornetur cum velis* (non tamen nigri vel obscuri coloris) *et luminibus*, *ubi Calix cum Hostia reservata reponatur*. In eo Altari sex saltem aderunt candelabra cum cereis albis, inter quos in eminenti loco collocabitur capsula, non ineleganter elaborata, in cujus ima parte Corporale stratum erit. Apponenda autem non sunt Crux, nec Reliquiæ aut Imagines Sanctorum, nec quævis aliæ figuræ, licet Cœnam, Passionem aut Sepulchrum Christi repræsentantes; si modo excipias Angelorum simulacra, cereos præ manibus gerentia.

5. Finita Nona, Celebrans indutus paramentis pretiosis albi coloris, cum Diacono et Subdiacono Dalmatica et Tunicella indutis, cumque aliis Ministris procedit more solito ad Altare, ad Missam celebrandam, in qua omittitur Ps. JUDICA ME, et GLORIA PATRI ad Introitum et ad LAVABO.

6. *Dicitur* GLORIA IN EXCELSIS, *et tunc pulsantur campanæ* intra Ecclesiam, et etiam in turri campanaria, si ab Ecclesia Matrice nondum indictum sit silentium. Continuatur pulsus campanarum intra Ecclesiam, tempore quo Celebrans Hymnum Angelicum legit; in turri vero, durante cantu hujus Hymni: *et deinceps non amplius* campanæ nec organa pulsantur *usque ad Sabbathum Sanctum,* dum iterum GLORIA IN EXCELSIS decantabitur; ideoque ad SANCTUS etc. dabitur signum crotalo, quod etiam serviet pro pulsu ad Salutationem Angelicam, Horas canonicas et alia Officia.

7. *Hodie Sacerdos consecrat duas Hostias*, *quarum unam sumit*, *alteram reservat pro die sequenti*, *in quo non conficitur Sacramentum .... Sanguinem vero totum sumit.* Hostia illa magna reservanda, sub Offertorio cum alia super Patenam posita offertur, sed facta Obla-

tione, demittitur et relinquitur super Corporale tantillum versus cornu Evangelii, usque ad sumptionem Calicis. Advertat itaque Celebrans, ne eam tangat cum Manipulo.

8. AGNUS DEI, *dicitur de more; sed pax non datur: dicuntur tamen tres consuetæ Orationes ante Communionem.* Dicto itaque AGNUS DEI, Ministri mutant loca, Diacono accedente ad librum, et Subdiacono ad dextram Celebrantis.

9. Dum Sacerdos dicit tres consuetas Orationes, Subdiaconus vadit ad credentiam, allaturus Calicem supradictum vacuum, cum sua supellectili, quem super Altare in cornu Epistolæ deponit.

10. Postquam Celebrans diligentius pretiosum Sanguinem sumpserit, Subdiaconus Calicem palla cooperit, quem Diaconus aliquantulum retrahit ad cornu Evangelii, intra tamen Corporale. Tum Ministri iterum permutant loca, et Diaconus Calicem, in quo sacratissima Hostia reservanda est, discooperit: quo facto, omnes genuflectunt et Diaconus, sinistra pectori admota, dextra prædictum Calicem paululum elevatum tenet ante Celebrantem.

11. Celebrans, sinistra super Corporale posita, dextra Hostiam reverenter ponit in Calicem, a Diacono detentum, qua imposita, Diaconus Calicem in medio Corporalis collocat, et, iterata ab omnibus genuflexione, Celebrans parum se retrahit versus cornu Evangelii. Mox *Diaconus* accedens ad medium genuflectit, et prædictum Calicem prius *palla*, *et* deinde *Patena* inversa *cooperit*, *et desuper velum* more solito *expandit*, cavens, ne velum attingat locum Corporalis, ubi sacræ Hostiæ positæ fuerunt; *et* postea Calicem, ita tectum, *in medio Altaris*, prope Secretarum tabellam, *collocat*, ita ut Pyxidem, pro facienda Communione, ante Calicem possit collocare.

12. *Deinde fit Communio* generalis eo ritu et ordine, ut explicatur cap. VI. § 7.

13. Finita Communione, reponitur vel purificatur Pyxis, *et completur Missa.*

14. *Sacerdos autem genuflectit, quandocumque accedit, vel recedit a medio Altaris, vel transit ante Sacramentum, in Calice reservatum; et cum dicere debet* DOMINUS VOBISCUM, *non vertit se ad populum in medio Altaris, ne terga vertat Sacramento, sed a*

latere Evangelii, et in fine ibidem dat Benedictionem, et non perficit circulum, sed omnia peragit uti SS. Sacramento exposito.

15. *Dicitur* ITE, MISSA EST, *et datur Benedictio et legitur Evangelium S. Joannis, in cujus initio Sacerdos non signat Altare, sed seipsum tantum*, nisi adsit tabella, ex qua legitur Evangelium, quæ signanda est. Ad verba: ET VERBUM CARO FACTUM EST Celebrans aliquantulum versus Sanctissimum Sacramentum genuflectit sicut et Ministri.

De Processione SS. Sacramenti ad Sacellum.

16. *Finita autem Missa, accenduntur intorticia*, seu candelæ pro numero Fratrum, *et fit Processio more solito, alio tamen Subdiacono* cum Amictu, Alba, Cingulo et Tunicella alba *parato, Crucem* processionalem *ferente.* Lecto itaque ultimo Evangelio, Celebrans cum Ministris, facta in medio Altaris genuflexione, more solito cum eis per gradus laterales descendit ad scamnum vel prope credentiam, ubi, adjuvante primo Ceroferario, deponit Planetam et Manipulum, quem etiam Ministri deponunt; tum Celebrans, eodem Ceroferario adjuvante, accipit Pluviale album. Interim Sacrista accendit candelas in Altari, in quo Sacramentum reponi debet, ibique explicat Coporale in medio Altaris. Mox e Sacristia procedunt Tædiferi, superpelliceis induti, et tædas accensas gerentes; sequuntur duo Thuriferarii, item superpelliceis induti, qui ante medium Altaris accedunt, genu utrumque flectentes, ita ut Tædiferi sint retro post Thuriferarios; hos sequitur Subdiaconus paratus, qui transiens ante medium Altaris, etiam utrumque genu flectit, et accepta Cruce processionali, se sistit post Tædiferos, quin genuflectat.

17. *Celebrans indutus Pluviali albo*, præcedentibus Ceroferariis cum candelabris de credentia assumptis, incedens per planum, junctis manibus, medius inter Ministros sacros, ad medium Altaris accedit. Mox candelabris a Ceroferariis in infimo gradu Altaris depositis, omnes genuflectunt utroque genu in plano cum profunda capitis inclinatione. Qua facta, Celebrans et Ministri sacri surgunt, et genuflexi in infimo gradu Altaris, parumper orant. Interim accedunt ad Ce-

lebrantem duo Thuriferarii cum thuribulis, et primus Ceroferarius cum navicula pro impositione thuris; primus Thuriferarius, qui sit proximior Diacono, prius suum thuribulum offert, deinde secundus; quod in simili casu semper est observandum.

18. Finita oratione, Celebrans cum Ministris sacris surgit, et *stans ante Altare*, paululum ad cornu Evangelii, *imponit incensum in duobus thuribulis*, *absque Benedictione*, Subdiacono interim dextrum Pluvialis limbum sublevante. *Deinde* Celebrans super infimum gradum *in medio genuflexus, cum altero* thuribulo, primi nempe Thuriferarii, *incensat ter Sacramentum*, facta, more solito, ante et post profunda capitis inclinatione, et elevantibus interim sacris Ministris Pluvialis fimbrias.

19. Post incensationem Ceroferarii cum candelabris suis accedunt ad Subdiaconum cruciferum, et sese hinc inde ad latera ejus constituunt; et Subdiaconus Missæ velum humerale, prius a secundo Ceroferario acceptum, Celebranti imponit. Deinde Celebrans cum Ministris sacris ad secundum Altaris gradum ascendit, ibique genuflectit cum Subdiacono in ora suppedanei: Diaconus vero progreditur ad suppedaneum, genuflectit paululum ad cornu Epistolæ, accipit utraque manu Calicem, et per sinistram suam conversus, stans tradit illum Celebranti adhuc genuflexo, qui illum accipit facta prius capitis inclinatione.

20. Celebrans, *accepto Calice cum Sacramento de manu Diaconi stantis*, *et cooperto* per Diaconum *extremitatibus veli*, *quo ejus humeri teguntur*, surgit. Mox Diaconus genuflectit, et, dum Celebrans suppedaneum ascendit, locum cum Subdiacono permutat. Deinde omnes, stantes in suppedaneo, se vertunt ad populum. Vide. cap. VIII. § 5. de Processione in Festo SS. Corporis Christi. n. 7.

21. Tunc, et non prius, Cantores adhuc genuflexi intonant Hymnum PANGE LINGUA; quo intonato, omnes surgunt, Hymnum prosequuntur, et, facta genuflexione SS. Sacramento, inchoatur Processio ad locum præparatum, per viam longiorem, non autem extra Ecclesiam. Præcedit Subdiaconus cum Cruce medius inter Ceroferarios cum candelabris suis; sequuntur Religiosi cum candelis accensis; et dein Tædiferi. Interea Sacerdos, medius inter Ministros

sacros, descendit ab Altari, et *procedit medius inter eumdem Diaconum a dextris, et Subdiaconum a sinistris, sub baldachino*, seu umbella, quæ portatur a Fratribus laicis, superpelliceo indutis, *duobus Acolythis*, Thuriferariis nempe, *Sacramentum continue*, et alternatim ductis thuribulis, *incensantibus usque ad locum præparatum; ubi pro crastino servandum est.*

22. *Cum autem ventum fuerit ad locum paratum*, Subdiaconus cum Cruce sistit se a latere Evangelii prope Altare, cui assistit unus Ceroferarius, altero a parte altera existente. Reliqui hinc inde se collocant in duas lineas, ita ut seniores sint Sacello proximiores, relicto inter lineas spatio sufficienti, ut Celebrans cum Ministris commode transire possit per medium illorum. Omnes stant facie ad invicem conversa, usque ad adventum SS. Sacramenti; et tunc omnes genuflectunt utroque genu, et sic genuflexi manent versus Sacellum, donec sit recedendum, exceptis Subdiacono cum Cruce et Ceroferariis cum candelabris, qui non genuflectunt.

23. Cum Celebrans ad Sacellum pervenerit, amoto prius baldachino seu umbella, ipse medius inter Ministros ascendit ad secundum gradum Altaris, ubi Subdiaconus mox genuflectit in ora suppedanei; *Diaconus* vero suppedaneum ascendens, *genuflexus*, facta capitis profunda inclinatione, *a Sacerdote stante accipit Calicem cum Sacramento;* deinde surgit et paulisper exspectat, donec Celebrans genuflexione Sacramentum adoraverit. Subdiaconus cum Celebrante surgit, cum ipso descendit et in infimo gradu utrumque genu flectit; statimque velum humerale ab humeris Celebrantis amovet. Diaconus interim *ponit illum*, id est, Calicem, *primo super Altare*, deinde, facta genuflexione, descendit et genuflectit ad dextram Celebrantis. Mox imponitur incensum in thuribulum primi Thuriferarii, et tunc cantantur TANTUM ERGO, et GENITORI. Incenso imposito, *a Sacerdote genuflexo incensatur* Sacramentum, *ut supra;* et *deinde* Diaconus ascendit, genuflectit, Sacramentum *reponit in capsula*, iterum genuflectit, ostiolum claudit et obserat clave, quam tradit Sacristæ. Tum repetita genuflexione, redit ad Celebrantem.

24. Expleto totaliter Hymno, et facta brevi oratione, Celebrante surgente, omnes reliqui quoque consurgunt. Tum repetita ab om-

nibus utriusque genu flexione in plano, Celebrans et Ministri per viam breviorem ad Sacristiam redeunt: præcedunt autem nunc Thuriferarii, tum Tædiferi, post quos sequitur Subdiaconus deferens Crucem, medius inter duos Ceroferarios cum candelis accensis, deinde Celebrans medius inter Ministros sacros; Subdiaconus prope portam Ecclesiæ tradit Crucem Sacristæ. Reliqui vero omnes, post genuflexionem, extinguunt candelas et ordinatim ad Chorum revertuntur. Junior Frater laicus candelas extinctas colligit et in loco congruo deponit.

De Vesperis et denudatione Altarium.

25. *Postea in Choro dicuntur Vesperæ sine cantu*, manentque sub illis candelæ Altaris Chori accensæ. Interim ab alio Sacerdote vel Diacono Pyxis cum Hostiis sacris asportatur e Tabernaculo ad aliam Capellam ab Ecclesia segregatam, vel ad Tabernaculum in Sacristia præparatum.

26. Vesperis finitis, *Sacerdos cum Ministris denudet Altaria*, ad quod peragendum procedunt Ceroferarii sine candelabris, sequitur Thuriferarius sine thuribulo, et postea Subdiaconus, Amictu et Alba indutus, Diaconus insuper Stola violacea transversa, et Celebrans Stola violacea ante pectus instar Crucis plicata, unus post alium, et omnes sine Manipulo.

27. Cum ad Altare majus, a quo semper est incipiendum, pervenerint, detegunt caput et debitam faciunt reverentiam; (Cfr. cap. III. § 5. n. 7.) deinde Altare ascendunt, et Celebrans incipit denudationem *legendo Antiphonam:* DIVISERUNT SIBI VESTIMENTA MEA: ET SUPER VESTEM MEAM MISERUNT SORTEM, *cum toto Psalmo:* DEUS, DEUS MEUS, RESPICE IN ME. Quo lecto, repetitur Antiphona, sed non est repetendus Psalmus, licet multa sint Altaria. Psalmus ergo ita lente celeriusve alternatim cum Ministris est recitandus, ut in postremi Altaris denudatione absolvatur.

28. Ab Altari amoventur mappæ, pallium, et alia ornamenta, excepta Cruce et candelabris.

29. Postea procedunt eodem ordine ut n. 26. ad Altaria minora,

exhibita semper ante infimum gradum debita reverentia, ante et post actionem.

30. Denudatis omnibus Altaribus, per viam breviorem redeunt ad Sacristiam, et extinguuntur candelæ in Altari majori.

31. Hoc sancto Triduo omnes transeuntes ante Crucem, quæ est in summo Altari, debent reverentiam facere per genuflexionem, excepto Celebrante parato, qui tantum profunde se inclinat, nisi aliter notetur.

De Mandato seu pedum lotione.

32. *Nisi Ecclesia tam ampla sit, ut in quodam Sacello lotio pedum exequi possit absque ullo irreverentiæ periculo erga sanctissimum Sacramentum expositum, Mandatum faciendum in Sacrario, aut in alio cubiculo prope Ecclesiam.* S. R. C. 22. Mart. 1862. ad 19. (n. 5318).

33. In loco, ubi lotio pedum facienda est, Altare, si non adsit, erigatur, et ornetur antipendio violaceo, et Cruce item violaceo velo contecta, et sex candelabris cum cereis albis accensis.

34. Ad latus Epistolæ adsit credentia, mappa munda cooperta, super quam ponuntur liber Evangeliorum aut Missale; linteum lineum et amplum, quo Sacerdos præcingi debet; pelvis cum vase aquæ et manutergium pro ablutione manuum Sacerdotis post absolutam pedum lotionem; et insuper alii panni ad pedes extergendos necessarii.

35. Ad latus Evangelii præparatur scamnum oblongum, panno viridi vel alterius coloris coopertum, in quo sedere debent tredecim Religiosi, quibus lavandi sunt pedes. Ante scamnum sternitur tapes tam amplus, ut Sacerdos et Ministri sacri super illum genuflectere possint. Ad caput scamni, id est, ad eam partem, quæ est vicinior Altari, ubi sedere debet dignior eorum, quibus pedes lavandi sunt, ponitur vas, aqua tepida et herbis odoriferis repletum; nec non cussinus, super quem Sacerdos genuflectit.

36. Itaque *post denudationem Altarium, hora competenti*, undecima scilicet antemeridiana, *facto signo cum tabula* lignea seu crotalo,

conveniunt Clerici et Laici, non impediti, ad locum designatum *ad faciendum Mandatum.*

37. *Prælatus, seu Superior* in Sacristia *super Amictu et Alba induitur Stola et Pluviali violaceis*, sed absque Manipulo; Diaconus et Subdiaconus paramentis albis induuntur cum Manipulis. Deinde, factis solitis reverentiis, præcedente Thuriferario cum thuribulo, quem sequuntur duo Ceroferarii cum candelabris accensis, procedit Prælatus ad Altare, seu locum designatum, medius inter sacros Ministros.

38. Cum ad Altare pervenerint, Ceroferarii deponunt candelabra in credentia. Deinde dispositis Amictibus ut in Missa solemni, factaque reverentia debita, Prælatus et Subdiaconus Altare ascendunt, quod Prælatus osculatur more solito; Diaconus vero librum Evangeliorum, a primo Ceroferario acceptum, ad Altare defert ut alias.

39. Tum *ministrante Diacono* cum solitis osculis naviculam, Prælatus *imponit* ac benedicit *incensum in thuribulo* more solito, et Subdiaconus interim dextram Pluvialis fimbriam elevat.

40. *Deinde* descendit Subdiaconus ab Altari; *Diaconus* vero ad secundum gradum, et dicit MUNDA COR MEUM etc. ut in Missa. Quo dicto, *librum Evangeliorum* de Altari accipit, illumque *ante pectus tenens, genuflexus ante Superiorem*, more solito *petit Benedictionem; qua accepta*, cæterisque peractis ut alias, *adstantibus duobus Acolythis cum candelabris accensis, et Subdiacono librum tenente, signat librum et incensat, et cantat, ut moris est, Evangelium:* ANTE DIEM FESTUM PASCHÆ, *ut in Missa.*

41. *Quo finito, Subdiaconus portat librum apertum osculandum Superiori, et Diaconus eum de more incensat;* Ceroferarii vero candelabra sua, et Subdiaconus librum ad credentiam deferunt, apud quam Thuriferarius etiam thuribulum deponit.

42. *Postea*, id est, postquam incensatus est a Diacono, *Superior*, vertens se per suam dextram, e latere Epistolæ descendit in planum, ibique *exuitur Pluviali, et per Diaconum et Subdiaconum*, qui prius ibidem Manipulos deponunt, *præcingitur linteo, et sic præcinctus, assistentibus sibi* hinc inde *eisdem Diacono et Subdia-*

cono, accedit ad lotionem pedum, faciendam in latere Evangelii, facta cum omnibus Ministris in transitu reverentia Altari.

43. *Et* Superior, *per ordinem dispositis*, et in scamno sedentibus *iis, qui lavandi sunt, Clericis* seu Ceroferariis, *pelvim et aquam ministrantibus, Subdiacono singulorum pedem dextrum tenente, genuflectens singulis illorum pedem lavat, extergit et osculatur, Diacono præbente linteum ad abstergendum.* Cum itaque Superior ad ipsos, qui lavandi sunt, accesserit, genuflectit utroque genu super cussinum, ante primum in ordine, Altari scilicet propinquiorem; Diaconus genuflectit ad dextram, et suo tempore linteum præbet ad pedes abstergendos; Subdiaconus vero genuflectit ad sinistram, et singulorum pedem dextrum nudum ac aliquantulum super pelvim elevatum tenet. Thuriferarius stat retro post Superiorem, portans quædam lintea, quæ, cum opus fuerit, Diacono porrigit ad pedes abstergendos. Ceroferarii stant hinc inde ad latera Thuriferarii, et dum Superior cum sacris Ministris surgit a lotione pedis primi Religiosi, primus Ceroferarius accipit pelvim, secundus vero cussinum, et illa ante subsequentem Religiosum deponunt, et deinceps ante alios, quorum pedes lavandi sunt.

44. Dum Prælatus incipit lotionem, a primo Cantore intonatur Antiphona: MANDATUM NOVUM, cum reliquis, ut in Missali seu Processionali.

45. *Post lotionem Superior, vel qui aliis abluit pedes, lavat manus*, primo Ceroferario aquam infundente, *et abstergit alio linteo*, seu manutergio mundo, quod secundus Ceroferarius offert. Ministri sacri etiam, si indigeant, eodem modo manus suas lavant.

46. Deinde accedunt omnes ante medium Altaris, et facta reverentia, pergunt ad latus Epistolæ, ubi Prælatus, deposito linteo, quo præcingebatur, Pluviale, et Ministri sacri Manipulos resumunt. Tum omnes redeunt ante Altare, præcedentibus Ceroferariis cum candelabris suis, de credentia resumptis, quæ elevata sustinent usque in finem.

47. Facta ab omnibus Altari debita reverentia, Superior stans ante infimum gradum Altaris, manibus ante pectus junctis, cantat PATER NOSTER, quod secreto complet usque ad Versum: ET NE NOS

etc. quem cantat cum aliis Versibus et Oratione, ut in Missali, quod Diaconus et Subdiaconus, hinc inde stantes, ante Superiorem apertum sustinent.

48. Quibus finitis, Diaconus librum clausum tradit Thuriferario, et facta ab omnibus reverentia debita, ad Sacristiam revertuntur.

§ 3.

DE OFFICIO FERIÆ SEXTÆ IN PARASCEVE.

In primis de principio Officii usque ad denudationem Crucis.

1. *Finita Nona, Sacerdos et Ministri induti paramentis nigri coloris*, excepta Dalmatica et Tunicella, præcedentibus Ceroferariis et Thuriferario, *sine luminaribus et incenso procedunt ad Altare*, quod erit omnino nudum, nihilque super illud positum sit præter Crucem, velo violaceo tectam, et sex candelabra communia cum candelis ex cera communi.

2. Credentia erit cooperta linteo in superiori tantummodo parte; ponentur super eam Missale cum pulpito pro Celebrante et alterum Missale pro Ministris, mappa pro Altari, bursa nigri coloris cum Corporali intus, ac desuper purificatorium, velum nigrum Calicis, duo candelabra Ceroferariorum cum candelis extinctis, pelvicula cum ampullis vini et aquæ, manutergium et navicula incensi.

3. Sacerdos et Ministri sacri, cum ad Altare pervenerint, mox detectis capitibus, et Amictibus dispositis, flexis in plano genibus, se prosternunt, *et* sic *ante illud* Altare, brachiis super cussinos obscuri coloris, super secundum a terra gradum positos, reclinatis, *prostrati*, *aliquamdiu*, per spatium scilicet unius MISERERE, *orant.*

4. Eodem tempore, quo Celebrans, se prosternit, omnes de Choro genuflectunt versus Altare, et caput inclinant. *Interim* duo *Acolythi*, Ceroferarii nempe, breviori facta oratione, unius circiter AVE MARIA, assurgunt, et *unam tantum tobaleam*, ex credentia assumptam, ita *extendunt super Altare*, ut parum hinc inde pendeat; tum Thuri-

ferarius pulpitum cum Missali aperto in cornu Epistolæ super Altare collocat.

5. *Sacerdos cum Ministris, facta oratione*, surgit, uti et omnes alii de Choro, et *ascendit ad Altare* et ipse solus *osculatur illud in medio:* Ministri vero, facta genuflexione in suppedaneo, per viam breviorem accedunt ad latus Epistolæ, et assistunt Celebranti ut ad Introitum Missæ.

6. *Deinde Lector*, Thuriferarius nempe, accepto Missali de credentia, *accedit* ante medium Altaris, et facta solita reverentia, vadit *ad legendum*, id est, cantandum, *Prophetiam* tono Lectionis, *in loco, ubi legitur Epistola, et incipit eam sine titulo, quam etiam Sacerdos legit submissa voce apud Altare in cornu Epistolæ;* qua finita, non respondetur DEO GRATIAS. Lector in fine non osculatur manum Celebrantis, neque ab illo accipit Benedictionem, sed facta genuflectione ut prius, refert librum ad credentiam. Interim omnes in Choro sedent.

7. Cantata lectione, omnes in Choro surgunt, et cantatur Tractus, in cujus fine Ministri sacri se sistunt a tergo Celebrantis unus post alium. *Finito Tractu, Sacerdos in cornu Epistolæ dicit* cantando OREMUS, extendens et jungens manus, caputque Cruci inclinans: *Diaconus* cantat FLECTAMUS GENUA *et Subdiaconus* LEVATE. Vide cap. III. § 6. n. 9. Deinde Celebrans cantat Orationem, manibus extensis, ut alias.

8. Absoluta a Celebrante Oratione, Diaconus redit ad ejus dextram; Subdiaconus vero, accepto Missali more solito, *in tono Epistolæ similiter sine titulo cantat sequentem Lectionem:* IN DIEBUS ILLIS etc. cum genuflexione in medio Altaris ante et post. Celebrans interim Lectionem illam, in cujus fine non respondetur DEO GRATIAS, una cum Tractu submissa voce legit. Subdiaconus, cantata Lectione, tradit librum Ceroferario, non osculatur manum Celebrantis, nec ab eo benedicitur, sed collocat se a dextris Diaconi, ut ad Introitum Missæ.

9. *Finito Tractu, dicitur Passio super nudum pulpitum.* Si Passio cantetur a tribus Diaconis peculiaribus, *Celebrans* illam totam, manibus ante pectus junctis, *submissa voce* et eontinuatim

legit in cornu Epistolæ; in eodem cornu, profunde inclinatus dicit MUNDA COR MEUM sine JUBE DOMINE etc. Deinde erectus, ibidem legit reliquam Passionis partem, quæ locum tenet Evangelii. Quod si Passio ab ipso Celebrante, Diacono et Subdiacono decantari oporteat, Celebrans suam partem cantat in cornu Epistolæ, et, facta cum aliis genuflexione ad TRADIDIT SPIRITUM, cætera legit ut supra.

10. Cantatis verbis: VIDEBUNT, IN QUEM TRANSFIXERUNT a Diacono more solito, liber ad Altare defertur, et *quod sequitur, legitur* ab ipso *in tono Evangelii, et* in loco consueto *dicitur* MUNDA COR MEUM, *sed non petitur Benedictio, et non deferuntur luminaria, neque incensum, et Celebrans in fine non osculatur librum.*

11. Evangelio cantato, Subdiaconus tradit librum primo Ceroferario, qui cum socio suo et Thuriferario, facta genuflexione in medio, ad locum consuetum recedit. Diaconus vero et Subdiaconus, facta genuflexione in infimo gradu, ad loca sua accedunt retro post Celebrantem.

12. *Deinde Sacerdos stans in cornu Epistolæ, incipit absolute junctis manibus* primam Monitionem: OREMUS DILECTISSIMI etc. qua absoluta, expandens jungensque ante pectus manus, et caput Cruci inclinans, subjungit OREMUS; *Diaconus* cantat FLECTAMUS GENUA: *Subdiaconus* LEVATE. *Oratio cantatur in tono feriali Orationis Missæ, extensis manibus. Et hic modus servatur in subsequentibus.*

13. Ad nomen Papæ caput inclinatur; at si Sedes Apostolica vacet, Monitio omittitur una cum Oratione pro Papa. Monitio cum Oratione pro Imperatore Romano, ob sublatum Romanum imperium, non amplius est recitanda. Ad præscriptas Orationes adjungenda non est alia particularis pro Episcopo, nec pro Rege vel Principe, nisi expressim a S. Sede fuerit concessa.

14. Circa finem Orationum Ceroferarii extendunt tapetem violaceum ante gradus Altaris ad cornu Evangelii, ita ut superior pars tapetis primum vel alterum gradum Altaris attingat; in infimo Altaris gradu super tapetem ponunt pulvinar violaceum, cui pulvinari imponunt velum sericum longum et album, super quod Crux adoranda reclinari debet, cum pedibus ad populum versis.

De Crucis denudatione et adoratione.

15. *Completis Orationibus, Sacerdos* cum Ministris statim, absque ulla reverentia Altari facienda, per gradus laterales descendit in planum prope scamnum, et ibi *deposita Casula, accedit ad cornu Epistolæ*, id est, ad angulum posteriorem illius cornu, ita ut sit pene collateralis candelabris Altaris, ibique stat in plano, facie ad populum versa. Subdiaconus sistit se ad sinistram Celebrantis, Thuriferarius et Ceroferarii post eos. Diaconus vero per planum se confert ante medium Altaris, genuflectit in infimo gradu, Altare ascendit, et, iterata genuflexione, Crucem reverenter accipit, quam usque ad oculos elevatam, conversa Crucifixi effigie ad se ipsum, per viam breviorem defert ad Celebrantem, cui illam sine osculis tradit, et statim se collocat ad dextram Celebrantis.

16. Sacerdos *ibi, in posteriori parte anguli Altaris*, stans, *accipit a Diacono Crucem . . ., quam, versa facie ad populum, a summitate parum discooperit*, ita tamen ut Crucifixi caput minime appareat. Mox Crucem utraque manu elevans ad altitudinem ocuoculorum, voce gravi cantat, *incipiens solus, Antiphonam*: ECCE LIGNUM CRUCIS, *ac deinceps in reliquis juvatur in cantu a Ministris usque ad* VENITE, ADOREMUS. Interim omnes, etiam in Choro, stant detecto capite, et facie ad Crucem conversa. *Choro autem cantante* VENITE, ADOREMUS, *omnes se prosternunt*, non tamen usque ad terram, sed genibus flexis, et capite valde demisso, *excepto Celebrante*, qui solus manet stans.

17. *Deinde* assurgunt omnes, et Celebrans cum Ministris *procedit ad anteriorem partem anguli ejusdem cornu Epistolæ*, in eo scilicet loco, ubi legitur Introitus Missæ, ibique stans medius inter Ministros ut supra, Thuriferario et Ceroferariis stantibus in plano, *et discooperiens brachium dextrum Crucis* et caput Crucifixi, *elevansque eam paulisper altius, quam primo incipit* ac cantat solus ECCE LIGNUM CRUCIS, *aliis cantantibus et adorantibus, ut supra.*

18. *Deinde* surgunt, et *Sacerdos* cum Ministris, ut supra, *procedit ad medium Altaris, et discooperiens Crucem totaliter*, velum tradit Subdiacono et hic Thuriferario, qui illud ad creden-

tiam defert. Tum Sacerdos Crucem, ut supra, ambabus manibus tenens, *ac* altius *elevans eam*, *tertio altius incipit* ECCE LIGNUM CRUCIS, *aliis cantantibus et adorantibus*, *ut supra.*

19. *Postea*, Ministris tam sacris quam inferioribus, et omnibus in Choro manentibus genuflexis, *Sacerdos solus*, sine ulla inclinatione facta Altari, per gradus anteriores descendens, *portat Crucem* ambabus manibus, imagine Crucifixi ad populum conversa, *ad locum ante Altare præparatum*, *et genuflexus* utroque genu, *ibidem eam locat* super pulvinar (n. 14.) Deinde surgit, et omnes alii cum illo, genuflectit uno genu versus Crucem, Ministris omnibus etiam genuflectentibus in locis suis versus Crucem, et vadit ad latus Epistolæ, ad scamnum, ad quod etiam Ministri per viam breviorem accedunt. Interim Sacrista denudat Crucem processionalem, et omnes alias Cruces, non vero Imagines, quæ sunt per totam Ecclesiam.

20. Tum Sacerdos et Ministri deponunt Manipulos; et Sacerdos *mox* etiam *depositis calceamentis*, seu sandaliis, solus *accedit*, manibus junctis, ante pectus, *ad adorandam Crucem*, *ter genua flectens*, *antequam eam deosculetur*, hoc modo: procedens per planum versus gradum Presbyterii, sistit se ante Crucem, in sufficienti distantia, ut inter unam et aliam genuflexionem trium circiter passuum intervallum intercedat; et ibi genuflexus utroque genu, facit primam adorationem capite parum inclinato, interim dicens, si velit, ADORAMUS TE, CHRISTE, ET BENEDICIMUS TIBI; QUIA PER SANCTAM CRUCEM TUAM REDEMISTI MUNDUM. Deinde surgit, et tribus procedens passibus, iterum eodem modo genuflectit et adorat; quod cum tertio fecerit ante pedes Crucis, quin prius surgat, solos Crucifixi pedes deosculatur. *Hoc facto*, surgit, et facta unius genu flexione ante Crucem, ad scamnum *revertitur*, *et accipit calceamenta*, Manipulum *et Casulam*, et assidet capite tecto.

21. *Postmodum*, postquam scilicet Celebrans ab adoratione Crucis reversus fuerit, depositis calceamentis, *Ministri Altaris*, *deinde alii Clerici et Laici*, *bini et bini*, *ter genibus flexis*, *ut dictum est*, *Crucem adorant.* Quod ut ordinate fiat, notanda sunt sequentia: *a*) Diaconus et Subdiaconus a sinistris ejus, facta Celebranti incli-

natione capitis, simul pergunt Crucem adoraturi, eodem modo, ut de Celebrante dictum est; simul genuflectunt et surgunt; Crucifixi pedes primo Diaconus, deinde Subdiaconus osculatur. Postea simul surgunt, unum genu flectunt, et ad locum suum, manibus ante pectus junctis, redeunt; ubi facta Celebranti reverentia, sandalia et Manipulum reassumunt. Tum sedent, caput tegunt, et alternatim cum Celebrante recitant Improperia, ante ipsum sustinentes librum usque dum adveniat Thuriferarius.

b) Si adsit Minister Generalis, Provincialis, aut Custos Regiminis, Crucem adorant immediate post Celebrantem, qui eo tempore ad scamnum stabit aperto capite.

c) Post Diaconum et Subdiaconum sequuntur Ceroferarii et Thuriferarius in medio eorum, genuflectentes ut infra: Crucifixi pedes primo osculatur Thuriferarius, tunc Ceroferarius, qui a dextris, et deinde qui a sinistris. Thuriferarius ad Celebrantem reversus, sustinet librum ante ipsum.

d) Post illos sequuntur omnes de Choro ordinatim bini et bini, depositis sandaliis et manibus ante pectus junctis. Ut autem adoratio non interrumpatur et debito modo fiat, advertant omnes, ut, dum duo primi secundo genuflectunt, duo sequentes genuflectant primo; et quando illi tertio, hi secundo; et quando illi, osculata et per genuflexionem venerata Cruce, lateraliter hinc et inde recedunt, duo sequentes genuflectant tertio; atque alii successive. Crucifixi pedes primo osculatur ille, qui est a dextris; si vero numerus sit impar, tres postremi simul procedunt, et Crucem osculantur, ut dictum est ad lit. *c*).

22. *Interim, dum fit adoratio Crucis, cantantur Improperia, et alia, quæ sequuntur, vel omnia, vel pars eorum, prout multitudo adorantium, vel paucitas requirit.*

23. *Circa finem adorationis Crucis*, a secundo Ceroferario *accenduntur candelæ super Altare* et credentiam; et transfertur ab ipso Missale cum pulpito ad cornu Evangelii; *et Diaconus accipiens bursam Corporalium* cum purificatorio desuper, ad Altare defert, genuflectens versus Crucem, *extendit Corporale more solito, et juxta illud ponit purificatorium.* Quo facto, redit ad Celebrantem.

24. Eodem tempore in Sacristia præparantur duo thuribula; et Subdiaconus, qui Crucem in Processione gestare debet, induit Amictum, Albam et Cingulum.

25. *Finita adoratione*, Diaconus accedit ad locum, ubi Crux reponitur, facta unius genu flexione, *Crucem reverenter accipit*, *et*, Crucis dorso ad se converso, utraque manu illam elevatam tenens usque ad oculos, *reportat ad Altare*. Cum Diaconus, antequam Crucem accipiat, genuflectit, omnes, tam Celebrans quam Ministri et omnes de Choro, detecto capite, genu utrumque flectunt, quisque in loco suo.

26. Cruce loco suo reposita, omnes surgunt, et Diaconus, facta genuflexione, redit ad Celebrantem. Interim Ceroferarii tapetem cum velo et pulvinari in Sacristia vel in alio loco congruo reponunt; et junior de choro omnibus Fratribus in choro existentibus intorticia extincta distribuit.

27. Eodem tempore Tædiferi, superpelliceis induti, cum tædis extinctis adveniunt; hos sequuntur duo Thuriferarii cum thuribulis et navicula: et ipsos sequitur Subdiaconus. Vide n. 24. Sistunt se in medio Presbyterii, ita ut Tædiferi stent ante Subdiaconum, Thuriferarii vero post ipsum. Facta ab omnibus unius genu flexione, Subdiaconus ibi accipit Crucem processionalem, allatam per primum Ceroferarium, qui mox ad credentiam redit, et ibi una cum socio acceptis candelabris, se hinc inde ad latera Subdiaconi cruciferi collocant. Celebrans vero et Ministri accedunt ante medium Altaris.

De Processione et reliquo Officio hujus Feriæ.

28. *Postea ordinatur Processio* per viam breviorem *ad locum, ubi pridie Sacramentum repositum fuerat. Præcedit* immediate post Thuriferarios *Subdiaconus* (n. 27.) *cum Cruce inter duos Acolythos*, seu Ceroferarios, *deferentes candelabra cum cereis accensis*, *et Clerus per ordinem*; deinde veniunt Tædiferi, *ultimus* vero *Sacerdos cum Ministris* sacris, qui non a latere Sacerdotis, sed unus post alium incedunt. Omnes, exceptis Crucifero et Ceroferariis, antequam a loco discedant, per genu unius flexionem Cruci Altaris

reverentiam exhibent, etiam Celebrans et Ministri in infimo gradu Altaris.

29. *Cum perventum fuerit ad locum Sacramenti*, Thuriferarii manent apud Sacellum, Crucifer vero, Ceroferarii et Clerus progrediuntur, ita ut seniores sint Sacello proximiores. Tum genuflectunt, exceptis ut supra, et *accenduntur intorticia, quæ non extinguuntur, nisi post sumptionem Sacramenti.*

30. *Sacerdos*, facta cum Ministris sacris genu utriusque flexione in plano, surgit cum ipsis, et cum eis *genuflectit* in infimo gradu *ante Sacramentum*, et *orat aliquantulum.*

31. *Diaconus interim*, post brevem nempe orationem, puta unius Pater et Ave, Altare ascendit, genuflectit, *aperit capsulam, in qua reconditum est Corpus Domini*, iterum genuflectit, et redit ad Celebrantem.

32. *Postea Sacerdos surgens* una cum Ministris sacris, *absque Benedictione imponit incensum in duobus thuribulis, Diacono naviculam ministrante, et genuflexus incensat Sacramentum. Tum* Subdiaconus Celebranti imponit velum humerale album, *Diaconus* vero *extrahens Calicem cum Sacramento de capsula*, illum *dat ad manus Sacerdotis, et tegit extremitatibus veli, quod humeros illius circumdat, et procedunt ordine quo* heri ab Altari ad Sacellum *venerunt*, sed per viam longiorem: *et defertur baldachinum super Sacramentum: et duo Acolythi cum thuribulis continue Sacramentum incensant.* Vide dicta § præc. 2. n. 2. 18. 19. et 20.

33. *Interim*, id est, dum Sacerdos se vertit ad populum, *cantatur Hymnus:* Vexilla regis. Vide l. c. n. 21.

34. Subdiaconus deferens Crucem, cum pervenerit in Presbyterium, mox deponit Crucem in aliquo loco congruo a latere Epistolæ, et ibidem genuflectit, donec Celebrans Altare ascenderit: tum redit ad Sacristiam, vestes depositurus. Ceroferarii vero candelabra sua ad credentiam deferunt, et similiter ibidem genuflectunt.

35. Reliqui Religiosi Chorum ingressi, statim in stallis suis genuflectunt, intorticia accensa in manibus tenentes. Vide n. 29. Ubi Chorus non est ante Altare, genuflectunt in Presbyterio. Tædiferi vero superpelliceis induti, genuflectunt ante Altare in linea recta,

duobus vel tribus passibus ab Altaris gradibus remoti. Interim a Sacrista extinguuntur candelæ Sacelli, ubi Sacramentum repositum fuit.

36. *Cum venerit Sacerdos ad Altare*, medius inter Ministros ascendit, et Calicem tradit Diacono, ut § præc. 2. n. 23. Deinde genuflectit in ora suppedanei, et Subdiaconus amovet velum humerale: Diaconus vero Calicem velatum super Corporale ponit, genuflectit, et accedit ad dextram Celebrantis, qui mox surgit, et in secundo gradu, parum ad cornu Evangelii, consistens, incensum ponit in thuribulum, et iterum *genuflexus* in ora suppedanei, Sacramentum ter *rursum incensat.* Interim secundus Thuriferarius thuribulum suum ad Sacristiam reportat.

37. Sacramento incensato, Sacerdos cum Ministris surgit, *et accedens* ad Altare, cum eis genuflectit. Deinde Diaconus velum a Calice amovet, quod tradit primo Ceroferario, qui illud ad credentiam portat: tum idem Diaconus Patenam extra Corporale, et pallam loco solito reponit. Postea Sacerdos apprehendit Calicem, et illum invertendo *deponit Hostiam e Calice super Patenam, quam Diaconus* ambabus manibus *tenet* elevatam super Corporale coram Celebrante.

38. Hostia super Patenam collocata, Sacerdos reponit Calicem in loco solito, *et accipiens* ambabus manibus *Patenam de manu Diaconi, Hostiam sacram ponit super Corporale, nihil dicens*, nec ullum signum Crucis efformans cum Patena, quam statim collocat non subtus sed super Corporale. Advertant autem Sacerdos et Diaconus, ne Hostiam digitis tangant; quod *si* quis *tetigerit Sacramentum, digitos abluat in aliquo vase*, ad hoc præparato. Diaconus nec Patenam, nec manum Celebrantis osculatur.

39. *Interim* Subdiaconus solitis cum reverentiis accedit ad dextram Diaconi, vinum et aquam ministraturus: *Diaconus imponit vinum in Calicem,* quem prius dextra acceptum, deinde sinistra aliquantulum elevatum tenet extra Corporale, absque Calicis abstersione ante et post infusionem; *et Subdiaconus* imponit *aquam* in Calicem, *quam Sacerdos non benedicit, nec dicit super eam Orationem consuetam; sed accipiens Calicem a Diacono*, sine osculis,

ut supra, statim *ponit super Altare* loco consueto, *nihil dicens*, nec faciens signum Crucis cum Calice; *et Diaconus illum cooperit palla;* et Subdiaconus redit ad sinistram Celebrantis.

40. *Deinde* Sacerdos *imponit incensum in thuribulo absque Benedictione* et absque Oratione: PER INTERCESSIONEM etc. *et incensat Oblata et Altare more solito*, *genuflectens ante et post*, *et quandocumque transit ante Sacramentum*, hoc modo: facta genuflexione, se paulum retrahit ad cornu Evangelii; imposito incenso, ad medium redit cum genuflexione; accipit thuribulum, et, prætermissa Sacramenti incensatione, Oblata ex more incensat, dicens: INCENSUM ISTUD. Mox iterata genuflexione, stans incensat Crucem Altaris, dicens: DIRIGATUR, DOMINE. Tum iterum genuflectit, et Altare thurificat. *Quando reddit thuribulum Diacono*, *dicit;* ACCENDAT. *Et ipse non incensatur;* sed Diaconus acceptum sine osculis thuribulum statim tradit Thuriferario, qui illud in Sacristia vel alio loco congruo reponit.

41. *Postea* Sacerdos *aliquantulum extra Altare in cornu Epistolæ lavat manus*, *nihil dicens*. Interim stant Diaconus a dextris et Subdiaconus a sinistris.

42. *Deinde*. abstersis manutergio manibus, Sacerdos ad medium Altaris cum Ministris revertitur; Diacono incedente per gradum secundum, Subdiacono per planum. Facta ab omnibus genuflexione *in medio Altaris*, Sacerdos corpore mediocriter *inclinatus*, *junctis manibus* super Altare positis, *dicit* submissa, sed intelligibili voce Orationem: IN SPIRITU HUMILITATIS. Diaconus statim post factam genuflexionem ad Missale accedit.

43. *Deinde*, osculato Altari, et facta genuflexione, *versus ad populum in cornu Evangelii*, *dicit more solito* ORATE, FRATRES, et proferens reliqua secreto, *per eamdem viam revertitur*, *non perficiens circulum:* et non respondetur SUSCIPIAT: sed statim *et consequenter*, *omissis aliis*, *dicit*, manibus junctis ante pectus, OREMUS, PRÆCEPTIS etc. deinde manibus extensis PATER NOSTER, et tunc Diaconus vadit retro post Celebrantem, et ibi manet, uti et Subdiaconus, usque ad finem Orationis: LIBERA NOS, QUÆSUMUS.

44. In fine Orationis Dominicæ Chorus (n. 35.) respondet SED

LIBERA NOS A MALO; et Sacerdos, sub silentio dicto AMEN, *eadem voce, qua dixit* PATER NOSTER, *absolute, sine* OREMUS, *in tono Orationis Missæ ferialis dicit* extensis adhuc manibus, LIBERA NOS, QUÆSUMUS, etc. Dicens DA PROPITIUS PACEM, non signat se cum Patena, sed Chorus respondet AMEN, et interim Diaconus et Subdiaconus genuflectunt in ora suppedanei, ob sacræ Hostiæ Elevationem, ad quam Planetæ fimbriam nequaquam extollunt.

45. *Tunc*, responso nempe a Choro AMEN, *Celebrans*, *facta reverentia* unum genu demittendo *usque ad terram*, *supponit Patenam Sacramento*, *quod in dextra*, inter pollicem et indicem, *accipiens*, sinistra, qua tenet Patenam, super Coporale posita, sic *elevat*, *ut videri possit a populo.* Ad hanc Elevationem non fit incensatio, datur tamen a primo Ceroferario signum crotalo, ut populus Sacramentum debite adoret.

46. Cum Celebrans incipit sacram Hostiam declinare, Diaconus ad dextram, Subdiaconus ad sinistram Celebrantis absque genuflexione accedunt. Diaconus confestim Calicem discooperit, *et* Celebrans sacram Hostiam *statim*, sine prævia genuflexione, *supra Calicem* demittens *dividit in tres partes*, *quarum* duas majores super Patenam collocat, *ultimam* vero seu minimam *mittit in Calicem*, *more solito*, sed sine signo Crucis, et *nihil dicens.* Postea Diaconus Calicem palla cooperit, statimque omnes genuflectunt, et Ministri loca permutant.

47. PAX DOMINI *non dicitur*, *nec* AGNUS DEI, *neque pacis osculum datur;* sed *postmodum*, facta scilicet genuflexione, (n. 46.) Celebrans, *prætermissis duabus primis Orationibus*, *dicit tantum sequentem:* PERCEPTIO CORPORIS TUI etc. more solito, id est, secreto, corpore mediocriter inclinatus et manibus junctis, super Altare positis.

48. *Tum* Sacerdos cum Ministris *genuflectit*, *et accipit Patenam cum Corpore Christi*, ut in Missa privata, *et maxima humilitate ac reverentia dicit:* PANEM CŒLESTEM ACCIPIAM etc. *percutit pectus suum ter dicens:* DOMINE, NON SUM DIGNUS etc. *Postea signat se Sacramento dicens* CORPUS DOMINI NOSTRI etc. *et sumit Corpus reverenter*. Omnia, ut alias, Celebrans et Ministri observent.

49. *Deinde*, facta a Celebrante brevi meditatione, Subdiaconus

Calicem detegit et tunc omnes genuflectunt. Celebrans, *omissis omnibus, quæ dici solent ante sumptionem Sanguinis*, collectis tamen fragmentis ac in Calicem missis, nihil dicens, neque se ipsum cum Calice signans, Patenam mento supponendo, *immediate particulam Hostiæ cum vino reverenter sumit de Calice*, Ministris interim de more profunde se inclinantibus.

50. Postquam Sacerdos particulam Hostiæ cum vino sumpserit, omnes a genuflexione surgunt, (n. 45.) et secundus Ceroferarius extinguit candelas in candelabris Ceroferariorum positas; Tædiferi tædas suas extinctas tradunt Thuriferario asportandas; et junior Frater laicus intorticia extincta aliorum Religiosorum colligit et in loco congruo deponit.

51. Sacerdos, prætermissa consueta Calicis purificatione, pollices et indices super Calicem, Subdiacòno vinum et aquam fundente, prout alias, abluit, nihil tamen dicens; *et* tum *more solito facta ablutione* et abstersione *digitorum, et sumpta* hac sola *purificatione*, ac deposito Calice, *in medio Altaris* corpore mediocriter *inclinatus, manibus* ante pectus *junctis, dicit* secreto QUOD ORE SUMPSIMUS etc.

52. Interim Subdiaconus, permanens in cornu Epistolæ, extergit Calicem more solito, Patena, palla, et velo nigro, per secundum Ceroferarium allato, ac bursa Corporalium cooperit, per viam breviorem ad credentiam defert, et mox redit ad sinistram Celebrantis. Diaconus vero, post Orationem: QUOD ORE SUMPSIMUS, claudit librum, et ad dextram Celebrantis accedit.

53. *Non dicitur* CORPUS TUUM, DOMINE, *nec Postcommunio nec* PLACEAT TIBI, *nec datur Benedictio*, *sed* Celebrans ibi exspectat, donec Subdiaconus redeat; tum quippe, factis debitis reverentiis, cum Ministris in planum descendit, et ibi *facta* etiam a Sacerdote *reverentia Altari* per genu unius flexionem in plano, *Sacerdos cum Ministris discedit.* Præcedunt Ceroferarii sine candelabris, sequitur Thuriferarius sine thuribulo, post quem veniunt illi, qui tædas detulerunt, et tandem Ministri et Celebrans.

54. *Et* statim in Choro *dicuntur Vesperæ sine cantu*, cum candelis Altaris accensis; *et* interim *denudatur Altare* ab Acolythis,

superpelliceo indutis, Completis Vesperis, candelæ Altaris extinguuntur per secundum Ceroferarium.

§ 4.

DE SABBATHO SANCTO. — IN PRIMIS DE BENEDICTIONE NOVI IGNIS ET GRANORUM INCENSI.

1. *Hora competenti cooperiuntur* et ornantur *Altaria* etiam minora ornamentis albi coloris. Pallio vero albo Altaris majoris superimponetur aliud violaceum, post Litanias amovendum; quo tempore etiam gradus Altaris, qui erant nudi, teguntur tapetibus, si fieri possit, antequam Missa inchoetur.

2. Pro novi ignis benedictione, extra portam principalem Ecclesiæ, vel in atrio aut aditu ipsius, aliquantulum ad latus, lateri Epistolæ Altaris respondens, paratur mensa, linteo mundo cooperta. Ante hanc mensam ponitur pulpitum cum Missali; super mensam collocantur a parte dextra Dalmatica, Stola et Manipulus albi coloris pro Diacono, ac Manipulus violaceus pro Subdiacono; a parte vero sinistra ponuntur una saltem candela, instrumenta ad ignem e silice excutiendum, vas cum carbonibus et materia facile combustibili, ligna quoque sulphurata ac forcipes. Prope mensam, a latere dextro, ponitur arundo, eleganter circum ornata, in cujus cuspide affixæ sunt tres candelæ ceræ albæ, æqualiter inter se distantes, et quæ in ima sua parte desinunt in unam candelam. Arundo in aliqua basi, vel alio modo tuto firmatur.

3. *Dicuntur Horæ, candelis Altaris extinctis usque ad principium Missæ. Interim*, id est, antequam Celebrans novum ignem benedicturus advenerit, a Sacrista *excutitur ignis de lapide foris Ecclesiam* (n. 2.) *et ex eo accenduntur carbones*, ut Celebrans adveniens novum ignem accensum reperiat.

4. *Dicta Nona, Sacerdos, indutus Amictu, Alba, Cingulo, Stola et Pluviali violaceo, vel sine Casula*, si non adsit Pluviale, et Ministri sacri similiter induti, id est, Amictu, Alba, Cingulo, et Diaconus etiam Stola violacea, sed sine Manipulis et Dalmaticis,

per viam breviorem procedunt hoc ordine: præcedit Thuriferarius, dextra thuribulum absque igne, sinistra naviculam cum incenso sustinens; sequuntur bini Ceroferarii, quorum primus, qui a dextris incedit, portat vas aquæ benedictæ, et secundus quinque grana incensi in pelvi. Hos sequitur Subdiaconus Missæ cum Cruce, quam ad ingressum Ecclesiæ accipit; tum Religiosi per ordinem, et ultimo Celebrans cum Diacono a sinistris.

5. Cum ad locum designatum pervenerit Subdiaconus, sistit se prope mensam, versis renibus ad Ecclesiam; Religiosi stant hinc inde, ita ut seniores sint Celebranti viciniores: Celebrans vero, facie ad Ecclesiam et Crucem Subdiaconi versa, stat ante mensam, inter ipsum et Crucem collocatam; Diaconus stat a dextris Sacerdotis; a dextris Diaconi secundus Ceroferarius cum granis incensi; ad hujus dextram Thuriferarius, et ad hujus dextram primus Ceroferarius.

6. Celebrans, sic *astantibus sibi Ministris cum Cruce aqua benedicta, et incenso, ante portam Ecclesiæ, si commode potest, vel in ipso aditu Ecclesiæ*, (n. 3.) *benedicit novum ignem*, manibus junctis ante pectus, *dicens* in tono feriali DOMINUS VOBISCUM, et tres sequentes Orationes.

7. *Deinde* accedit secundus Ceroferarius, tenens quinque grana incensi in pelvi elevata usque ad pectus, ante Celebrantem, qui *benedicit quinque grana incensi, ponenda in Cereo, dicens* in eodem tono, et *absolute*, sine DOMINUS VOBISCUM et sine OREMUS, *hanc Orationem*: VENIAT, QUÆSUMUS etc. *Dum* Sacerdos *benedicit grana incensi*, *Acolythus*, id est, Thuriferarius, forcipibus *assumens de carbonibus benedictis*, *ponit in thuribulo.*

8. *Finita Oratione supradicta*, Diaconus cum solitis osculis, et dicens BENEDICITE, PATER REVERENDE, ministrat naviculam, et *Sacerdos de navicula ponit incensum in thuribulo*, *benedicens illud more solito. Deinde*, accepto aspersorio, per Diaconum cum solitis osculis ministrato, *prædicta grana incensi* ter, *et* deinde *ignem ter*, in medio scilicet, a dextris, et a sinistris eorum, *aspergit aqua benedicta*, *dicens* ASPERGES ME, DOMINE, *sine cantu et sine Psalmo, et* deinde reddito aspersorio Diacono, et ab eodem recepto thuri-

bulo cum solitis osculis, grana incensi et ignem *ter adolet incenso*, eodem modo quo aspersit, nihil tamen dicens.

9. Diaconus, reddito thuribulo Thuriferario, deponit Stolam violaceam, et assumit Manipulum, Stolam et Dalmaticam albi coloris. *Interim* primus Ceroferarius accendit candelam cum ligno sulphurato, eamque, si opus fuerit, in laterna includit; *omnia* vero *luminaria Ecclesiæ* a Sacrista *extinguuntur*, *ut de igne benedicto postmodum accendantur*. Subdiaconus interim accipit Manipulum violaceum.

10. *Tum Diaconus*, *indutus Dalmatica*, Stola et Manipulo *albi coloris*, iterum naviculam ministrat more solito Celebranti, qui imponit et benedicit thus pro facienda Processione et Præconio. Tum Diaconus dextra *accipit arundinem cum tribus candelis in summitate illius*, *triangulo distinctis;* et fit Processio hoc ordine: *præcedit Thuriferarius* thuribulum leviter agitans, *cum Acolytho*, id est, secundo Ceroferario a dextris, *deferente in vase quinque grana incensi*, *sequitur Subdiaconus cum Cruce*, *et* post eum *Clerus per ordinem; deinde Diaconus cum arundine*, et a dextris ejus primus Ceroferarius portans candelam accensam de novo igne; et *post eum*, id est, Diaconum, incedit *Celebrans*, manibus junctis, et capite tecto, quod detegit ad LUMEN CHRISTI, subsistens et genuflectens cum aliis.

11. *Cum Diaconus*, et etiam Celebrans *ingressus est Ecclesiam*, subsistunt omnes, et Diaconus *inclinat arundinem*, *et Acolythus*, *deferens candelam accensam de novo igne*, *accendit unam ex illis tribus candelis desuper positis: et Diaconus elevans arundinem*, unum *genu flectit*, *similiter et omnes alii cum eo*, *præter Subdiaconum Crucem ferentem*, *et cantat solus* LUMEN CHRISTI. Quo cantato, omnes surgunt, et respondent DEO GRATIAS. *Et* Diaconus, *procedens ad medium Ecclesiæ*, sistit se secundo, et *ibi accenditur alia candela*, *et iterum genuflexus*, *ut supra*, *altius cantat* LUMEN CHRISTI. ℟. DEO GRATIAS. *Tertio procedit ante Altare*, *ubi* ipse et alia consistunt hoc ordine: Subdiaconus stat medius inter Ceroferarium, ferentem grana incensi, a dextris, et Thuriferarium a sinistris; Religiosi sistunt se hinc inde ad ingressum Presbyterii; Diaconus cum Cero-

ferario, ipsum comitante, per medium eorum transiens, stabit retro post Subdiaconum; et post Diaconum Celebrans: et ibi *accenditur tertia candela; et rursus genuflexus, ut prius, adhuc altius dicit* LUMEN CHRISTI. ℟. DEO GRATIAS.

De Benedictione Cerei Paschalis.

12. *Deinde*, facta Altari genuflexione, Religiosi ad Chorum recedunt; Ceroferarii vadunt ad credentiam, ubi primus candelam suam extinctam deponit, postea arundinem a Diacono accepturus; secundus vero, deposito vase cum granis incensi, accipit librum, tradendum Diacono, et, libro tradito, resumit vas cum granis. Subdiaconus cum Thuriferario retrahit se parum versus cornu Evangelii, Diaconus vero versus cornu Epistolæ. Tum *Celebrans* ante infimum gradum Altaris accedit, facta debita reverentia, *ascendit ad Altare*, illud osculatur in medio, et sistit se *in cornu Epistolæ*, facie ad Altare conversa.

13. Dum Celebrans Altare ascendit, *Diaconus dat arundinem uni Acolytho*, primo scilicet Ceroferario, *et accipiens librum* a secundo Ceroferario, ascendit ad secundum gradum Altaris, et genuflexus in ora suppedanei parum versus cornu Epistolæ, non præmittens MUNDA COR MEÚM, *petit a Celebrante Benedictionem, ut fit ad Evangelium*, dicens JUBE DOMNE BENEDICERE, *Sacerdote*, facie ad ipsum versa, *dicente* DOMINUS SIT IN CORDE TUO etc. ut in Missali. Celebrans manum deosculandam nequaquam porrigit; sed, data Benedictione, statim ad Altare, ut prius, se convertit.

14. Diaconus, facta solita reverentia Celebranti, descendit in planum, ibique cum Thuriferario et secundo Ceroferario genuflectit; ipse quidem in infimo gradu, alii in plano.

15. *Postea vadit ad pulpitum* velo albo contectum, et collocatum in loco, ubi cantari solet Evangelium, *et ponit super eo librum.... A dextris Diaconi stent Subdiaconus cum Cruce, et Thuriferarius* cum thuribulo a dextris Subdiaconi; *a sinistris* Diaconi *duo Acolythi, ille qui tenet arundinem, et alius, tenens in vase quinque grana incensi benedicti figenda in Cereo* Paschali, posito super

candelabrum magnum a latere Evangelii in plano.' Omnes faciem vertunt, prout Diaconus, versus librum et Altare, formantesque lineam rectam cum eo.

16. His ita dispositis, Thuriferarius, incedens post tergum Subdiaconi, tradit thuribulum Diacono, ut librum incenset. Postea Thuriferarius redit ad locum suum. (n. 13.) *Tunc surgentibus omnibus* de Choro, si interea sedere voluerint, *et stantibus*, *ut fit ad Evangelium*, *Diaconus*, prætermisso signo Crucis super librum et super se ipsum, alta, sonora et devota voce, et manibus junctis, *cantat* Præconium: EXULTET. Celebrans vero mox se convertit ad Diaconum, et stat ut ad Evangelium.

17. Post verba: CURVAT IMPERIA, *Diaconus* retrahit se a pulpito per latus suum sinistrum, et comitante Ceroferario cum granis incensi, aliis in locis suis remanentibus, vadit ad Cereum, et *infigit quinque grana incensi benedicti in Cereo in modum Crucis*, ponendo primum in parte superiori Cerei, secundum in media, tertium in infima, quartum in dextra, quintum in sinistra.

18. Quo facto, Diaconus redit ad librum, et prosequitur Præconium; Ceroferarius vero, deposita super credentiam pelvicula vacua, accipit candelam extinctam, (n. 12.) suo tempore cum ea lampades accensurus, (n. 20.) et redit ad sinistram Ceroferarii tenentis arundinem.

19. Post verba: RUTILANS IGNIS ACCENDIT, *Diaconus*, comitante Ceroferario cum arundine, *accendit Cereum cum una ex tribus candelis in arundine positis;* quo facto, ad pristina loca redeunt, et Diaconus prosequitur Præconium.

20. Post verba: APIS MATER EDUXIT, Diaconus aliquantulum cessat a cantu, donec a Ceroferario, sumpto cum sua candela (n. 18.) lumine de candelis arundinis, *accenduntur lampades* Sanctuarii. Deinde Diaconus cantum prosequitur; Sacrista interim alias lampades Ecclesiæ accendit, sumpto lumine ex eisdem candelis vel ex Cereo Paschali.

21. Si sedes Apostolica vel Episcopalis vacet, omittuntur verba: UNA CUM BEATISSIMO PAPA NOSTRO; vel ET ANTISTITE NOSTRO. Quum Romanorum Imperium sit sublatum, nunc prorsus omitti necesse

est verba: RESPICE ETIAM etc. usque ad PER EUMDEM DOMINUM, exclusive.

De Prophetiis et Litaniis.

22. *Completa Benedictione Cerei, diaconus, depositis albis, sumit violacea paramenta, et vadit ad Celebrantem, qui exuitur Pluviali, et sumit Manipulum et Casulam violacei coloris.* Finito itaque Præconio, Diaconus claudit librum, et in pulpito relinquit, et non incensat Celebrantem. Subdiaconus Crucem mox tradit secundo Ceroferario, qui illam in latere Epistolæ deponit. Primus vero Ceroferarius arundinem firmat super basem suam ligneam vel marmoream, a latere Evangelii prope infimum gradum Altaris collocatam. Tum Diaconus et Subdiaconus, facta genuflexione in infimo gradu ante medium Altaris, cum Ministris inferioribus, genuflectentibus in plano, vadunt ad scamnum, ad quod etiam Celebrans absque ulla reverentia Altari facta, per gradus laterales descendit. Ibidem Celebrans, deposito Pluviali, accipit Manipulum et Casulam; Diaconus Manipulum et Stolam, ut supra. Subdiaconus jam indutus est Manipulo. (n. 9.)

23. Deinde Celebrans per gradus laterales ad cornu Epistolæ regreditur, ubi Ministri sacri ei, dum legit Prophetias, assistunt ut ad Introitum Missæ; finita vero a Celebrante Prophetia, recedunt retro post ipsum, prout ad Orationes in aliis Missis, et suo tempore cantant FLECTAMUS GENUA, et LEVATE. Vide § præc. 3. n. 7. Ministri inferiores interim manent in locis suis consuetis, stantes et genuflectentes cum aliis.

24. *Postea*, id est, statim ac Celebrans cum Ministris ad Altare accedit, ad lectorile, in medio Chori positum, *leguntur* intelligibili, sed expedita voce, in tono Lectionis, *Prophetiæ sine titulo*, nec in earum fine respondetur DEO GRATIAS. Leguntur autem a Clericis per ordinem, incipiendo a junioribus, qui interim tenent manus hinc inde ad legile vel librum, facta ante et post genuflexione in medio. Cantata tamen Prophetia usque ad finem, Lector a suo loco non recedit, neque genuflectit nisi cantato FLECTAMUS GENUA et LEVATE, quando nempe immediate Lectioni subjunguntur.

25. Interim *Celebrans legit eas* Prophetias *submissa voce ad Altare in cornu Epistolæ.* Quod si, Prophetia lecta, sedere voluerit, sedeat in loco consueto: absque ulla reverentia per viam breviorem recedens et revertens. Ad Prophetias Chorus sedet, ac sub finem se erigit, genuflectens ad FLECTAMUS GENUA, et erectus ad LEVATE, perstat ad Orationem subsequentem, facie ad Altare versa. Dum cantatur Tractus, stat facie ad invicem conversa.

26. *Ubi non est Fons Baptismalis, finita ultima Prophetia cum sua Oratione, Celebrans* cum Diacono et Subdiacono per gradus laterales descendit in planum, et ibi *Casulam deponit* et Manipulum, quem etiam Ministri deponunt, quæ Thuriferarius ad Sacristiam defert, statim reversurus. *Et* Celebrans *cum Ministris* per planum ad Altare accedens, *ante Altare procumbit,* ut heri. Ceroferarii non se prosternunt, sed genu utrumque flectunt in plano retro post Ministros sacros: Thuriferarius vero reversus, retro post Celebrantem genuflectit.

27. *Et aliis omnibus,* qui sunt de Choro, *genuflexis,* et ad invicem conversis, *cantantur Litaniæ in medio Chori a duobus Cantoribus,* in scabellis genuflectentibus, *utroque Choro idem simul respondente,* ut in Missali. Sede autem Apostolica vacante, omittuntur verba: DOMNUM APOSTOLICUM, et tantum dicitur: UT OMNES ECCLESIASTICOS ORDINES etc. Vide etiam cap. VIII. § 4. n. 5.

28. *Cum autem perventum fuerit ad* ℣. PECCATORES, TE ROGAMUS etc. *Sacerdos et Ministri surgunt, et,* facta reverentia debita, *accedentes ad Sacristiam, induuntur paramentis albi coloris pro Missa solemniter celebranda, et interim* a secundo Ceroferario *accenduntur* tantum sex *luminaria in Altari,* et ab eo removetur pallium violaceum; et ornatur credentia suis necessariis, si antea non fuerit factum.

De Missa et Vesperis hujus Sabbathi.

29. *In fine Litaniarum.....,* quando a Choro dictum est CHRISTE, EXAUDI NOS, *Cantores solemniter incipiunt* KYRIE ELEISON; CHRISTE ELEISON; KYRIE ELEISON; *et ter singula repetuntur*

ita tarde et graviter, ut Sacerdos Psalmum et alia possit tempestive absolvere.

30. *Interim Sacerdos cum Ministris in paramentis albis* præcedentibus Thuriferario et Ceroferariis more solito, *accedit ad Altare, et dicto Psalmo*: JUDICA ME, DEUS *cum* GLORIA PATRI, *facit Confessionem, ut moris est, in loco consueto: deinde ascendens osculatur Altare, incensat more solito; et finitis a Choro* KYRIE ELEISON, quæ et ipse cum Ministris legit in cornu Epistolæ, stans in medio Altaris, *incipit solemniter* GLORIA IN EXCELSIS DEO, *et pulsantur campanæ*, ut Feria quinta, in Ecclesia, et etiam in turri, si ab Ecclesia Matrice signum jam datum fuerit.

31. *Postea*, absoluto scilicet Hymno, *Sacerdos dicit* DOMINUS VOBISCUM etc. cum Oratione; deinde legit Epistolam submisse,. ut alias.

32. *Finita Epistola* per Subdiaconum, *Celebrans*, postquam Subdiaconum benedixerit, in cornu Epistolæ *incipit* ALLELUJA, *et totum decantat ter, elevando vocem gradatim; et Chorus post quamlibet vicem in eodem tono repetit illud idem. Postea Chorus prosequitur* ℣. CONFITEMINI etc. *deinde dicitur Tractus;* LAUDATE DOMIMUM.

33. *Ad Evangelium non portantur luminaria, sed tantum incensum*, prius benedictum; *petitur* a Diacono *Benedictio, et alia fiunt de more*, assistentibus Ceroferariis manibus junctis.

34. *Non dicitur* CREDO, *sed, finito Evangelio, Sacerdos* postquam osculatus est librum, et est incensatus, *dicit* DOMINUS VOBISCUM, *postea* OREMUS: sed *non dicitur Offertorium.* Subdiaconus defert ad Altare una cum Calice bursam Corporalium. *Ad* LAVABO dicitur GLORIA PATRI.

35. *Dicitur* PAX DOMINI SIT SEMPER VOBISCUM; *sed pacis osculum non datur.* Dicto PAX DOMINI, Diaconus transit ad sinistram Celebrantis; et Subdiaconus de loco suo ad dextram Celebrantis ascendit.

36. AGNUS DEI *non dicitur, nec Postcommunio: dicuntur tamen tres consuetæ Orationes ante Communionem*, quibus dictis, Sacerdos genuflectit, surgit et dicit PANEM CŒLESTEM etc. ut in Ordine Missæ.

37. *Post sumptionem Sacramenti, pro Vesperis in Choro, can-*

tatur Antiphona: ALLELUJA, ALLELUJA, ALLELUJA, *et Psalmus:* LAUDATE DOMINUM OMNES GENTES, *cum* GLORIA PATRI *in fine, et post repetitur eadem Antiphona.* Interim Ministri Altaris omnia sua absolvant, quæ solent in Missis aliis observari.

38. Sumpta digitorum ablutione, et libro translato, Celebrans accedit ad cornu Epistolæ, ubi, Diacono et Subdiacono, a credentia reverso, stantibus ut ad Introitum Missæ, recitat submissa voce prædictam Antiphonam, et deinde Psalmum alternatim cum Ministris; post Psalmum Antiphonam repetunt.

39. *Capitulum, Hymnus et Versus non dicuntur, sed statim,* finito cantu in Choro, *Celebrans in cantu incipit Antiphonam ad Magnificat:* VESPERE AUTEM SABBATHI, *et prosequitur Chorus* QUÆ LUCESCIT etc. Celebrans vero illam submissa voce cum Ministris recitat. *Deinde cantatur* MAGNIFICAT, *cum* GLORIA PATRI *in fine; et fit incensatio, ut alias in Vesperis.*

40. Ad principium Cantici Celebrans, stans adhuc in cornu Epistolæ, cum Ministris se signat a fronte ad pectus, quod et omnes alii, etiam in Choro, similiter faciunt. Mox ad Altaris medium accedit cum Diacono, suppedaneum in cornu Epistolæ ascendente, et Subdiacono incedente per planum; et ibidem incensum imponitur et benedicitur, ut in principio Missæ.

41. Deinde more solito incensatur Altare, Celebrans et Chorus. Diaconus reversus ad Altare, stans a latere Epistolæ, incensat Subdiaconum, ibidem stantem in plano, et faciem vertentem ad Diaconum, ita tamen ut tergum non vertat Celebranti. Postea Diaconus incensatur, stans in secundo gradu a dextris Celebrantis; deinde incensantur Ceroferarii et populus.

42. Celebrans, incensatus a Diacono, se convertit ad librum, recitat Canticum: MAGNIFICAT alternatim cum Subdiacono, stante ut ad Introitum, nisi illud intra Altaris incensationem recitaverit.

43. *Repetita Antiphona* a Choro, *Celebrans* redit ad medium Altaris, illud more solito osculatur, et *dicit* DOMINUS VOBISCUM, cum Oratione; servanturque omnia, quæ alias in fine Missæ præscripta sunt. *Et Diaconus vertens se ad populum, cantat:* ITE, MISSA EST, ALLELUJA, ALLELUJA, *et dicitur usque ad Sabbathum in Albis*

inclusive. Et Sacerdos, dicto PLACEAT TIBI, SANCTA TRINITAS, *dat Benedictionem more solito*, legiturque Evangelium S. Joannis. Quo finito, ad Sacristiam procedunt more solito, ubi, facta solita reverentia Cruci, mutua sibi gaudia Paschalia annuntiant, cum mutuis ad invicem reverentiis.

44. Post Missam Sacerdos, superpelliceo, Stola et velo humerali indutus, præcedentibus Ceroferariis cum intorticiis, reportat Pyxidem cum particulis consecratis ad Tabernaculum, ubi asservari solet.

45. Tum extinguuntur cerei Altaris, et tres candelæ arundinis, quæ omnino cum arundine amoventur. Extinguitur quoque Cereus Paschalis, qui tamen remanet in candelabro suo, et accenditur, ut dicitur Part. II. cap. V. § 9. n. 12.

§ 5.

DE SABBATHO IN VIGILIA PENTECOSTES.

1. Altare majus triplici ornatur pallio, rubeo scilicet pro Missa solemni, violaceo pro Prophetiis, et albo pro Officio. Altaria vero minora toto mane palliis albis vestita manent; quamvis paramenta Celebrantis sint rubea.

2. *Dicta Nona, Sacerdos*, indutus Amictu, Alba, Cingulo, Stola et Planeta violacei coloris, *et Ministri*, similiter *induti paramentis violacei coloris;* Manipulis scilicet, et Stola transversa quoad Diaconum, more solito *accedunt ad Altare*, præeuntibus Ceroferariis ac Thuriferario, manibus ante pectus junctis.

3. Cum ante infimum gradum Altaris pervenerint, *facta* ab omnibus *reverentia* debita, *Sacerdos* cum Ministris ascendit ad Altare, *illud osculatur in medio*, et vadit ad cornu Epistolæ: Ministri vero, facta genuflexione in suppedaneo, per viam breviorem incedunt, et Celebranti assistunt ut ad Introitum Missæ, dum legit Prophetias; ad Orationes autem, sistunt se retro post Celebrantem. Ceroferarii et Thuriferarius, facta genuflexione, se conferunt ad loca sua consueta.

4. *Leguntur Prophetiæ sine titulo, candelis Altaris extinctis*

usque ad principium Missæ, et universi sacram functionem prosequuntur, *sicut in Sabbatho sancto.*

CAPUT VI.

DE SANCTISSIMO EUCHARISTIÆ SACRAMENTO.

§ 1.

DE TABERNACULO, PYXIDE, OSTENSORIO, ETC.

1. Tabernaculum, in quo sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum asservatur, in medio Altaris positum sit.

2. Intus omni ex parte panno aureo, vel argenteo, vel ad minus serico albi coloris contegendum est. In planitie vero collocetur palla ampla seu Corporale benedictum, et sæpe (alternis mensibus, ait Syn. Prov. Ultraj. Tit. IV. Cap. IV.) mutandum, cui SS. Sacramentum imponitur.

„Nihil in ipso Tabernaculo, quantumvis sanctum et sacrum, præter divinum Sacramentum, reponatur." Syn. Ultraj. l. c.

3. Exterius totum Tabernaculum coopertum sit conopeo, id est, velo adinstar tentorii, quod conficiatur ex panno aureo, argenteo, serico vel laneo; convenit, ut sit ejusdem coloris, cujus est pallium Altaris; potest autem semper esse coloris albi, numquam vero nigri. Vide tamen S. R. C. Decr. 21. Julii. 1855. ad 12.

4. „Tabernaculi ostiolum clavi diligentissime obseretur, quæ fideliter custodienda est... Duplicem illam esse consultum erit, ut, una forte amissa, altera ad manus habeatur." Syn. Prov. Ultraj. l. c.

Claves istæ sint ad minus ex metallo deaurato.

5. In Tabernaculi summitate collocanda est parva Crux, quæ conopeo non cooperiatur. Nec ante nec supra Tabernaculum opponi fas est imagines Sanctorum, aut Reliquias etiam S. Crucis, alteriusve Passionis instrumenti.

6. „Ubicumque Sacramentum Dominici Corporis asservatur, lam-

pas coram eo diu noctuque perpetuo colluceat,..... Oleum, quo hujusmodi lampas nutritur, ex olivis esse debet, neque licet, inconsulto Ordinario, alia olea ex materiis præsertim non vegetabilibus confecta, in hunc usum adhibere." Syn. cit.

7. SS. Eucharistia continuo in uno tantum loco cujuscumque Ecclesiæ asservari potest. Unde si aliqua de causa SS. Eucharistia ad aliud Altare deferatur, causa cessante, ad Altare, in quo ordinarie asservatur, referri debet.

9. Si Tabernaculum non contineat SS. Sacramentum, relinquendum est ostiolum apertum, et lampas extinguenda est.

9. Pyxis, juxta Rituale Romanum, sit *ex solida decentique materia;* nec plus requirit Synodus Ultraj. Convenit autem, ut tota Pyxis, vel saltem ejus cuppa sit aurea vel argentea intus deaurata.

10. Pyxis cooperienda est conopeolo, id est, velo albo, quod ad minus debet esse sericum, et quantum fieri potest, auro vel argento contextum, cum suis fimbriis circumquaque eleganter dispositis, non vero usque ad Pyxidis pedem descendentibus.

11. „Quoad Ostensorium, optandum ut ea pars, in qua exponitur S. Hostia, sit ex argento deaurato. Lunula ex argento prorsus sit, et undequaque deaurata." Syn. cit. In summitate Ostensorii Crux visibilis apponi debet.

12. „Adsit et argenteum vasculum, in quo major Hostia asservetur, cum pro SS. Sacramenti expositione adhibenda est." Ibid.

De horum Benedictione vide cap. VII.

§ 2.

DE SS. SACRAMENTO RENOVANDO ET DE PURIFICATIONE PYXIDIS.

1. „Particulæ consecratæ toties renoventur, quoties pro locorum conditione necessarium sit, ut omne corruptionis periculum sollicite avertatur. Earumdem renovatio alternis saltem fiat hebdomadibus, nullibi tamen ultra mensem differatur." Syn. Prov. Ultraj.

2. Curet Sacrista, ut particulæ consecrandæ sint recentes.

3. Particulæ noviter consecratæ numquam veteribus misceantur; sed hæ prius distribuantur vel consumantur.

4. Si consumendæ sint veteres Hostiæ, majores vel minores, aut etiam recentes, quæ ex Communione illius Missæ supersunt, sumantur ante purificationem.

5. Pyxis purificanda est, quoties sacræ Hostiæ renovantur. Poterit autem purificari hoc modo: Celebrans, sumpto SS. Sanguine, Patenam et Calicem deponit super Corporale versus cornu Evangelii, Calicemque palla cooperit. Tum Tabernaculum aperit, et, si sacræ Hostiæ in Pyxide aut in Tabernaculo contineantur, genuflectit. Deinde Pyxidem accipit, super Corporale deponit, discooperit ut § 5. n. 3. iterum genuflectit, si sacræ Hostiæ adsint ut supra, et Tabernaculum claudit. Sumptis particulis integris, si quæ supersint, Pyxidem sinistra ad nodum tenens super Calicem, quem dextra in medio Corporalis posuit et discooperuit, indice dextro colligit fragmenta in Pyxide dispersa, et in Calicem mittit. Quo facto, accipit in Pyxide vinum, quod intra Pyxidem tantisper circumagitat, et in Calicem infundit per eamdem partem Pyxidis, per quam deducta sunt fragmenta; ac purificationem e Calice sumit. Digitorum ablutionem etiam cum Pyxide accipit. (nisi statim in eam ponendæ forent Hostiæ, ut n. seq. dicetur) Abstersis digitis, ablutionem in Pyxide circumagitat et in Calicem mittit. Sumpta ablutione, extergit prius Calicem et deinde Pyxidem, quam postea cooperculo tantum, non vero conopeolo coopertam, extra Corporale, ad cornu Evangelii collocat. Purificatorium, pro Pyxidis purificatione adhibitum, non amplius adhibeatur, antequam lotum fuerit.

6. Si Hostiæ consecratæ, super Corporale positæ, statim in Pyxide purificata ponendæ sint, Pyxis tantum semel purificatur hoc modo: Celebrans, collectis fragmentis in Pyxide dispersis, et in Calicem missis, vinum in Pyxide accipit et in Calicem infundit ut supra. Quo facto, statim, antequam purificationem sumat, Pyxidem purificatorio bene exsiccat, et, facta genuflexione, sacras Hostias in eam imponit ope Patenæ vel pollicis et indicis dextræ manus, sinistra Pyxidem inclinatam tenens. Deinde Pyxidem more solito cooperit et in Tabernaculum reponit, Postea colligit fragmenta

super Corporale, quæ collectio in hoc casu omittitur ante sumptionem SS. Sanguinis. Collecta fragmenta in Calicem mittit, et simul cum purificatione sumit.

7. Si ex alio Altari SS. Sacramentum, ut renovetur, accipiendum sit, tempestive accendantur duæ candelæ etiam in Altari, a quo amovetur. Quando Celebrans SS. Sanguinem sumpsit, præsto erit alius Sacerdos, superpelliceo, Stola et velo humerali albi coloris indutus, qui, præcedentibus duobus Clericis vel Laicis cum intorticiis, deferat Pyxidem cum SS. Sacramento ad Altare, in quo Missa celebratur. Pyxide in medio Corporalis posita, genuflectit, accipit aliam Pyxidem cum particulis noviter consecratis et eodem ritu ad Tabernaculum portat. Celebrans autem manebit genuflexus in suppedaneo paulum ad cornu Evangelii, donec Sacerdos Sacramentum transferens ab Altari discesserit

8. Quoties S. Hostia in Ostensorio renovatur, toties lunula indice dextro purificari debet, quapropter lunula sit ita confecta ut aperiri queat.

9. Pyxis, quæ nullas integras particulas consecratas continet, et nondum est purificata, semper super Corporale est ponenda, et intra Tabernaculum recondenda; non tamen cooperiatur conopeolo, nec ante eam est genuflectendum, nec deferenda est cum lumine.

§ 3.

ORDO MINISTRANDI SACRAM COMMUNIONEM INFRA MISSAM PRIVATAM.

1. *Communio populi*, ait Rituale Romanum, *infra Missam statim post Communionem Sacerdotis celebrantis fieri debet*, (*nisi quandoque ex rationabili causa post Missam sit facienda*) *cum Orationes, quæ in Missa post Communionem dicuntur, non solum ad Sacerdotem, sed etiam ad alios communicantes spectent.*

2. *Si qui sunt communicandi in Missa*, ait Rubrica Missalis, *Sacerdos post sumptionem Sanguinis, antequam se purificet*, Calicem Missæ, super Corporale versus cornu Evangelii positum, palla cooperiat, et *facta genuflexione ponat particulas consecratas in*

Pyxide, vel si pauci sunt communicandi, ponat eas *super Patenam, nisi a principio positæ fuerint in Pyxide, seu alio Calice.* Hoc in casu Sacerdos genuflectit, postquam, Calice Missæ cooperto, Pyxidem ante se positam detexerit.

3. Si vero Pyxis e Tabernaculo sit extrahenda, Sacerdos, remoto Calice Missæ ut supra, ostiolum Tabernaculi aperit, genuflectit, Pyxidem extrahit, super Corporale ponit, et cooperculo ejus amoto ac etiam super Corporale posito, iterum genuflectit. Vide etiam infra § 5. n. 3.

4. *Interim Minister ante eos*, qui sunt communicandi, *extendit linteum seu velum album, et* genuflexus ad latus Epistolæ super infimum gradum Altaris, *pro eis facit Confessionem*, voce parum elata *dicens:* CONFITEOR DEO etc.

5. *Tum Sacerdos iterum genuflectit et manibus* ante pectus *junctis*, sed pollicibus et indicibus non disjunctis, per suam dextram *vertens se* oblique *ad populum in cornu Evangelii*, ita ut, facie simul ad populum et ad cornu Epistolæ versa, terga non vertat Sacramento, *dicit* clara voce MISEREATUR VESTRI, *et* INDULGENTIAM, ABSOLUTIONEM ET REMISSIONEM PECCATORUM VESTRORUM etc. semper in plurali, licet una persona tantum sit communicanda. *Et* dum dicit INDULGENTIAM etc. sinistra infra pectus posita, *manu dextra facit signum Crucis super eos*, qui sunt communicandi.

Ad MISEREATUR etc. item ad INDULGENTIAM etc. Minister respondet AMEN.

6. *Postea* Sacerdos, per eamdem viam ad Altaris medium conversus, *genuflectens, accipit manu sinistra Pyxidem seu Patenam cum Sacramento, dextra vero sumit unam particulam, quam inter pollicem et indicem tenet aliquantulum elevatam super Pyxidem seu Patenam, et conversus ad communicandos in medio Altaris dicit* clara voce et oculis ad Sacramentum intentis: ECCE AGNUS DEI, ECCE QUI TOLLIT PECCATA MUNDI. *Deinde dicit* eadem voce: DOMINE, NON SUM DIGNUS, UT INTRES SUB TECTUM MEUM, SED TANTUM DIC VERBO, ET SANABITUR ANIMA MEA; quæ verba sine ulla prosus variatione semper dicenda sunt, etiamsi pluribus aut non nisi fœminis Communio distribuatur.

7. *Quibus verbis tertio repetitis*, descendens per gradus anteriores, (et numquam per laterales, licet Communio distribuenda sit juxta cornu Evangelii vel Epistolæ) *accedit ad eorum*, qui communicandi sunt, *dextram*, *hoc est*, *ad latus Epistolæ*, *et* tribus inferioribus dextræ digitis inflexis, *unicuique porrigit Sacramentum*, *faciens cum eo signum Crucis super Pyxidem vel Patenam*, *et simul dicens:* CORPUS DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI CUSTODIAT ANIMAM TUAM IN VITAM ÆTERNAM, AMEN; ita tamen ut hæc formula finiatur cum impositione Hostiæ super linguam suscipientis.

8. Si Sacerdos purificatorium adhibeat, sumit illud inter indicem et medium digitum sinistræ manus, ita ut super tres ultimos digitos ab utraque parte pendeat. Verum purificatorio non utatur, quod adhibet pro Missæ celebratione, quia non decet abstergere digitos, saliva humefactos cum eodem purificatorio, quo abstergitur Calix.

9. *Omnibus communicatis*, pariter per gradus anteriores *revertitur ad Altare*, *nihil dicens*, et retinens pollicem et indicem dextræ manus unitos super Pyxidem aut Patenam; qua super Corporale posita, genuflectit, si aliqua particula superfuerit: Pyxidem, si ea usus fuerit, cooperit, in Tabernaculo recondit, et nova facta genuflexione, Tabernaculum claudit, *Et non dat eis Benedictionem*, *quia illam daturus est in fine Missæ.*

10. Si particulæ sacræ digitis adhæreant, easdem non in Pyxidem, sed in Calicem mittit, ut cum purificatione sumantur.

11. Si sacræ species, quæ remanent, conservandæ sint, et in Altari non habeatur Tabernaculum, observantur ea, quæ dicta sunt cap. II. § 6. n. 19. Si vero conservandæ non sint, easdem reverenter sumit ante purificationem.

12. *Si particulæ positæ erant super Corporale*, *extergit illud cum Patena*, *et si quæ fuerint fragmenta*, *in Calicem immittit. Deinde dicit secreto*: QUOD ORE SUMPSIMUS, DOMINE, etc. *et se purificat*, *dicens*, CORPUS TUUM, DOMINE, QUOD SUMPSI etc.

De distribuenda Communione in Missis Defunctorum vide § 4. n. 5.

§ 4.

ORDO MINISTRANDI SACRAM COMMUNIONEM IMMEDIATE ANTE VEL POST MISSAM.

1. *Quod si contingat,* ait Rituale Romanum, *absoluta Missa,* (idem dicendum de Communione danda immediate ante Missam) *statim aliquos interdum communicare, tunc Sacerdos adhuc Planeta* et aliis vestibus ad Missam inservientibus *indutus, sacram Communionem.... ministrabit* hoc modo:

2. Collocato Calice ad cornu Evangelii, extensoque Corporali, Tabernaculum aperit, et reliqua peragit, ut præscribitur § 5. a n. 3. usque ad n. 17.

3. Data Benedictione, ut l. c. præscribitur, Sacerdos per eamdem viam ad Altare se convertit, et, si Missam incipere debeat, Calicem in medio collocat etc. sin autem Missam expleverit, conversus ad Altare, Corporale plicat et in bursam recondit, ac, recitatis precibus ex præscripto Episcopi recitandis, more solito ad Sacristiam revertitur.

4. Non nisi in casu necessitatis ministrari potest sacra Communio a Sacerdote, vestibus ad Missam inservientibus induto, qui in alio Altari Missam celebravit, vel est celebraturus. Idem dicendum de illo Sacerdote, qui, Planeta et Manipulo in Sacristia depositis, vel ante Missam nondum assumptis, ad Altare incederet, Alba et Stola indutus.

5. Per Decretum generale, datum die 27. Junii 1868. a Summo Pontifice approbatum et confirmatum die 23. Julii ejusdem anni, decernitur: posse in Missis Defunctorum, cum paramentis nigris, sacram Communionem fidelibus ministrari, etiam ex particulis præconsecratis, extrahendo Pyxidem a Tabernaculo. Posse item in paramentis nigris ministrari Communionem immediate post Missam Defunctorum; data autem rationabili causa, immediate quoque ante eamdem Missam; in utroque tamen casu omittendam esse Benedictionem.

§ 5.

ORDO MINISTRANDI SACRAM COMMUNIONEM EXTRA MISSAM.

1. *Sacerdos*, ait Rituale Romanum, extra occasionem Missæ *sanctissimam Eucharistiam ministraturus .. ..., lotis prius manibus, et superpelliceo indutus, ac desuper Stola coloris Officio illius diei convenientis, præcedente Clerico seu alio Ministro, procedit ad Altare, manibus junctis*, nisi, ut convenit, præcipue si Minister non sit Clericus, ipsemet bursam cum Corporali deferat, quam ante pectus elevatam tunc tenebit. Facta unius genu flexione in plano, ascendit ad Altare, et Corporale explicat, collocata bursa ut in Missa.

2. Interim Minister duos accendit cereos, facto initio a parte Evangelii, et linteum album ante communicandos extendit, nisi hæc jam facta fuerint.

3. *Accensis cereis, facta prius et postea genuflexione, extrahit Pyxidem, et illam super Corporale depositam, discooperit.* Cereis itaque per Ministrum accensis, Sacerdos aperit Tabernaculum, genuflectit, et sinistra super Altare posita, dextra Pyxidem extrahit ac super Corporale ponit. Tum prius amovet conopeolum, quod extra Corporale collocat, et deinde amovet cooperculum, quod ponit super Corporale; quo facto, iterum genuflectit. Si in Tabernaculo remaneat SS. Sacramentum, alio in vase inclusum, Sacerdos, educta Pyxide, Tabernaculi ostiolum claudit, secus apertum relinquit.

4. Dum Sacerdos Pyxidem e Tabernaculo extraxit, *Minister genibus flexis, nomine populi ad cornu Epistolæ facit Confessionem generalem*, voce parum elata *dicens:* CONFITEOR DEO etc.

5. *Tum*, absoluta scilicet Confessione, *Sacerdos iterum genuflectit, et manibus junctis ante pectus*, per suam dextram oblique *vertit se ad populum, advertens, ne terga vertat Sacramento.* Facie itaque simul ad populum et ad cornu Epistolæ versa, stans *in cornu Evangelii, dicit* clara voce: MISEREATUR VESTRI OMNIPOTENS DEUS, ET DIMISSIS PECCATIS VESTRIS, PERDUCAT VOS AD VITAM ÆTERNAM.

℟. AMEN. *Et addit:* INDULGENTIAM, ABSOLUTIONEM ✝ ET REMISSIONEM PECCATORUM VESTRORUM TRIBUAT VOBIS OMNIPOTENS, ET MISERICORS DOMINUS. ℟. AMEN. Hæ formulæ dicuntur semper in numero plurali, licet una dumtaxat persona sit communicanda. *Dicens* INDULGENTIAM etc. sinistra infra pectus posita, *manu dextra in formam Crucis signat communicandos.*

6. *Deinde* Sacerdos per eamdem viam *ad Altare se convertit, genuflectit, manu sinistra Pyxidem prehendit; et duobus digitis, pollice* scilicet *et indice* dextræ manus *Sacramentum*, id est, unam sacram Hostiam, *accipit, et* aliquantulum, ad unum vel alterum digitum super Pyxidem *elevat*, tres ultimos digitos extensos retinens.

7. Ita sacram Hostiam tenens, vertit se per suam dextram, *conversusque ad populum in medio Altaris*, humeris Altari obversis, etiamsi communicandi sint ad cornu Evangelii aut Epistolæ, et oculis ad Sacramentum intentis, *dicit clara voce:* ECCE AGNUS DEI, ECCE QUI TOLLIT PECCATA MUNDI. Et Hostiam semper eodem modo tenens, eadem voce *mox subdit:* DOMINE, NON SUM DIGNUS, UT INTRES SUB TECTUM MEUM, SED TANTUM DIC VERBO, ET SANABITUR ANIMA MEA; *quod iterum ac tertio repetit: qua formula etiam utendum est, cum fœminæ Communio ministratur.*

8. *Postea* descendens per gradus anteriores, (et numquam per laterales, licet Communio distribuenda sit juxta cornu Evangelii aut Epistolæ, prout non raro contingit apud Moniales) *ad communicandum accedit, incipiens ab iis, qui sunt ad partem Epistolæ*, prosequendo usque ad partem Evangelii. Omnibus in mensa communicatis, ad partem Epistolæ regreditur, et ita porro. *Sed primo, si Sacerdotibus, vel aliis ex Clero danda sit Communio, iis ad gradus Altaris genuflexis præbeatur, vel, si commode fieri potest, infra sepimentum Altaris sint a Laicis distincti. Sacerdotes vero cum Stola communicent.* Vide § 7. n. 2.

9. *Sacerdos unicuique porrigens Sacramentum, et faciens cum eo signum Crucis super Pyxidem, simul dicit:* CORPUS DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI CUSTODIAT ANIMAM TUAM IN VITAM ÆTERNAM. AMEN; ita tamen, ut hæc formula finiatur cum impositione Hostiæ super linguam suscipientis.

10. Cum Sacerdos sacram Hostiam accepit, eamdem exigua et decenti motione diligenter excutit, ut quæ forte adhæreant particulæ in Pyxidem relabantur. Deinde cum Hostia personam communicandam signat hoc modo: primo elevat Hostiam ad tres vel quatuor digitos; tum primam Crucis lineam format, demittendo Hostiam versus Pyxidem; deinde eamdem elevat ad medium lineæ factæ, et facit lineam transversam secando primam in medio, bene cavens, ne Hostia limites Pyxidis excedat.

11. Si purificatorium adhibeat, illud tenet inter Pyxidem et pollicem sinistræ manus. Curet autem, ne digitos humectet; quod si vero humefacti fuerint, eosdem bene inspiciat super Pyxidem, et si aliquod fragmentum adhæreat, illud in Pyxidem demittat, et deinde digitos purificatorio abstergat, sed cum præcautione, et junctis prius indice et pollice, ne aliquod fragmentum, quod modo visum fugit, cum purificatorio tollatur.

12. Curet etiam Sacerdos, ne digitis inferioribus tangat faciem communicandorum; quapropter sub porrectione Hostiæ inflectantur et in palma replicentur.

13. Si in aliquo Altari SS. Sacramentum elevetur, non genuflectit, sed vertit se ad Altare distributionis et erectus cum Pyxide in manibus subsistit, donec Elevatio peracta sit.

14. *Ubi vero omnes communicaverint, Sacerdos,* retinens pollicem et indicem dextræ manus unitos super Pyxidem, et per gradus anteriores *reversus ad Altare*, Pyxidem super Corporale deponit, et manibus super Corporale positis, statim genuflectit. Erectus *diligenter advertat, ut, si aliquod fragmentum digitis adhæserit, illud in Pyxidem deponat; et eosdem digitos, quibus tetigit Sacramentum, abluat et abstergat purificatorio.* Quo facto, Pyxidem cooperculo et conopeolo cooperit.

15. Interim dum digitos extergit, abluit etc. Sacerdos alta voce *dicere poterit:* O SACRUM CONVIVIUM etc. cum ℣. PANEM DE CŒLO PRÆSTITISTI EIS. *Minister respondet:* OMNE DELECTAMENTUM IN SE HABENTEM, *tempore Paschali additur* ALLELUJA. (vide Rubr. pecul. Brev. n. 240.) *Mox Sacerdos dicit:* ℣. DOMINE, EXAUDI ORATIONEM MEAM. ℟. ET CLAMOR MEUS AD TE VENIAT. ℣. DOMINUS VOBISCUM.

℟. ET CUM SPIRITU TUO. OREMUS. DEUS, QUI NOBIS SUB SACRAMENTO MIRABILI etc. cum conclusione longiori.

Tempore Paschali loco præcedentis *dicitur Oratio*: SPIRITUM NOBIS, DOMINE, TUÆ CHARITATIS INFUNDE: UT QUOS SACRAMENTIS PASCHALIBUS SATIASTI, TUA FACIAS PIETATE CONCORDES. PER CHRISTUM DOMINUM NOSTRUM. ℟. AMEN.

16. His precibus dictis, Sacerdos, sinistra super Altare posita, dextra Pyxidem in Tabernaculo reponit, genuflectit, et Tabernaculum claudit.

17. Postmodum pronuntians BENEDICTIO DEI OMNIPOTENTIS, oculos ad Crucem tollit, manus expandit et sublevat, statimque jungit, nec non caput profunde inclinat. Exinde manibus ante pectus junctis, demissisque oculis, se per suam dextram ad populum convertit, mox sinistram infra pectus ponit, et dextra benedicit iis, qui communicarunt, dicens: PATRIS, ✝ ET FILII, ET SPIRITUS SANCTI; tum manus conjungens, ut antea, absolvit: DESCENDAT SUPER VOS ET MANEAT SEMPER. Et Minister genuflexus respondet: AMEN, qui etiam tunc cereos extinguit, facto initio a parte Epistolæ.

18. Responso AMEN, Sacerdos per eamdem viam se convertit ad Altare, plicat Corporale et in bursam immittit. Deinde descendit, et facta genuflexione in plano, discedit, secum ad Sacristiam bursam deferens. Cfr. n. 1.

19. Tandem notandum est, quod ait Synodus Provincialis Ultrajectensis Tit. IV. Cap. IV. „Sacræ Liturgiæ sanctitati ac dignitati non convenit, ut Presbyter Eucharistiam dispensaturus ad Altare accedat, dum alius Sacerdos sacrosanctum Missæ Sacrificium in eo peragit. Et quoniam iste abusus, intuitu inserviendi fidelium commoditati, in nonnullis hujus Provinciæ ecclesiis introduci cœpit, hæc Synodus præcipit, ut ubi invaluit sine mora tollatur. Ne autem fideles longius exspectare cogantur, cum præsertim Missa solemnis celebratur in altari, in quo Christi Corpus asservatur, poterit pro eo tempore SSmum Sacramentum alio in altari collocari."

§ 6.

DE COMMUNIONE ORDINARIA FRATRUM NOSTRORUM.

1. Cum sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sit totius gratiæ et sanctitatis largissimi Datoris contentivum, Superiores omnes quam diligentissime curent, ut ad religiosum tanti Sacramenti cultum, ac frequentem devotumque illius usum Subditi sibi commissi excitentur: ipsi vero Fratres, „Corpus Dominicum recepturi, (secundum S. Bonaventuram *Spec. Discipl.* Part. II. Cap. I.) ante, ut decet, ampliori Confessionis, orationis, et tam a cibis quam verbis temperantiæ studio, acceptum Deo satagant hospitium præparare", et ad divinum hoc Epulum, in quo omnis spiritualis dulcedo quasi in suo fonte gustatur, omni pietatis affectu, humilique ac devota corporis dispositione accedere allaborent.

2. Dum Sacerdos, sacram Communionem administraturus, ad Altare accedit, Fratres communicaturi, solutis sandaliis, iisdemque inter stalla debite compositis, nudis pedibus, manibusque ante pectus junctis ad medium Presbyterii vadunt, ibique genuflectunt, alter a latere alterius, quantum latitudo loci permittat, ita ut seniores cujusque lineæ sint in medio, juniores vero in extremitatibus.

3. Acolythus tempestive linteum album præparet, clavem Tabernaculi super Altare collocet, et duos cereos accendat.

4. Dum Acolythus solus nomine omnium dicit CONFITEOR, ut § 5. n. 4. omnes Fratres communicaturi in terram se prosternunt, et secreto recitare possunt CONFITEOR. Responso per Acolythum AMEN ad INDULGENTIAM etc. omnes se erigunt, et genuflexi manent, manibus ante pectus junctis, usque dum Sacerdos dicit ECCE AGNUS DEI etc. tunc enim iterum in terram se prosternunt, donec tertio repetitum fuerit DOMINE, NON SUM DIGNUS etc.

5. Quibus verbis tertio repetitis, omnes se erigunt, et duo seniores, quorum alter linteum album, ab Acolytho sibi traditum, tenet, vadunt ante infimum gradum Altaris, et facta in plano genu utriusque flexione cum profunda capitis inclinatione, ascendunt ad gradum secundum, et in ora suppedanei genuflexi, linteum ante

se tenent extensum, et elevatum usque sub mento. Accepta Communione, per secundum gradum incedentes, retrahunt se hinc inde ad latera Altaris; et ibidem in ora suppedanei genuflexi, facie sibi invicem versa, prædictum linteum ante communicandos ad quatuor angulos sustinent. Tum cæteri Fratres accedunt uti præscribitur § seq. 7. n. 11.

Si adsint Ceroferarii et Acolythus superpelliceo induti, (ut Feria tertia, quando post administrationem Communionis SS. Sacramentum exponitur) tunc Ceroferarii linteum sustinent, et Acolythus cum eis Communionem accipit.

6. Post datam Benedictionem Acolythus respondet AMEN, cereos extinguit, et linteum in loco decenti reponit.

7. Quamvis aliquis solus sive infra sive extra Missam ad Altare communicet, tamen semper adhibere debet linteum.

§ 7.

DE COMMUNIONE FRATRUM INFRA MISSAM SOLEMNEM.

1. Si infra Missam solemnem fiat Communio, Religiosi communicaturi, paululum ante sumptionem pretiosi Sanguinis, nudis pedibus, (Ministri parati et ii, qui superpelliceo sunt induti, communicant calceati) manibusque ante pectus junctis, bini et bini a senioribus, vel Cantoribus aut Versiculariis indutis incipiendo, accedunt ad Altare; ibique post eos, qui intorticia tenent, genuflexi duas vel quatuor lineas efformant, ita ut duo vel quatuor seniores, aut alii ut supra, sint Altari proximiores.

2. Sacerdotes habeant Stolam e collo, Diaconi vero ab humero sinistro more solito pendentem, coloris Missæ vel Officio diei conconvenientis. Qui vero sacris vestibus sunt induti, ut v. g. Presbyter assistens, vel Subdiaconus, (licet sit Sacerdos) Stolam minime superinduunt.

3. Postquam Celebrans diligentius pretiosum Sanguinem sumpserit, Subdiaconus Calicem Palla cooperit, quem Diaconus aliquantulum retrahit ad cornu Evangelii, intra tamen Corporale. Tum Ministri

genuflectunt et loca permutant; Diaconus scilicet ad dextram, Subdiaconus vero ad sinistram Celebrantis accedit. Repetita ab utroque genuflexione, Diaconus Pyxidem in medio Corporalis collocat eamque aperit. Quo facto, omnes genuflectunt et sistunt se, ut dicitur n. 5.

4. Si Pyxis e Tabernaculo educenda foret, Celebrans, facta Cruci, aut SS. Sacramento debita reverentia, quando Ministri genuflectunt, postquam locum permutaverint, (n. 3.) paululum se retrahit versus cornu Evangelii, et ibidem in suppedaneo, utrumque genu flectit simul cum Subdiacono, qui etiam aliquantulum recessit. Tum Diaconus accedit ad medium Altaris, genuflectit, aperit Tabernaculum, iterum genuflectit, extrahit Pyxidem, super Corporale ponit, eamdem aperit et tertio genuflectit. Mox surgente Diacono, simul surgunt Celebrans et Subdiaconus. Feria quinta in Cœna Domini observentur ea, quæ dicuntur ibid. n. 10. et 11.

5. Tum Celebrans inter medium Altaris et cornu Evangelii stat manibus junctis et facie conversa ad cornu Epistolæ: similiter sistit se Subdiaconus retro post Celebrantem. Diaconus vero per gradus laterales descendit in planum ad latus Epistolæ, ubi versa facie ad Celebrantem, stans manibus junctis et profunde inclinatus, solus cantat CONFITEOR. Interim Patres et Fratres communicaturi caput profunde inclinant et secreto recitare possunt CONFITEOR.

6. Finita Confessione, Celebrans, eodem modo cum Subdiacono stans, dicit MISEREATUR VESTRI, et Diaconus adhuc profunde inclinatus respondet AMEN: deinde se erigit, et dicto per Celebrantem INDULGENTIAM etc. erectus respondet AMEN. Interim primus Ceroferarius accipit linteum seu velum album, et cum socio suo vadit ante medium Altaris: ubi facta in plano utriusque genu flexione, primus ascendit ad latus Epistolæ, alter ad latus Evangelii, et ibidem in ora suppedanei genuflexi, facie sibi invicem versa, prædictum velum ante communicandos ad quatuor angulos sustinent.

7. Responso per Diaconum ultimo AMEN, Celebrans reversus ad medium Altaris, genuflectit, et Pyxidem accipit, sacram Communionem distributurus.

8. Cum Celebrante genuflectit Subdiaconus, qui statim per gradus

laterales descendit et vadit ante medium Altaris, ad quod etiam Diaconus, incedens per planum, accessit. Facta in infimo gradu genu unius flexione, ascendunt ad gradum secundum, et in ora suppedanei ante præfatum linteum utrumque genu flectunt.

9. Celebrans more solito dicit Ecce agnus Dei etc. et Domine, non sum dignus etc. quod omnes capite inclinati et pectus percutientes secreto dicere possunt.

10. Sumpta Communione, sacri Ministri descendunt in planum; et facta genuflexione ut supra, Diaconus transiens ante Subdiaconum, per latus Evangelii accedit ad dextram Celebrantis: Subdiaconus vero incedens per latus Epistolæ, ad Celebrantis sinistram accedit, ibique facie ad populum versa, manibus junctis, Celebranti assistunt usque ad finem Communionis.

11. Post Diaconum et Subdiaconum accedunt Presbyter assistens, et Cæremoniarius, si solus sit Presbyter assistens, ipse accedere potest medius inter sacros Ministros. Deinde accedunt duo Cantores, si superpelliceo sint induti; post quos veniunt Versicularii similiter induti; postea Thuriferarius medius inter duos Ceroferarios, velum tenentes; et tandem cæteri Patres et Fratres, servato ordine dignitatis. Accedunt autem bini et bini, summa cum modestia, gravi et æquali incessu, et manibus ante pectus junctis. Facta ante infimum gradum Altaris in plano genu utriusque flexione cum profunda capitis inclinatione, duo priores ascendunt ad secundum gradum et in ora suppedanei genuflexi sacram Communionem percipiunt. Qua sumpta, faciem ad invicem vertentes, hinc inde oblique, unus scilicet versus cornu Epistolæ, alter versus cornu Evangelii, in planum descendunt, ad latus aliorum duorum, qui immediate communicaturi sunt: ibique facta simul genuflexione et inclinatione ut supra, duo priores manibus junctis ad Chorum redeunt; duo subsequentes vero ascendunt sacram Communionem accepturi: ac ita porro de aliis. Si numerus Fratrum est impar, tres postremi simul accedunt.

12. Distributa Communione, si nullæ sacræ species supersint, Celebrans cum Ministris, in cornu Altaris, ubi sunt, remanentibus, convertit se ad Altare, et non genuflectit nisi Feria quinta in Cœna Domini, et nisi SS. Sacramentum sit expositum. Si vero aliquæ

...sunt conservandæ, eodem modo se con-
...eposita Pyxide, omnes genuflectunt, et
... speciebus, Pyxidem purificat, ut § 2.
... Tabernaculo sit reponenda, Diaconus et
... se ad Altare convertant. Ita permutant,
... Celebrante genuflectunt. Tum Celebrans et Sub-
... versus cornu Evangelii se retrahentes, ibi in
... ...unt utroque genu; Diaconus vero accedit ad me-
...nuflectit, Pyxidem cooperit, in Tabernaculum re-
...nuflectit et Tabernaculum claudit.
... Celebrans et Subdiaconus surgunt; Diaconus vero,
... Missæ in medio Corporalis, et facta genuflexione
...ornu Evangelii, Subdiacono ad cornu Epistolæ accedente.
... interim redit ad medium Altaris.
... Tum Subdiaconus discooperit Calicem, super quem Celebrans
... ...uit, ut § 3. n. 10.
... Quando Ceroferarii, et alii intorticia gerentes, velum album
...unt, aut Communionem sumunt, intorticia sua aliis tenenda
...dunt, vel hinc inde ad latera in basibus deponunt.

§ 8.

DE EXPOSITIONE SS. SACRAMENTI.

1. In Sacristia appendatur tabella, in qua notentur dies et modus, quibus juxta Statuta diœcesana et specialem S. Sedis aut Episcopi licentiam SS. Sacramentum publice exponere liceat.

2. Decet, ut pro expositione SS. Sacramenti eligatur Altare majus, de cujus ornatu vide cap. I. § 1.

3. Super Altare nihil ponendum est, quo SS. Sacramenti aspectus impediatur, et extra Missam omnino amovendæ sunt tres tabellæ, de quibus agitur l. c. n. 7. Neque apponi fas est imagines Sanctorum aut Reliquias etiam S. Crucis alteriusve instrumenti Passionis. Exponi possunt tamen Angelorum simulacra sub figura adorantium, ceroferariorum, thuriferariorum, vel cum symbolis SS. Sacramenti.

Collocari etiam possunt vasa cum floribus inter candelabra, et etiam super mensam Altaris, dummodo sint in humiliori loco, nec SS. Sacramenti aspectum impediant.

4. In omni expositione saltem sex cerei ardere debent super candelabris loco ordinario positis. (l. c. n. 5. et 6.) Tempore autem vespertino insuper duo vel quatuor ad throni latera prope Ostensorium ardeant.

5. In solemniori expositione, puta, in majoribus anni Solemnitatibus, major numerus candelarum apponatur.

6. In Altari, in quo SS. Sacramentum exponitur, nequaquam sacra Communio distribuenda est. Attamen si ob alterius Altaris defectum distribui ibidem necesse sit, tunc Sacerdos cavebit, in quantum fieri potest, ne terga vertat SS. Sacramento in Altari exposito.

7. Quod si Concio habenda sit, SS. Sacramentum recondatur.

8. Omnes in conspectu SS. Sacramenti caput habeant detectum; et ante Altare vel etiam a latere transeuntes, ad illud accedentes, aut ab eo recedentes genuflectere debent utroque genu, et genuflexi caput profunde inclinare; Exceptis excipiendis, qui unum tantum genu flectunt, ut propriis locis notatur.

9. Quod si SS. Sacramentum extra Divinum Officium aut Missæ Sacrificium maneat expositum, duo ex Religiosis, per Superiorem designati, ante illud genuflexi orabunt, superpelliceis induti; et Sacerdotes ac Diaconi insuper habebunt Stolam albam.

10. Qui curam habet de Altari et luminibus, sive Sacerdos sit, sive Clericus, vel Frater laicus, durante expositione, ad Altare non accedat, nisi superpelliceo indutus, et observet bene, quæ dicta sunt n. 1.

11. Quoad expositionem in diebus Precum Quadraginta Horarum hæc habet Syn. Prov. Ultraj. „Magnis laudibus extollitur, atque Indulgentiarum copia cumulatur a Romanis Pontificibus exercitium Quadraginta Horarum, quo scilicet in memoriam horarum quadraginta, quibus Salvator post mortem in sepulchro requievit, per totidem horas expositus solemniter manet in Sacramento, et assiduis precibus adoratur..... In nostris regionibus plura obstant,

quominus hæc Deo gratissima praxis continuis quadraginta horis deduci possit. Quoniam tamen Apostolicæ Sedis benignitas Indulgentias, Precibus Quadraginta Horarum concessas, etiam tunc impertitur, cum stantibus gravibus causis SSmum Sacramentum continuis quadraginta horis non proponitur adorandum, dummodo expositio horis diurnis non interrupta, quadraginta horarum spatium assequatur; præcipimus, ut iis in ecclesiis, in quibus hoc exercitium Episcopo approbante locum habet, Hostia sacratissima horis diurnis continuis in Ostensorio exposita maneat, usque ad horarum quadraginta consummationem, quin ulla quavis de causa fiat interruptio. Missa in Altari expositionis unica, eaque solemnis, singulis expositionis diebus celebrabitur, omniaque juxta præscriptos ritus peragentur."

12. Ad Altare expositionis nequit fieri Benedictio cinerum, candelarum aut palmarum; neque, exposito SS. Sacramento, agenda est Processio. Unde si expositio non est continua et interrumpi potest, SS. Sacramentum in Tabernaculo reponitur, et omnes Cæremoniæ Benedictionis et Processionis fiunt juxta præscriptum Rubricarum; complèta autem functione, SS. Sacramentum rursus exponi potest. Si vero expositio non possit interrumpi, fiat hujusmodi Benedictio in aliqua ex lateralibus Aris, quo magis potest, ab Altari expositionis distante; expediret etiam ut fieret sine cantu. Verumtamen, vel cum, vel sine cantu fiat, omittenda omnino est Processio. Vide Gardellini ad Decr. S. R. C. 17. Sept. 1822.

§ 9.

DE RITU EXPONENDI ET REPONENDI SS. SACRAMENTUM.

1. Sanctissimi Sacramenti expositio in nostris Ecclesiis triplici Ministrorum varietate perfici potest: nimirum *a*) ab uno dumtaxat Sacerdote cum aliis ut n. 4. *b*); a Sacerdote cum Assistente et aliis. *c*); a Sacerdote cum sacris Ministris et aliis.

2. In primo casu Sacerdos induitur superpelliceo et Stola; in secundo casu Sacerdos induitur Amictu, Alba, Cingulo, Stola et

Pluviali; Assistens vero superpelliceum tantum induit, et Stolam super brachium suum sinistrum plicatam portat, sive Presbyter iste sit sive Diaconus; in tertio casu Sacerdos indutus est ut in secundo, Ministri sacri vero induunt paramenta Missæ, excepto Manipulo. Si vero expositio fiat immediate ante Missam, tam Sacerdos, quam Ministri induunt omnia paramenta Missæ.

3. In omni expositione et repositione omnia paramenta debent esse albi coloris; si vero expositio aut repositio immediate præcedat vel sequatur Missam vel Divinum Officium, vel aliam sacram functionem, ita ut Sacerdos paratus non discedat ab Altari, adhibentur paramenta coloris Missæ vel Officio, vel sacræ functioni convenientis, modo non sint coloris nigri. Velum autem humerale semper debet esse album.

4. In omni expositione et repositione adesse debent Thuriferarius, et saltem duo Religiosi cum intorticiis accensis, et convenit quidem quam maxime, ut in expositione solemniori quatuor aut plures adsint intorticia gerentes. Hoc munus regulariter spectat ad Versicularios et dum plures adhibentur, Versiculariis se adjungunt Cantores et alii. In casu necessitatis hoc munere fungi possunt etiam Laici.

5. Ad Altare procedunt hoc ordine: facta ab omnibus Cruci in Sacristia capitis inclinatione, præcedit Thuriferarius cum thuribulo; ipsum sequuntur duo Ceroferarii cum candelabris accensis, si nempe expositio fiat immediate ante Missam vel aliam functionem, in qua Ceroferarii adhibentur; succedunt bini et bini Religiosi intorticia accensa ferentes. Deinde veniunt Versicularii et Cantores, si superpelliceis induti sint, et ipsi intorticia non ferant, qui, cum Presbyterium sunt ingressi, se ab aliis separant et consistunt ante gradum Presbyterii, et postea cum aliis genuflectunt. Post Cantores sequitur Cæremoniarius; tandem venit Assistens et ultimo Sacerdos medius inter sacros Ministros, si Pluviali sit indutus; si vero Casula, Ministri sacri procedunt, ut ad Missam solemnem.

6. Si ob Religiosorum penuriam præter Thuriferarium non nisi duo Ceroferarii, in casu quo adhibentur, (n. 5.) præsto esse queant, isti non candelabra, sed intorticia gestabunt, et candelabra ante functionem ad credentiam portant.

7. Cum ad Altare pervenerint, Sacerdos et Ministri sacri caput detegunt, et mox omnes genuflectunt in plano. Sacerdos, Assistentes et Cæremoniarius statim surgunt, et genu utroque in infimo gradu Altaris genuflexi, tantisper orant. Thuriferarius vero et alii post illos genuflexi manent.

8. Dicta n. 5. et 7. respective observantur, si aliquis vel aliqui ex enumeratis desint. Nunc dicendum, quid ulterius pro triplici Ministrorum varietate sit observandum.

9. Si itaque Sacerdos nullum Assistentem habeat, ipsemet, facta brevi oratione, Altaris gradus conscendit, Tabernaculum aperit, genuflectit, Sacramentum accipit, illudque in eminenti throno confestim collocat. Tum repetita genuflexione, per cornu Evangelii descendit in planum, ibique in infimo gradu genu utrumque flectit, et caput profunde inclinat. Mox surgit, et tantillum ad cornu Evangelii deflectens, thus imponit in thuribulum absque Benedictione. Tum iterum flexis genibus, thuribulum accipit, caput profunde inclinat, triplici ductu Sacramentum adolet, et repetita capitis inclinatione, thuribulum reddit Thuriferario. Postea, si ad Sacristiam redeundum sit, brevi facta oratione, surgit, genu utrumque flectit in plano ac caput profunde inclinat. Deinde surgens, ordine quo venit in Sacristiam revertitur, caput tegens extra conspectum Sacramenti.

10. Si sacra Hostia in Ostensorio sit collocanda, Sacerdos explicat Corporale, aperit Tabernaculum, genuflectit, Capsulam, quæ sacram Hostiam continet, (§ 1. n. 12.) extrahit, eam super Corporale ponit et discooperit; tum iterum genuflectit et Hostiam in Ostensorio collocat. Si digitis Hostiam tetigerit, eosdem abluit et abstergit. Deinde Capsulam et Ostensorium claudit, et Capsulam in Tabernaculum reponit: tum si sacræ species in Tabernaculo adsint, genuflectit et Tabernaculum claudit; si vero sacræ species non adsint, prius Tabernaculum claudit et tunc genuflectit. Postea Ostensorium in throno collocat, vel in medio Altaris relinquit, si expositio facienda sit in alio Altari. Sacerdos vel Assistens vel Diaconus, si adsint, non deferunt Ostensorium, procedentes ad Altare, sed ante functionem ibidem ad cornu Evangelii collocatur

a Sacrista et etiam ab eodem, finita functione, ut infra n. 30. ad Sacristiam reportatur.

11. Si vero Sacerdos Assistentem habeat, tunc hic, dum ille paulisper orat, imponit sibi Stolam, ascendit ad Altare Tabernaculum aperit, genuflectit aliquantulum ad cornu Epistolæ, ne terga Sacerdoti obvertat, et Sacramentum exponit, ut n. 9. et 10. dictum est. Deinde iterum genuflectit, per cornu Epistolæ descendit et genuflexus ad dextram Sacerdotis, sibi Stolam detrahit. Tum Sacerdos, facta cum Assistente profunda capitis inclinatione, cum eo surgit, et tantillum ad cornu Evangelii deflectens, thus imponit in thuribulum sine Benedictione, Assistente naviculam ministrante sine osculis. Exinde Sacerdos et Assistens iterum in infimo gradu genuflectunt; Thuriferarius vero genuflectit in plano prope dextram Assistentis, qui ab eo thuribulum accipit et Sacerdoti tradit. Dum Sacerdos Sacramentum de more adolet, Assistens fimbriam Pluvialis elevat, faciens cum Sacerdote capitis inclinationem ante et post thurificationem, qua expleta recipit thuribulum et reddit Thuriferario. Postea agunt ut n. 9. Assistens vero caput non tegit. Notandum, quod Assistens, si sit Sacerdos, habeat Stolam de collo pendentem.

12. Demum, si expositio SS. Sacramenti fiat cum sacris Ministris, Sacerdos se gerit ut n. præc. Diaconus, semper Stolam retinens, ea agit quæ sunt Assistentis; Subdiaconus vero cum Sacerdote genuflectit, caput inclinat, et sub thuris impositione dextram, sub incensatione sinistram Pluvialis fimbriam elevat. Ad Sacristiam revertentes, Sacerdos et Ministri sacri caput tegunt extra conspectum Sacramenti.

13. Si SS. Sacramentum in alio Altari sit exponendum, Sacramentum in aperto Tabernaculo relictum, vel super Altare positum, (n. 10.) prius congruenter incensatur more solito. Tum Sacerdos, si nullum Assistentem habeat, cum velo humerali, per secundum Ceroferarium, si adsit, vel per alium imposito, caput inclinat, Altare conscendit, genuflectit, et Sacramentum accipit manibus sub velo positis. Procedunt ad Altare expositionis primo Ceroferarii, si adsint; deinde ferentes intorticia, quorum aliquis tintinnabulum dulciter pulsat; tum sequitur Thuriferarius Sacramentum continuo

incensans, et postremo Sacerdos deferens SS. Sacramentum. Cum pervenerint ad Altare expositionis, Thuriferarius genuflectit in medio, alii hinc inde in plano Presbyterii, Sacerdos vero ad Altare ascendit et SS. Sacramentum in loco parato deponit. Deinde genuflectit, descendit et reliqua peragit, quæ dicta sunt n. 9. etiam thus imponendo, si opus sit.

14. Si adsit Assistens, Sacramento incensato, ut n. 11. et velo humerali imposito, ut n. 13. Sacerdos ascendit ad secundum gradum, et genu utrumque flectit in ora suppedanei ante medium Altaris; Assistens vero, qui simul cum Sacerdote ascendit, progreditur usque ad Altare, et facta unius genu flexione aliquantulum versus cornu Epistolæ, accipit Sacramentum, illudque tradit Sacerdoti, qui, prius facta profunda capitis inclinatione, manibus sub velo positis, adhuc genuflexus Sacramentum reverenter accipit. Deinde Sacerdos surgens, suppedaneum ascendit et vertit se ad Assistentem, qui mox velum humerale accommodat, unius genu flexione Sacramento reverentiam exhibet, surgit et manet in cornu Epistolæ. Tum Sacerdos vertit se ad populum, et procedit ad Altare expositionis: Assistens incedit a sinistris Sacerdotis. Dum perveniunt ad Altare, Assistens accedit ad Sacerdotis dextram, et cum eo Altaris gradus ascendit. Sacerdos consistit in gradu secundo; Assistens vero suppedaneum ascendit, ibique parum versus cornu Epistolæ, facie ad Sacerdotem conversa, genu utrumque flectit, et caput profunde inclinat. Facta hac reverentia, Sacerdos stans tradit Sacramentum Assistenti genuflexo, qui, accepto Sacramento, surgit, et stans versus Sacerdotem exspectat, donec hic SS. Sacramentum unius genu flexione adoraverit. Quo facto, Sacerdos descendit, utrumque genu flectit in infimo gradu, et deponit velum humerale. Interim Assistens Sacramentum in throno collocat, et reliqua fiunt ut n. 11. etiam thus imponendo, si opus sit.

15. Si adsint sacri Ministri, Sacerdos se gerit ut n. præc. Diaconus ea agit, quæ sunt Assistentis, sed incedit a dextris Sacerdotis; Subdiaconus vero observat ea, quæ de Subdiaconi munere dicuntur in § *De Cœna Domini*, a n. 18. usque ad n. 23. et in § *De Processione in Festo SS. Corporis Christi.*

16. Ad reponendum SS. Sacramentum quod spectat, ad Altare cuncti procedunt quemadmodum de expositione dictum est.

17. Sacerdos et Ministri simul atque in conspectum venerint SS. Sacramenti, caput detegunt et progressi usque ante gradus Altaris, ibi in plano genu utrumque flectunt et genuflexi caput profunde inclinant. Deinde, si statim SS. Sacramentum reponendum sit, Sacerdos, Assistentes et Cæremoniarius erecti, genu utrumque flectunt in infimo gradu Altaris. Thuriferarius vero et alii post illos genuflexi manent.

18. Deinde intonatur stropha TANTUM ERGO SACRAMENTUM, et omnes, etiam Choristæ, caput profunde inclinant usque ad vocem CERNUI inclusive. Hac stropha cantata, intonatur GENITORI GENITOQUE, et Celebrans cum aliis facta capitis inclinatione, surgit, incensum imponit, et SS. Sacramentum adolet, prout juxta diversos casus n. 9. 11. et 12. dictum est.

19. Postea Cantores genuflexi cantant Versum PANEM DE CŒLO, et Chorus Responsorium OMNE DELECTAMENTUM etc. addendo ALLELUJA tempore Paschali et infra Octavam Corporis Christi. Tum Sacerdos, facta capitis inclinatione, solus surgit, et cantat OREMUS, ad quod caput inclinat SS. Sacramento, et deinde Orationem: DEUS, QUI NOBIS SUB SACRAMENTO MIRABILI etc. cum conclusione brevi, quæ debet esse: QUI VIVIS ET REGNAS IN SÆCULA SÆCULORUM. Chorus respondet AMEN.

20. Hisce completis, Sacerdos, si nullum Assistentem habeat, genuflexus in infimo gradu, accipit velum humerale ut n. 13. Deinde facta capitis profunda inclinatione, Altaris gradus conscendit, et in suppedaneo genuflectit uno genu. Erectus Ostensorium nuda manu dextra accipit et super Corporale in medio Altaris collocat.

21. Deinde posticam Ostensorii partem ad se volvens, illud dextra velo cooperta capit ad nodum, sinistra vero ad pedem, et velum ita adaptat, ut pars pendens a latere dextro ponatur super partem pendentem a latere sinistro. Mox sustinens Ostensorium a parte S. Hostiæ ad summum pectoris, per suam dextram, seu per cornu Epistolæ, vertit se ad populum; erga quem conversus, Ostensorium decenti mora et recta linea elevat, sic ut Hostia non

transcendat oculos, et eodem modo, sine morula in medio, illud demittit infra pectus; mox iterum recta linea illud attollit usque ad superiorem pectoris partem, et exinde ad sinistrum suum humerum ducit, ac continuo tractu, lineaque recta, non curva adinstar arcus, reducit ad dextrum. Quo facto, perficiens circulum, per cornu Evangelii convertit se ad Altare, et Ostensorium ibi reponit super Corporale.

22. Post hæc, velo humerali dimisso, aperit Tabernaculum, genuflectit, si ibi SS. Sacramentum contineatur, Ostensorium in Tabernaculo recondit, genuflectit, et ostiolum Tabernaculi claudit.

23. Tum facta capitis inclinatione, descendit ante infimum Altaris gradum, unum genu flectit in plano cum aliis, et ad Sacristiam more solito redit.

24. Circa Benedictionem dandam insuper notandum:

a) Sacerdos corpore, capite et pedibus semper immotus manet, sed brachia sola movere potest, et oculos in S. Hostiam constanter defixos tenere debet, nihil tamen interim dicit.

b) Cantores et musici nihil quoque interim canere debent. Organa tamen, ubi consuetudo viget, pulsari possunt graviori ac dulciori sono, qui aptus sit ad devotionem et venerationem erga SS. Sacramentum conciliandam.

c) Ad dubium propositum: In expositione SS. Eucharistiæ Sacramenti, dum a Sacerdote Benedictio Fidelibus impertitur, licet nec ne Thuriferario incensare Sanctissimum? S. R. C. respondit: non præscribi, et servandam consuetudinem locorum. 7. Sept. 1861. ad 7.

d) Interim Ceroferarius tintinnabulum dulciter pulsare potest.

e) Omnes, etiam Choristæ, genuflexi, facie ad Altare versa, manibus ante pectus junctis, et capite inclinati, Benedictionem accipiunt.

25. Si vero in SS. Sacramenti repositione Assistens præsto sit, thus imponitur et SS. Sacramentum incensatur ut n. 11. Cantata Oratione, velum humerale Sacerdoti imponitur ut n. 13. et Assistens, imposita sibi Stola, Altare conscendit, genuflectit ut n. 11. Ostensorium super Corporale in medio Altaris collocat, et repetita genuflexione, ad dextrum Sacerdotis latus redit, sibique Stolam aufert.

Tum Sacerdos Altare conscendit, genuflectit, et data Benedictione, Ostensorium super Altare collocat uti prius, factaque genuflexione, descendit ante infimum Altaris gradum, super quem genu utrumque flectit, et velum humerale dimittit. Tum Assistens reposita sibi Stola ad Altare ascendit, et facta genuflexione, SS. Sacramentum in Tabernaculo recondit ut n. 22. Clauso ostiolo Tabernaculi, iterum genuflectit, et redit ad dextram Sacerdotis, qui interim a genuflexione surrexit cum aliis. Mox peracta ab omnibus genu unius flexione in plano, ad Sacristiam revertuntur.

26. Denique, si repositio SS. Sacramenti perficiatur cum Diacono et Subdiacono, Sacerdos se gerit ut n. præc. Diaconus semper Stolam retinens, ea agit quæ sunt Assistentis. Subdiaconus vero usque ad Orationem facit ut n. 12. Cantata Oratione, Subdiaconus velum humerale Sacerdoti genuflexo imponit et post Benedictionem aufert. Sub Benedictione genuflectit in infimo gradu Altaris.

27. Si SS. Sacramentum ad aliud Altare transferri debeat, data Benedictione, procedunt eodem modo et ordine ut dictum est n. 13. 14. et 15.

28. Cum Sacerdos, nullum habens Assistentem, pervenerit ad Altare, reliquis genuflectentibus ut n. 13. Ostensorium deponit super Corporale in medio Altaris. Deinde genuflectit, descendit, et SS. Sacramentum more solito incensat. Quo facto, SS. Sacramentum in Tabernaculo recondit ut n. 13.

29. Si adsit Assistens, aut Diaconus et Subdiaconus, respective observantur ea, quæ præscribuntur n. præc. et § *De Cœna Domini* n. 23.

30. Si post expositionem SS. Sacramenti S. Hostia ex Ostensorio extrahenda sit, id fiat hoc modo: aperto Tabernaculo ut n. 22. Sacerdos, vel Assistens, vel Diaconus accipit parvam Capsulam, (§ 1. n. 12.) et in eam S. Hostiam una cum et in lunula deponit. Tum Ostensorium collocat ad cornu Evangelii extra Corporale, et Capsulam in Tabernaculo recondit, genuflectit etc. Vide etiam n. 10.

§ 10.

DE MISSA PRIVATA CORAM SS. SACRAMENTO EXPOSITO.

1. Missa privata in Altari, in quo SS. Sacramentum est expositum, non celebretur, nisi alia desint Altaria, et celebrandi urgeat necessitas, vel saltem rationabilis adsit causa.

2. Cum itaque hujusmodi causa occurrerit, (quæ in nostris Conventibus vix aut ne vix quidem locum habet) in primis observandæ sunt hæ regulæ generales:

a) Omnino cavere debet Celebrans, ne umquam terga vertat SS. Sacramento.

b) Prima genuflexio, quæ fit in accessu ad Altare, et ultima, quæ fit post Missam ante discessum, locum habent in plano, et utroque fiunt genu, cum profunda capitis inclinatione; reliquæ vero fiunt in vel ad Altare, unico dumtaxat genu et sine capitis inclinatione, nisi aliter ordinetur. Cfr. cap. I. § 5. n. 9. 10. et 11.

c) Hæc unius genu flexio fit, quoties Celebrans accedit ad medium, quoties recedit a medio, et quoties transit per medium Altaris.

d) Prima Sacerdotis actio in accessu ad medium Altaris, et ultima in recessu a medio, debet esse genuflexio; hinc regula sequens: quando Celebrans jam est in medio Altaris, prius illud osculari debet, et postea genuflectere; quando vero non est in medio, sed venit ab aliquo Altaris latere, prius genuflectit et postea osculatur Altare.

e) Quando inter accessum ad medium Altaris, et recessum ab eodem habetur mora, Sacerdos bis genuflectere debet.

f) Omnes oculorum elevationes, et capitis inclinationes, quæ alias ad Crucem diriguntur, ad SS. Sacramentum, tamquam ad objectum dignius, dirigendæ sunt. Idem observatur, quando in Evangelio ad nomen JESU caput inclinatur. Item in Evangelio S. Joannis ad verba ET VERBUM CARO FACTUM EST Sacerdos genuflectit versus SS. Sacramentum; et pariter quotiescumque sive in cornu Evangelii sive in cornu Epistolæ genuflectendum est. Vide etiam cap. I. § 4. n. 2.

3. Sacerdos ad præfatum Altare Missam celebraturus, ubi in conspectum SS. Sacramenti advenerit, caput detegit, et facta ante gradum Altaris genuflexione, (n. 2. ad lit. *b*) Altare conscendit, sistit Calicem ad cornu Evangelii, unum genu flectit, Calicemque super Corporale collocat more solito. Quo facto, iterum genuflectit et vadit ad Missale aperiendum.

4. Deinde redit ad medium Altaris, genuflectit, et se retrahens versus cornu Evangelii, descendit in planum; ubi facta super infimum gradum genu unius flexione, Missam inchoat, ut alias.

5. Facta Confessione cum annexis, sine prævia genuflexione ad Altare ascendit, genuflectit, more solito dicit ORAMUS TE, DOMINE, post osculum Altaris iterum genuflectit, et pergit ad legendum Introitum. Quo lecto, revertitur ad medium, genuflectit, et dicit KYRIE ELEISON.

6. Dicturus DOMINUS VOBISCUM, prius osculatur Altare, dehinc genuflectit et postea se vertit ad populum; contra, si ad dicendum tantum DOMINUS VOBISCUM, non vero KYRIE aut GLORIA, ad medium venerit, prius genuflectit, dehinc osculatur Altare et postea se vertit ad populum. Porro ad populum se convertit extra Altaris medium, nimirum abducendo se paululum ad cornu Evangelii, faciemque vertendo ad cornu Epistolæ. Dicto DOMINUS VOBISCUM, obvertit se ad medium Altaris, genuflectit et pergit ad Missale.

7. Genuflectit ante et post MUNDA COR MEUM, nec non ante CREDO; quo recitato, osculatur Altare, genuflectit, (si non sit dicendum CREDO, prius genuflectit, dehinc osculatur Altare) et conversus ad populum dicit DOMINUS VOBISCUM. Tum convertit se ad Altare, genuflectit et dicit OREMUS. Rursum genuflectit, priusquam se conferat ad cornu Epistolæ, ut vinum in Calicem infundat, ac denuo reversus ad medium Altaris,

8. Dicto VENI SANCTIFICATOR, benedictisque Oblatis, genuflectit; et accedens ad cornu Epistolæ, descendit in planum, ubi per suam sinistram ad populum se vertens, (n. 2. lit. *a*) lavat digitos et manutergio abstergit. Deinde ascendit, Psalmum absolvit in loco consueto, et reversus ad medium Altaris, genuflectit.

9. Post Orationem: SUSCIPE SANCTA TRINITAS osculatur Altare,

genuflectit, et vertens se ad populum ut n. 7. dicit ORATE FRATRES; et non perficit circulum, sed statim per eamdem viam rediens ad medium Altaris genuflectit. Deinceps omnia fiunt more consueto usque ad Antiphonam, quæ dicitur *Communio.*

10. Antequam pergat ad cornu Epistolæ ad legendam Communionem, Sacerdos genuflectit; ac rursum post reditum ad medium dicturus DOMINUS VOBISCUM: (n. 7.) quo dicto, reversus ad medium, iterum genuflectit, ac tendit ad cornu Epistolæ, lecturus Postcommunionem.

11. Finitis Orationibus, graditur ad Altaris medium, genuflectit, osculatur Altare, et versus populum dicit DOMINUS VOBISCUM et ITE, MISSA EST; (n. 7.) seque vertens ad Altare, iterum genuflectit. Si dicendum sit BENEDICAMUS DOMINO, tunc, dicto DOMINUS VOBISCUM, revertitur ad medium, genuflectit, surgit, et deinde stans dicit BENEDICAMUS DOMINO.

12. Dicta Oratione: PLACEAT etc. osculatur Altare, et pronuntiato BENEDICAT VOS OMNIPOTENS DEUS, caput non inclinat, sed genuflectit. Mox conversus ad populum, (n. 7.) illum benedicit more solito, et non perficit circulum, nec ad medium Altaris redit, sed in cornu Evangelii vertens se ad Altare, continuo subdit DOMINUS VOBISCUM, ac legit Evangelium, non signans Altare, sed se ipsum tantum. Signat tamen tabellam vel librum, si Celebrans ex ipsis legit Evangelium. Vide n. 2. lit. *f*).

13. Expleto Evangelio, accedens ad medium Altaris, genuflectit; dehinc Calicem prehendit, et ut n. 4. descendit in planum, ubi facta genuflexione (n. 2. lit. *b*) ad Sacristiam revertitur, caput cooperiens extra conspectum SS. Sacramenti.

14. Si vero preces quædam, v. g. Litaniæ, sint recitandæ, Sacerdos, postquam descenderit in planum, genu utrumque flectit in infimo gradu. Precibus recitatis, surgit et genuflectit ut n. præc.

Quoad Orationem de SS. Sacramento vide cap. II. § 3. n. 3.

De expositione SS. Sacramenti immediate ante Missam et de repositione immediate post eamdem vide § 11. seq. n. 21. et 22.

§ 11.

DE MISSA SOLEMNI CORAM SS. SACRAMENTO EXPOSITO.

1. Quæ dicta sunt § præc. et cap. IV. § 10. de ordine genuflectendi etc. in hac Missa respective servanda sunt.

2. Celebrans et Ministri, amicti indumentis coloris Missæ congruentis, ad Altare procedunt more solito.

3. Ubi in conspectum SS. Sacramenti advenerint, vel potius in Sacristia, (quia commodius et decentius) caput detegunt; et progressi usque ante gradus Altaris, ibi in plano genuflectunt, ut § præc. 10. n. 2. lit. *b*). Mox surgunt, et absque alia reverentia Missa inchoatur ut alias.

4. Absoluta Confessione cum annexis, Celebrans et Ministri sacri, sine prævia genuflexione, Altaris gradus conscendunt, statimque in suppedaneo genu unum flectunt. Dicto a Celebrante more solito ORAMUS TE, DOMINE, etc. iterum genuflectunt.

5. Tum Celebrans aliquantulum se retrahens versus cornu Evangelii, facie conversa ad cornu Epistolæ, imponit et benedicit incensum de more, Diacono naviculam ministrante sine osculis.

6. Thure benedicto, Celebrans cum Ministris statim, non præmissa genuflexione neque conversione ad Altare, descendit ad secundum gradum, et in ora suppedanei genu utrumque flectit, medius inter sacros Ministros, ibi pariter genuflexos. Dein accipit thuribulum, a Diacono sine osculis traditum, et SS. Sacramentum triplici ductu adolet, interposita inter quemlibet ductum brevi morula, et cum profunda capitis inclinatione ante primum et post tertium ductum.

7. Deinde omnes surgunt, et Celebrans solus suppedaneum ascendit; factaque ab omnibus genu unius flexione, Altare more solito incensat, genuflectens cum Ministris dum transit ante medium Altaris. Crux, etiamsi adsit, non incensatur.

8. Thurificato Altari, redditoque thuribulo Diacono, Celebrans e latere Epistolæ descendit in planum, ubi per suam sinistram ad populum conversus, triplici ductu a Diacono, ex adverso stante,

incensatur. Diaconus ante et post incensationem caput Celebranti inclinat, ut alias.

9. Tum sine genuflexione sistunt se more solito, et legitur Introitus etc.

10. Reversi ante medium Altaris, omnes genuflectunt, et intonatur Hymnus Angelicus, sub quo, uti et sub Symbolo, sedere non convenit. Reliqua usque ad lectum a Celebrante Evangelium fiunt more solito, observatis tamen iis, quæ præscribuntur §§ citatis supra n. 1.

11. Lecto Evangelio, Celebrans non redit ad medium Altaris, sed in cornu Evangelii ut n. 5. ponit incensum in thuribulum et benedicit, ut ibidem. Si vero cantus in Choro nondum sit finitus, v. g. si cantetur Sequentia, Celebrans redit ad medium, et facta genuflexione, stat manibus junctis. Sub finem cantus genuflectit et imponit incensum ut supra.

12. Incenso benedicto, omnes genuflectunt; et Subdiaconus descendit in planum. Diaconus vero genuflectit, non in medio Altaris, sed aliquantulum versus cornu Epistolæ, ubi etiam petit Benedictionem, quam Celebrans more solito impertitur, se retrahens tamen paululum versus cornu Evangelii, et genuflectens ante et post.

13. Cantato Evangelio, Subdiaconus recta via, nullam faciens SS. Sacramento reverentiam, librum Celebranti deosculandum defert, et Diaconus Celebrantem de more incensat.

14. Postea ante medium Altaris reversi, omnes genuflectunt, et intonatur Credo, si dicendum sit. Reliqua fiunt ut cap. III. § 7. a n. 4. usque ad n. 14.

15. Post Veni sanctificator Celebrans cum Diacono genuflectit, et imposito incenso ut n. 5. ac illo benedicto ut alias, revertitur ad medium Altaris cum genuflexione, accipit e manibus Diaconi thuribulum, et incensat de more Oblata. Postmodum sine genuflexione, deflectens tantillum ad cornu Evangelii, cum Diacono descendit ad secundum gradum, ubi in ora suppedanei ante medium Altaris cum Diacono a dextris genuflexus, Subdiacono ante Altare cum Patena minime genuflectente, SS. Sacramentum incensat, dein Altare ut supra, consueta proferens verba.

16. Post Altaris thurificationem reddito thuribulo, Celebrans

descendit, et incensatur ut n. 8. ibique lavat manus; et reliqua perficiuntur, ut § præc. 10. n. 9. et seqq. et ut in aliis Missis solemnibus; omissis Chori salutationibus.

17. Cantato a Celebrante DOMINUS VOBISCUM post ultimas Orationes, Diaconus genuflectit, sistit se eodem modo ac Celebrans, et cantat ITE, MISSA EST. Quo finito, Celebrans et Diaconus simul se convertunt ad Altare, et facta ab omnibus genuflexione, Diaconus et Subdiaconus sistunt se ut alias.

18. Si cantandum sit BENEDICAMUS DOMINO, Diaconus illud cantat more solito; facta tamen prius cum Celebrante genuflexione.

19. Expleto ultimo Evangelio, Celebrans accedit ad medium Altaris, et facta cum Ministris genuflexione, cum iis descendit in planum obliquo latere, nempe Celebrans cum Subdiacono se pauxillum retrahendo ad cornu Evangelii, faciemque vertendo ad cornu Epistolæ, Diaconus vero se aliquantulum abducendo ad cornu Epistolæ, faciem autem ad cornu Evangelii convertendo.

20. Tum peracta ab omnibus in plano genuflexione, ut in accessu, ad Sacristiam revertuntur ordine quo venerunt, caput cooperiendo extra conspectum SS. Sacramenti.

21. Si immediate ante Missam SS. Sacramentum exponendum sit, omnes procedunt ad Altare et omnia fiunt ut dictum est § 9. Post incensationem SS. Sacramenti reddito thuribulo, Missa inchoatur, absque alia reverentia facienda. Mox discedunt Tædiferi, et intorticia extincta in loco congruo deponunt, postea opportune cum eisdem accensis reversuri pro Benedictione.

22. Si immediate post Missam SS. Sacramentum sit reponendum, dicto ultimo Evangelio, et recitatis precibus, si dicendæ sint, intonatur TANTUM ERGO et omnia fiunt more solito.

§ 12.

DE LAUDIBUS VESPERTINIS.

1. Laudes vespertinæ regulariter cantantur post Completorium, et cum paramentis albi coloris. Vide § 9. n. 3.

2. Si SS. Sacramentum jam expositum sit, omnes procedunt ad Altare, ut § 9. dictum est, exceptis Tædiferis; et facta genu utriusque flexione in plano cum profunda capitis inclinatione, ad loca sua se recipiunt ut n. seq.

3. Si vero SS. Sacramentum exponendum sit, omnes procedunt ut § 9. dictum est: et SS. Sacramento sine Benedictione exposito, illoque de more incensato, et post redditum thuribulum repetita ab omnibus, adhuc genuflexis in locis suis, capitis inclinatione, Sacerdos, Assistente vel Assistentibus, si adsint, comitantibus, vadit ad genuflexorium, non in medio Presbyterii, sed parum versus cornu Epistolæ paratum, super quod Sacerdos genuflectit dum cantantur Antiphonæ etc. nisi standum sit ut dicetur. Manet autem apud genuflexorium, usque ad TANTUM ERGO exclusive, seu, quod idem est, usque ad tintinnationem pro Salutatione Angelica inclusive.

4. Assistens, Pluviali Sacerdotis super genuflexorium adaptato, caput Sacerdoti inclinat, redit ad Altare et genuflectit super infimum gradum in cornu Epistolæ. Subdiaconus vero, sid adsit, genuflectit super eumdem gradum in cornu Evangelii.

5. Ceroferarii genuflectunt in loco consueto; Thuriferarius vero retro post Sacerdotem; sed cum Sacerdote assurgunt, iterumque genuflectunt. Tædiferi, incensato SS. Sacramento, discedunt, et intorticia extincta in loco congruo deponunt, postea opportune cum iisdem accensis reversuri pro Benedictione.

6. Omnes semper genuflexi manent, præterquam ad Orationes cantandas, et ad illa, ad quæ sub Officio Divino standum est; v. g. in diebus Sabbathinis et Dominicis ad Antiphonam finalem B. M. V. ad TE DEUM LAUDAMUS, MAGNIFICAT, etc.

7. Dum cantantur Versus, Assistens vel Assistentes, facta, si genuflectant, capitis inclinatione, vel, si stent, genu unius flexione super infimum gradum, ad Sacerdotem accedunt, caput eidem inclinant, et hinc inde ad latera ejus assistentes, libellum sustinent, ex quo Sacerdos, manibus junctis, cantat Orationes. Si unus tantum Assistens adsit, ipse ad dextram Sacerdotis constitutus, libellum sustinet.

8. Antiphonæ seu Hymni regulariter cantantur hoc ordine: prima

Antiphona, seu Hymnus, erit de SS. Sacramento; cui statim, post parvum Organi interludium, adjungitur Antiphona finalis B. M. V. cum Versu et Oratione, cui interdum substitui possunt Litaniæ Lauretanæ, vel Canticum: MAGNIFICAT vel alia Antiphona vel Hymnus in honorem B. M. V. modo sint ex approbatis; deinde cantatur Antiphona de S. P. N. Francisco, cum Versu et Oratione; et ultimo cantatur Hymnus, vel Antiphona, vel Responsorium de Mysterio vel de Sancto, cujus memoria aut Festum celebratur, etiam cum Versu et Oratione propriis.

9. Tempore Paschali Antiphonæ, Hymni, Responsoria et aliæ preces quæcumque cantantur ut per annum; non vero secundum leges, quas in Divino Officio vel sequuntur vel sequerentur, si in eo locum haberent. Excipitur Versus: PANEM DE CŒLO etc. cum Responsorio: OMNE DELECTAMENTUM etc. ut dictum est supra § 9. n. 19. Excipitur etiam Hymnus: VENI CREATOR. Vide Rubr. pecul. Brev. n. 240. et 241.

10. Omnes Orationes dicuntur cum conclusione brevi. Preces vero imperatæ concludendæ sunt prout jacent. Vide etiam cap. II. § 3. n. 7. lit. *g*).

11. In Laudibus vespertinis solemnioribus, si Versicularii induti sint superpelliceo, ambo simul cantant Versiculos, vel in medio Chori, vel ante gradum Presbyterii, facta in accessu et recessu genu unius flexione: si vero non sint induti, solus primus Versicularius eos cantat in loco suo. Cfr. Part. II. cap. III. § 3. n. 9.

12. Pro Salutatione Angelica tintinnatur immediate ante TANTUM ERGO. Cfr. n. 3. De Salutatione Angelica Vide Part. II. cap. II. § 3. n. 10.

13. Qua recitata, Sacerdos, sine prævia reverentia, vadit ad Altare, et genuflectit super infimum gradum. Reliqua fiunt ut dictum est de repositione SS. Sacramenti.

14. In Choro servetur consuetudo standi vel genuflectendi ad ea, ad quæ sub Divino Officio standum vel genuflectendum est.

CAPUT VII.

DE VARIIS BENEDICTIONIBUS.

§ 1.

REGULÆ GENERALES.

1. Benedictiones, in fine Missalis, et in Rituali Romano Tit. VIII. positæ, duplicis generis sunt, ratione Ministri. Primo loco successive ponuntur eæ, quæ fieri possunt a quocumque Sacerdote, quarum tamen duæ, nempe: *Benedictio domorum in Sabbatho Sancto Paschæ*, et *Benedictio communis super fruges et vineas*, saltem si solemniter fiat, pertinent ad jura Parochialia. Secundo loco ponuntur eæ, quæ reservantur Episcopis et facultatem habentibus ex delegatione Episcopi, vel ex concessione seu privilegio S. Sedis.

2. Ex tali privilegio Leonis X. omnes Prælati Ordinis, etiam Guardiani aliique Superiores locales, quocumque nomine nuncupentur, facultatem habent benedicendi paramenta et Ecclesiastica ornamenta, et vasa, in quibus sacra unctio seu Chrisma non adhibetur; qualia sunt paramenta Celebrantis et Ministrorum, Corporalia, Pallæ, Pyxides, Ostensoria, Lunulæ, Cruces, Statuæ etc. cum hac tamen limitatione, ut ea non possint benedicere, nisi pro usu tantummodo Ecclesiarum sibi subditarum, ac consequenter etiam Tertiariorum et Monialium, sub regimine eorum existentium.

3. Ex eodem privilegio iidem Prælati facultatem habent benedicendi et reconciliandi Ecclesias, Oratoria et Cœmeteria, cum limitatione ut supra. Vide Luc. Ferrar. v. *Benedictio.* Art. V. n. 7.

4. *In omni Benedictione extra Missam*, ait Rituale Romanum, *Sacerdos saltem superpelliceo et Stola pro ratione temporis*, id est, coloris Officio diei convenientis, *utatur, nisi aliter in Missali notetur.* In Benedictionibus, quæ fiunt in Altari, Sacerdos ordinarie utitur Pluviali; et ubi Pluviale haberi non potest, stat sine Planeta

cum Alba et Stola, et semper sine Manipulo. Benedictiones nonnullæ, quæ in Sacristia, vel alio decenti loco sine solemnitate peraguntur, cum privatæ censeantur, a Sacerdote, sola induto Stola, fieri posse videntur, nisi aliter notetur.

5. Sacerdos *stando semper benedicat, et aperto capite.*

In principio cujusque Benedictionis, qua benedicitur res aliqua, non habens cum altera, antecedenter benedicta, connexionem, *dicat:* ℣. ADJUTORIUM NOSTRUM etc. se signando; DOMINUS VOBISCUM etc.

Deinde dicatur Oratio propria una, vel plures, prout suo loco notatum fuerit.

6. Tenet Sacerdos manus junctas, eas numquam disjungendo ad DOMINUS VOBISCUM, et OREMUS, sed caput Cruci inclinat ad OREMUS, et ad nomen JESU.

7. Infra Orationes, ubi Crux ponitur, formandum est Crucis signum versus rem benedicendam, sinistra manu interim infra pectus, vel super Altare posita, prout res benedicenda vel extra vel super Altare reperiatur. Vide etiam cap. II. § 2. n. 6.

8. *Postea* Sacerdos *rem aspergat aqua benedicta; et ubi notatum fuerit, pariter incenset, nihil dicendo.*

9. *Cum Sacerdos aliquid benedicturus est, habeat Ministrum cum vase aquæ benedictæ et aspergillo, et cum hoc Rituali* aut Cæremoniali *libro, seu Missali.* Si tamen Minister commode haberi non possit, Sacerdos sibi respondens Benedictionem absolvat.

10. *Caveat* Sacerdos, *ne Benedictionis causa ponat aliquid indecens super Altare, veluti esculenta; sed quod ejusmodi est, ponatur super mensam, commodo loco paratam*, et regulariter quidem in latere Epistolæ.

11. In Benedictionibus, iis dumtaxat formulis uti licet, quæ in Missali, in Rituali Romano, vel in Pontificali leguntur, aut alias a S. Rituum Congregatione aut a Sede Apostolica approbatæ fuerunt. Vide Syn. Prov. Ultraj. Tit. V. Cap. IX.

12. Quoad Benedictiones, pro quibus specialis formula non habetur, adhiberi potest *Benedictio ad omnia*, infra posita; imo S. R. C. declaravit sufficere, ut *producatur signum Crucis super re benedicenda cum formula:* IN NOMINE PATRIS, ET FILII ✠, ET SPI-

RITUS SANCTI. AMEN. Et *deinde rem ipsam, absque cereo accenso, cum aqua benedicta aspergendo.* 12. Aug. 1854. ad 68. in *Lucion.*

13. Sequuntur hic quædam Benedictiones, quæ sunt usus frequentioris. Benedictio candelarum in die Purificationis B. M. V. et Benedictio palmarum in Dominica Palmarum ponuntur capite sequenti: *De Processionibus.* Benedictio Agni Paschalis etc. invenitur sub Titulo: *De Benedictione mensæ.*

§ 2.

DE BENEDICTIONE ET ASPERSIONE AQUÆ BENEDICTÆ.

1. Diebus quibuscumque Dominicis (etiam ipso die Paschatis et Pentecostes, ubi non est Fons Baptismalis) in Sacristia, ante Missam Conventualem vel principalem, sive cantatam sive lectam, fit aquæ Benedictio ab ipso Sacerdote Missam celebraturo, vel ab alio ad id deputato.

2. *In die Festo Paschæ et Pentecostes, ubi est Fons Baptismalis,* non fit aquæ Benedictio, sed *fit aspersio, cum aqua pridie benedicta in Fonte Baptismi, et ante infusionem Olei et Chrismatis accepta.* Ita Missale.

3. Licet alius Sacerdos possit aquam in Sacristia benedicere, aspersio tamen semper fieri debet a celebraturo Missam subsequentem, etiamsi sit Prælatus.

4. Celebrans ipse benedicens aquam ante Missam, debet esse indutus Amictu, Alba, Cingulo et Stola coloris Missæ convenientis, et in modum Crucis ante pectus aptata; si vero ab alio Benedictio fiat ante Missam aut alio tempore, benedicens induere debet superpelliceum et Stolam violaceam.

5. Quoties fit aquæ Benedictio, toties non est necessario sal exorcizandus; sed sal, in alia Benedictione jam exorcizatus, et in hunc finem servatus, adhiberi potest.

6. Ad commixtionem salis cum aqua tria Crucis signa formanda sunt, ad verba, ut in Missali notatur. Formantur autem hæ Cruces non manu extensa, sed pugillo tenente salem, qui ad singulam

Crucis lineam et continuo in aquam mittitur, quousque Crucis signa perdurant.

7. Sacerdoti, aquam benedicenti, a dextris adstat Thuriferarius, superpelliceo indutus, qui Sacerdoti respondeat. Interim candelæ Altaris accenduntur.

8. *Finita Benedictione*, ait Missale, *Sacerdos celebraturus*, *indutus Pluviali coloris Officio*, seu Missæ, si forte ab Officio discordet, *convenientis*, *accedit ad Altare*. Facta itaque de more in Sacristia ab omnibus consueta reverentia Cruci, procedunt hoc ordine: pracedit Thuriferarius, vas aquæ benedictæ sinistra, aspersorium vero dextra portans; dehinc duo Ceroferarii cum candelabris accensis; post quos sequitur Celebrans medius inter Diaconum et Subdiaconum, indutos ut in Missa, excepto Manipulo. Hi tres incedunt capite cooperto.

9. Sacerdos cum ad Altare pervenerit, dispositis amictibus, et facta ab omnibus debita Altari reverentia, ut ante Missam, *ibi ad gradus*, id est, in infimo gradu Altaris, *cum Ministris genuflexus*, etiam tempore Paschali, *accipit a Diacono aspersorium* madefactum, qui illud a Thuriferario acceptum cum solitis osculis porrigit Celebranti. Mox Celebrans *primo ter aspergit Altare*, in medio scilicet, deinde versus cornu Evangelii, tum Epistolæ; quæ aspersio Altaris omittitur exposito SS. Sacramento, uti et omittuntur oscula a Diacono. *Deinde* Celebrans, admovendo fronti suæ verticem aspersorii, *se* ipsum aspergit adhuc genuflexus; *et* mox *erectus* aspergit *Ministros*, Diaconum et Subdiaconum adhuc genuflexos, *incipiens*, dum Altaris gradus aspergit, *Antiphonam* ASPERGES ME. *Et Chorus prosequitur* DOMINE HYSSOPO etc. Postea Celebrans aspersorium reddit Diacono, et hic Thuriferario, qui interim a dextris Diaconi in plano genuflexus permansit. Ceroferarii vero, facta in accessu genuflexione, ut dictum est, candelabra super credentiam deponunt, et in loco consueto genuflectunt.

10. Aspersione facta Ministrorum sacrorum, omnes surgunt; et exhibita Altari reverentia, ut infra Missam in reditu a scamno, Ceroferariis manentibus erectis in locis suis, Celebrans ad Chorum progreditur per latus Epistolæ, medius inter Diaconum et Subdia-

utrimque, fimbrias Pluvialis elevantes. Præcedit Thuriferarius cum vase aquæ benedictæ et aspersorio, a dextris Diaconi, sed parum ante ipsum.

11. In medio Chori, consalutatis utrimque Religiosis, nisi SS. Sacramentum sit expositum, *Celebrans* rursus de manu Diaconi, ut supra, accipit aspersorium, et *aspergit Clerum* hoc modo: primo cum inclinatione ante et post, aspersorium offert tangendum. Ministro Generali, si adsit; secus Ministro Provinciali seu Custodi Regiminis; quo etiam absente, Superiori Conventus: tum aspergit partem Chori digniorem, non quidem singulos singulatim, sed plures simul. Idem præstabit in aspersione alterius partis Chori, facta in transitu ab omnibus Altari reverentia debita.

Quid agendum sit, quando aliquis S. R. E. Cardinalis, vel Episcopus diœcesanus adfuerit, vide Cær. Episcoporum Lib. 2. Cap. 31.

12. Choro asperso, repetitur inclinatio ut ab initio; *deinde* stans ad scamnum Communionis, in medio, vel, si SS. Sacramentum sit expositum, in parte Evangelii, Celebrans ter aspergit *populum*, scilicet in medio, ad propriam sinistram et ad dextram, nulla populo neque ante, neque post, facta reverentia.

13. Sub aspersione Celebrans solus totam Antiphonam recitat, etiamsi Officium non sit Duplex; deinde prosequitur, *dicens submissa voce* alternatim *cum Ministris Psalmum:* MISERERE MEI, cum GLORIA PATRI, in fine, exceptis Dominicis Passionis et Palmarum. Tempore Paschali dicitur Antiphona: VIDI AQUAM, et Psalmus: CONFITEMINI. Post Psalmum semper tota Antiphona repetitur.

14. Populo asperso, Celebrans cum Ministris per latus Evangelii reversus ad Altare, facit illi reverentiam ut n. 10. Deinde aspergit Ceroferarios et Thuriferarium, redditque aspersorium Diacono, et hic Thuriferario.

15. Antiphona integra a Choro repetita, Celebrans *stans ante gradus Altaris junctis manibus*, *dicat* cum cantu ℣. OSTENDE NOBIS etc. ut in Missali. Ministri sacri, stantes hinc inde, librum vel tabellam ante Celebrantem sustinent.


16. Dicta Oratione, et facta reverentia Altari, ad Sacristiam revertuntur, ubi Sacerdos, deposito Pluviali, et accepto Manipulo,

assumit Casulam pro Missa; Ministris etiam suos Manipulos assumentibus.

17. Ubi ex Cleri vel paramentorum defectu, loco Missæ solemnis celebratur Missa Conventualis seu principalis sine Diacono et Subdiacono, vel etiam sine cantu, ante ipsam nequaquam prætermittenda est aquæ benedictio et aspersio; in qua si Pluviale desit, Celebrans vestietur dumtaxat Amictu, Alba, Cingulo et Stola ante pectus in modum Crucis aptata, et Thuriferarius supplebit vicem Diaconi.

18. Notandum, quod post Missam, Vesperas, aut Laudes vespertinas numquam fieri potest Chori vel populi aspersio.

§ 3.



BENEDICTIO CINERUM.

1. Feria quarta Dominicæ Quinquagesimæ, *ante Missam benedicuntur cineres, facti de ramis* palmarum, *olivarum, sive aliarum arborum, præcedenti anno benedictis, hoc mode:*

2. *Finita Nona,* et sex cereis Altaris accensis, *Sacerdos, indutus* Amictu, Alba, Cingulo, Stola et *Pluviali violaceo, vel sine Casula, cum Ministris similiter,* id est, Amictu, Alba et Cingulo, et quoad Diaconum, etiam Stola violacea, *indutis,* e Sacristia more solito *procedit ad benedicendum cineres, in vase aliquo supra Altari positos,* in cornu Epistolæ, sic ut vas sit inter Missale et ipsum cornu. Cineres sint mundi, et aridi in modum pulveris, nullatenus vero in modum luti madefacti. Missale sit apertum.

3. Præcedit Thuriferarius cum thuribulo et navicula incensi; ipsum sequuntur Ceroferarii cum candelabris accensis, et tandem Celebrans, medius inter Diaconum et Subdiaconum.

4. Cum ad Altare pervenerint, dispositis Amictibus ac facta ab omnibus solita reverentia, Ceroferarii cum Thuriferario ad credentiam pergunt, ibique candelabris depositis, sistunt. Celebrans vero cum sacris Ministris ad Altare ascendit, illudque in medio osculatur, Ministris genuflectentibus. Dein ad cornu Epistolæ se recipit,

ubi stat manibus junctis, medius inter sacros Ministros; *et tunc primo cantatur a Choro Antiphona:* EXAUDI NOS DOMINE, quam Celebrans stans, uti dictum est, submissa voce, et absque signo Crucis legit.

5. *Deinde Sacerdos in cornu Epistolæ* perstans, et *non vertens se ad populum, manibus junctis,* (*quod servatur etiam in Orationibus omnium Benedictionum, quoad manus junctas*) *dicit* cantando in tono feriali DOMINUS VOBISCUM; et Chorus, stans per totam cinerum Benedictionem, quando ex libro cantare non debet, facie ad Altare conversus, respondet Celebranti, cum opus fuerit.

6. Ad OREMUS et nomen JESU Celebrans caput Cruci inclinat, non disjungens manus; et quando benedicit cineres, sinistram super Altare ponit, Diacono Pluvialis fimbriam elevante.

7. Dum dicitur quarta Oratio, accedunt Thuriferarius cum thuribulo, primus Ceroferarius cum navicula, et secundus cum vase aquæ benedictæ et aspersorio.

8. Completis Orationibus, Celebrans de more imponit et benedicit incensum, Diacono naviculam ministrante cum solitis osculis; et Subdiacono dextram fimbriam Pluvialis elevante.

9. *Postea Celebrans, imposito* et benedicto *incenso in thuribulo,* accipit a Diacono aspersorium madefactum, et *ter aspergit cineres aqua benedicta,* in medio scilicet, a dextris et a sinistris eorum, *dicendo Antiphonam:* ASPERGES ME, *sine cantu et sine Psalmo.* Tum reddito aspersorio Diacono, *et* ab eodem accepto thuribulo, cineres eodem modo *ter adolet incenso*, nihil dicens. Diaconus præbens et reaccipiens aspersorium et thuribulum, solita oscula non omittat. Thuriferarius et Ceroferarii, aspersis et thurificatis cineribus, thuribulum, naviculam et vas aquæ benedictæ cum aspersorio suis in locis reponunt.

10. Finita Benedictione, Sacerdos cum Ministris redit ad medium Altaris, ibique facta debita reverentia, se vertit ad populum et stat manibus junctis, medius inter Diaconum a dextris, vas cinerum sustinentem, et Subdiaconum a sinistris, fimbriam Pluvialis elevantem.

11. *Deinde dignior Sacerdos ex Clero accedens ad Altare*, in

habitu suo ordinario et sine Stola, unum genu flectit in plano, et facta reverentia Celebranti, ad secundum gradum ascendit. Illic stans, pollice et indice dextro ex vase sumptum *imponit cinerem Celebranti non genuflexo*, sed caput parum inclinanti; spargit autem cinerem in modum Crucis super caput Celebrantis, interim dicens MEMENTO HOMO etc.

12. *Si vero non adsit alius Sacerdos, ipsemet Celebrans*, et nullo modo Diaconus Missæ, licet sit Sacerdos, in suppedaneo *genibus flexis coram Altari*, versa ad illud facie, *sibi ipsi cineres imponit in capite, nihil dicens.*

13. *Et cantatur statim a Choro Antiphona:* IMMUTEMUR etc. *Sacerdos vero, dum cantantur Antiphonæ et Responsorium, detecto capite, primo imponit cineres digniori Sacerdoti* genuflexo in ora suppedanei, *a quo ipse accepit;* quo facto, dignior ille Sacerdos, vertens se per suam dextram, descendit in planum, et repetita genuflexione et reverentia, redit ad Chorum.

14. At si dignior ille Sacerdos fuerit Minister Generalis, Provincialis aut Custos Regiminis, Altari profunde se dumtaxat inclinat, (nisi in Tabernaculo SS. Sacramentum custodiatur) et stans cineres flexione accipit.

15. *Deinde* Celebrans cineres imponit *Ministris paratis, genuflexis coram Altari, dicens:* MEMENTO etc. Diaconus itaque accepturus cineres, vas tradit Thuriferario, et simul cum Subdiacono et a dextris illius, in ora suppedanei genuflectit. Cineribus acceptis, Diaconus vas resumit, et statim redit ad dextram, Subdiaconus vero ad sinistram Celebrantis. Tum accedit Thuriferarius, medius inter Ceroferarios, cum debitis genuflexionibus et reverentiis, et deinde omnes tres ad credentiam redeunt.

16. *Postea veniunt alii*, bini et bini, ante et post, Altari per genu unius flexionem in plano, et Celebranti per capitis inclinationem reverentiam exhibentes, ita ut duo præcedentes, acceptis cineribus, faciem ad invicem vertentes, oblique, unus scilicet versus cornu Epistolæ et alter versus cornu Evangelii descendant, et simul cum duobus sequentibus et ad latera eorumdem genuflectant. *Primo* accedit *Clerus per ordinem, deinde populus, et genibus flexis ante*

Altare singulatim accipiunt cineres a Sacerdote, ut dictum est de Ministris.

17. *Completa cinerum impositione*, Diaconus tradit vas secundo Ceroferario, qui illud super credentiam deponit; Sacerdos vero cum Ministris reversus ad cornu Epistolæ ibidem manus prius mica panis abstersas lavat aqua, primo Ceroferario aquam fundente, altero vero linteum præbente. Deinde Sacerdos stans ut dictum est n. 4. et 5. *dicit* DOMINUS VOBISCUM, Oremus et Orationem eodem modo ut supra.

18. Postea ad Sacristiam revertuntur, ubi Sacerdos accipit Manipulum et Planetam, Ministri sacri vero Manipulos tantum assumunt. *Deinde dicitur Missa*, quæ semper ab eodem Sacerdote, qui cineres benedicit, est celebranda, quod etiam in Festo Purificationis B. M. V. et in Dominica Palmarum observetur.

§ 4.

BENEDICTIO INDUMENTORUM SACERDOTALIUM ETC.

Prænotanda.

1. Ex præcepto benedici debent Corporale, Palla, mappæ Altaris, Amictus, Alba, Manipulus, Stola et Casula.

2. Quoad Cingulum, Pluviale, Dalmatica, Tunicella, superpelliçeum et rochettum, non est una omnium sententia. Convenit tamen, ut etiam prædictæ vestes benedicantur, adhibita Benedictione prima infra posita, absque ulla mutatione.

3. Purificatorium, velum Calicis, velum humerale, bursa et antipendium non sunt benedicenda seorsim: sed decet ut benedicantur, conjunctim cum aliis: purificatorium scilicet et antipendium una cum mappis Altaris; velum Calicis vero, velum humerale et bursa una cum aliis paramentis sacerdotalibus.

4. Pyxis, vasculum, de quo cap. VI. § 1. n. 12. Ostensorium ejusque lunula benedicantur adhibita Benedictione quarta infra posita.

I. BENEDICTIO SACERDOTALIUM INDUMENTORUM IN GENERE.

℣. *Adjutorium nostrum in nomine Domini.*
℟. *Qui fecit cælum et terram.*
℣. *Dominus vobiscum.*
℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS.

Omnipotens sempiterne Deus, qui per Moysen famulum tuum Pontificalia et Sacerdotalia seu Levitica vestimenta, ad explendum in conspectu tuo ministerium eorum, ad honorem et decorem nominis tui fieri decrevisti: adesto propitius invocationibus nostris, et hæc indumenta Sacerdotalia, desuper irrigante gratia tua, ingenti benedictione per nostræ humilitatis servitium puri ✝ ficare, bene ✝ dicere, et conse ✝ crare digneris: ut divinis cultibus et sacris mysteriis apta et benedicta existant: his quoque sacris vestibus Pontifices, et Sacerdotes, seu Levitæ tui induti, ab omnibus impulsionibus, seu tentationibus malignorum spirituum muniti et defensi esse mereantur: tuisque mysteriis apte et condigne servire, et inhærere, atque in his tibi placite et devote perseverare tribue. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

OREMUS.

Deus, invictæ virtutis triumphator, et omnium rerum creator ac sanctificator: intende propitius preces nostras; et hæc indumenta Leviticæ, Sacerdotalis et Pontificalis gloriæ, Ministris fruenda, tuo ore proprio bene ✝ dicere, sancti ✝ ficare, et conse ✝ crare digneris: omnesque eis utentes, tuis mysteriis aptos, et tibi in eis devote ac laudabiliter servientes, gratos efficere digneris. Per Dominum nostrum Jesum Christum, Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

OREMUS.

Domine, Deus omnipotens, qui vestimenta Pontificibus, Sacerdotibus, et Levitis in usum tabernaculi fœderis necessaria, Moysen famulum tuum agere jussisti, eumque spiritu sapientiæ ad id peragendum replevisti: hæc vestimenta in usum et cultum mysterii tui bene ✝ dicere, sancti ✝ ficare, et conse ✝ crare digneris: atque Ministros Altaris tui, qui ea induerint, septiformis Spiritus gratia dignanter repleri, atque castitatis stola, beata facias cum bonorum fructu operum ministerii congruentis immortalitate vestiri. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

Deinde aspergat ipsa indumenta aqua benedicta.

II. BENEDICTIO MAPPARUM SIVE LINTEAMINUM ALTARIS.

℣. *Adjutorium nostrum in nomine Domini.*
℟. *Qui fecit cœlum et terram.*
℣. *Dominus vobiscum.*
℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS.

Exaudi, Domine, preces nostras; et hæc linteamina, sacri Altaris usui præparata, bene ✝ dicere, et sancti ✝ ficare digneris. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

OREMUS.

Domine, Deus omnipotens, qui Moysen famulum tuum ornamenta et linteamina facere per quadraginta dies docuisti, quæ etiam Maria texuit, et fecit in usum ministerii et tabernaculi fœderis: bene ✝ dicere, sancti ✝ ficare, et conse ✝ crare digneris hæc linteamina, ad tegendum involvendumque Altare gloriosissimi Filii tui, Domini nostri Jesu Christi: Qui tecum vivit et regnat

in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

Deinde aspergat ea aqua benedicta.

III. BENEDICTIO CORPORALIUM ET PALLARUM.

℣. *Adjutorium nostrum in nomine Domini.*
℟. *Qui fecit cælum et terram.*
℣. *Dominus vobiscum.*
℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS.

Clementissime Deus, cujus inenarrabilis est virtus, cujus mysteria arcanis mirabilibus celebrantur: tribue, quæsumus, ut hoc linteamen tuæ propitiationis bene ✝ dictione sanctificetur, ad consecrandum super illud Corpus et Sanguinem Dei et Domini nostri Jesu Christi Filii tui: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

OREMUS.

Omnipotens, sempiterne Deus, bene ✝ dicere, sancti ✝ ficare, et conse ✝ crare digneris linteamen istud, ad tegendum, involvendumque Corpus et Sanguinem Domini nostri Jesu Christi Filii tui: qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

OREMUS.

Omnipotens Deus, manibus nostris opem tuæ benedictionis infunde: ut per nostram bene ✝ dictionem hoc linteamen sanctificetur, et Corporis ac Sanguinis Redemptoris nostri novum sudarium Spiritus Sancti gratia efficiatur. Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate

ejusdem Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

Et aspergat aqua benedicta.

IV. BENEDICTIO TABERNACULI SEU VASCULI PRO SACROSANCTA EUCHARISTIA CONSERVANDA.

℣. *Adjutorium nostrum in nomine Domini.*
℟. *Qui fecit cælum et terram.*
℣. *Dominus vobiscum.*
℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS:

Omnipotens, sempiterne Deus, majestatem tuam supplices deprecamur; ut vasculum hoc pro Corpore Filii tui Domini nostri Jesu Christi in eo condendo fabricatum, bene ✝ dictionis tuæ gratia dicare digneris. Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

Deinde aspergat illud aqua benedicta.

V. BENEDICTIO NOVÆ CRUCIS, ET IMAGINUM JESU CHRISTI DOMINI NOSTRI, B. MARIÆ VIRGINIS, ET ALIORUM SANCTORUM.

Quoad has Benedictiones notandum est:

a) Cruces Altarium, et Processionum non sunt benedicendæ de præcepto; et tam istæ, si benedicantur, quam aliæ Cruces et Imagines benedici possunt a simplici Sacerdote, sed private dumtaxat, et non solemniter. Benedictio autem solemnis ea censetur, quæ fit cum concursu populi, assistentibus Ministris, etc. prout benedici solent Cruces Cœmeteriorum, aliæque Cruces et Imagines, publice exponendæ.

b) *Benedictio novæ Crucis* adhibenda est in Benedictione solius Crucis, cui Imago Crucifixi non est adjuncta; si vero Cruci Imago

Crucifixi adjuncta sit, adhibenda est Benedictio altera pro *Imaginibus*.

BENEDICTIO NOVÆ CRUCIS.

℣. *Adjutorium nostrum in nomine Domini.*
℟. *Qui fecit cælum et terram.*
℣. *Domine, exaudi orationem meam.*
℟. *Et clamor meus ad te veniat.*
℣. *Dominus vobiscum.*
℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS.

Rogamus te, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus; ut digneris bene ✝ dicere hoc signum Crucis tuæ, ut sit remedium salutare generi humano; sit soliditas Fidei, profectus bonorum operum, redemptio animarum; sit solamen, et protectio, ac tutela contra sæva jacula inimicorum. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

Bene ✝ dic, Domine Jesu Christe, hanc Crucem tuam, per quam eripuisti mundum a potestate dæmonum, et superasti Passione tua suggestorem peccati, qui gaudebat in prævaricatione primi hominis per ligni vetiti sumptionem. (Hic aspergat aqua benedicta) *Sanctificetur hoc signum Crucis in nomine Patris ✝, et Filii ✝, et Spiritus ✝ Sancti: ut orantes, inclinantesque se propter Dominum ante istam Crucem, inveniant corporis et animæ salutem. Per Christum Dominum nostrum.* ℟. *Amen.*

Postea Sacerdos genuflexus ante Crucem devote adorat, et osculatur; et idem faciunt quicumque voluerint.

BENEDICTIO IMAGINUM JESU CHRISTI DOMINI NOSTRI, B. MARIÆ VIRGINIS, ET ALIORUM SANCTORUM.

℣. *Adjutorium nostrum in nomine Domini.*
℟. *Qui fecit cœlum et terram.*

℣. *Dominus vobiscum.*
℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS.

Omnipotens, sempiterne Deus, qui Sanctorum tuorum Imagines (sive *Effigies*) *sculpi, aut pingi non reprobas, ut quoties illas oculis corporis intuemur, toties eorum actus et sanctitatem ad imitandum memoriæ oculis meditemur: hanc, quæsumus, Imaginem* (seu *sculpturam*) *in honorem et memoriam unigeniti Filii tui Domini nostri Jesu Christi* (vel *beatissimæ Virginis Mariæ, Matris Domini nostri Jesu Christi*, vel *beati N. Apostoli tui*, vel *Martyris*, vel *Confessoris*, aut *Pontificis*, aut *Virginis*) *adaptatam, bene ✝ dicere, et sancti ✝ ficare digneris: et præsta, ut quicumque coram illa unigenitum Filium tuum* (vel *beatissimam Virginem*, vel *gloriosum Apostolum*, sive *Martyrem*, sive *Confessorem*, aut *Virginem*) *suppliciter colere et honorare studuerit, illius meritis et obtentu a te gratiam in præsenti, et æternam gloriam obtineat in futurum. Per* (*eumdem*) *Christum Dominum nostrum.* ℟. *Amen.*

Ultimo aspergat aqua benedicta.

VI. BENEDICTIO AD OMNIA.
(Approbata a S. R. C.)

Hæc Benedictionis formula adhiberi potest a quovis Sacerdote pro omnibus rebus, de quibus specialis Benedictio non habetur in Rituali Romano.

℣. *Adjutorium nostrum in nomine Domini.*
℟. *Qui fecit cœlum et terram.*
℣. *Dominus vobiscum.*
℟. *Et cum Spiritu tuo.*

OREMUS.

Deus, cujus verbo sanctificantur omnia, Bene ✝ dictionem tuam

effunde super Creaturam istam; (vel *Creaturas istas*) *et præsta, ut quisquis ea*, (vel *eis*) *secundum legem et voluntatem tuam cum gratiarum actione usus fuerit, per invocationem sanctissimi Nominis tui, corporis sanitatem, et animæ tutelam, te auctore, percipiat. Per Christum Dominum nostrum.* ℟. *Amen.*

Deinde illam (vel illas) Sacerdos aspergit aqua benedicta.

CAPUT VIII.

DE PROCESSIONIBUS.

§ 1.

REGULÆ GENERALES.

1. Publicæ sacræque Processiones seu Supplicationes, quibus ex antiquissimo SS. Patrum instituto Catholica Ecclesia ob varios fines hactenus uti consuevit, omni, qua par est, religione ac devotione a Fratribus nostris celebrentur. In iisdem omnes incedant in habitu compositi, graviter, modeste et devote, ac ab invicem, tum quando standum est, tum quando incedendum, sic remoti, ut inter præcedentem et subsequentem duorum circiter passuum spatium relinquatur; atque combinati ita ab invicem distinguantur, ut quasi latera teneant platearum, nisi ob populi concursum aliter fieri oporteat.

2. Omnes suis sociis lateralibus ita attendant, ut debitus et uniformis incedentium ordo minime turbetur, sintque sacris precibus et functionibus sic intenti, ut remoto risu mutuoque alloquio, et vago oculorum aspectu, populus assistens ad pie devoteque precandum exemplo nostro invitetur.

3. In omni Processione adhibenda est Crux hastata, quæ Crux processionalis dixitur, cum imagine Crucifixi, quæ ita deferenda est, ut imago Crucifixi terga vertat Religiosis subsequentibus, quasi Christus præire videatur; ad differentiam Crucis Papalis vel Archie-

piscopalis, in qua imago Crucifixi respicit Papam vel Archiepiscopum, quasi ex illius aspectu in summa animarum cura ii recreentur. Infra Crucifixum dependeat parvum velum oblongum, exprimens imaginem alicujus Sancti, maxime Beatæ Virginis Mariæ, S. P. N. Francisci, aut Patroni vel Titularis Ecclesiæ, in qua facienda est Processio, ad differentiam Crucis Cleri sæcularis.

4. Crucifer sit superpelliceo indutus, et medius incedat inter duos Ceroferarios cum candelabris accensis. Quando Crux deferenda sit a Subdiacono parato, et ubi Thuriferarius incedere debeat, suis locis notatur.

5. Crucem processionalem immediate sequuntur Religiosi, et si candelam vel quid aliud præ manibus teneant, ii, qui a dextris incedunt, illam vel illud gestabunt manu dextra, qui vero a sinistris, sinistra portabunt; alteram manum pectori admovebunt. Si vero Fratres concomitentur Processionem, in quæ cæteri Clerici vel Laici alio modo candelam portant, iis se conforment.

6. Post Religiosos sequuntur Cantores, si superpelliceis sint induti; et omnium postremus incedit Sacerdos, Pluviali indutus, medius inter sacros Ministros. Si vero Subdiaconus Crucem processionalem portat, tunc Diaconus incedit a sinistris Celebrantis.

7. Capellanus seu Director Confraternitatum ordinat et dirigit Processionem, superpelliceo et, juxta consuetudinem, Stola indutus. Istæ Laicorum Confraternitates ante Religiosos incedere debent sub proprio suo vexillo.

8. In Processionibus, quæ in nostris Ecclesiis vel Claustris fiunt, Religiosi incedant, habitu religioso ordinario induti: nihil tamen obstat, quominus in Processionibus generalibus, in quibus SS. Sacramentum defertur, superpellicea induant, sicut Clerus sæcularis.

9. Si Processio intra Ecclesiæ parietes fiat, an inchoanda sit a latere Evangelii, vel e converso, aut alio modo, locorum consuetudini standum erit.

10. In Processionibus, quæ fiunt sine SS. Sacramento, transeuntes ante Altare, in quo asservatur, aut ministratur SS. Eucharistia, vel solemniter Reliquia aliqua insignis est exposita, ei debitam exhibent reverentiam, excepto Crucifero et Ceroferariis, nec non illis,

qui Reliquiam aut Statuam gestant. Transeuntes autem ante Altare, in quo elevatur SS. Sacramentum, genuflectunt, si a Ministro campanula incaute pulsetur; (vide cap. II. § 7, n. 21.) sed tantummodo sub Elevatione genuflectunt; unde, deposita S. Hostia, surgunt, et iter prosequuntur; similiter et alii subsequentes genuflectunt sub Elevatione Calicis. Ast quando SS. Sacramentum in Processione defertur, quæcumque omittitur genuflexio et inclinatio; in occursu tamen ac in transitu ante idem SS. Sacramentum, quod circumfertur, genuflectitur, si illud videatur.

11. In Processione pro gratiarum actione, quando cantatur Hymnu TE DEUM LAUDAMUS, omnes Versus et Orationes, quæ habentur in Rituali Romano, post Processionem pro gratiarum actione, subjungi debent. Si vero Hymnus TE DEUM LAUDAMUS cantetur absque Processione, sufficiunt Versus: BENEDICAMUS PATREM — BENEDICTUS ES — DOMINE, EXAUDI — DOMINUS VOBISCUM, cum unica Oratione: DEUS, CUJUS MISERICORDIÆ etc.

12. Quoad Processiones cum SS. Sacramento, speciatim notandum:

a) Præter Ceroferarios et unum saltem, Thuriferarium, et in solemnioribus Processionibus duos Thuriferarios, superpelliceis indutos, duo adsint Cantores, et in præcipuis Solemnitatibus etiam duo Versicularii item superpelliceis vel etiam Pluvialibus induti.

b) Ad minus duo Sacerdotes vel Clerici, si commode fieri potest, superpelliceis induti, cum intorticiis, proxime incedant ante SS. Sacramentum.

c) Quando SS. Sacramentum extra Ecclesiam circumfertur, quatuor saltem laternæ cum hastis, et intus candelis accensis: hinc inde circa Celebrantem, qui Sacramentum gestat, deferantur.

d) SS. Sacramentum semper sub baldachino vel umbella albi coloris est deferendum, non tantum extra, sed etiam intra Ecclesiam.

e) Duo Thuriferarii, si adsint, hinc inde immediate ante baldachinum incedunt, facie ad ipsum Sacramentum lateraliter conversa, et continue Sacramentum incensant.

13. Cum a Processionibus, quas comitari debemus, domum revertitur Communitas, et jam est ingressa Ecclesiam, cantatur Anti-

phona: DA PACEM, DOMINE, vel alia tempori conveniens, eundo ad chorum; si nondum sit finita, quando Chorum sunt ingressi, illam genuflexi perficient.

§ 2.

DE BENEDICTIONE CANDELARUM, ET DE PROCESSIONE IN FESTO PURIFICATIONIS B. M. V.

1. Hac die paranda est per Sacristam candelarum ex cera alba ea copia, quæ sufficiens videbitur numero Fratrum ad Processionem comparentium. Omnes candelæ collocantur super aliquam mensam, mantili albo coopertam, et in plano ad cornu Epistolæ positam.

2. Altare habeat duo pallia, violaceum nempe, facile amovibile, et superimpositum alteri albo, si Missa erit de ipso Festo. Super Altare in cornu Epistolæ erit Missale apertum.

3. *Si hoc Festum* Purificationis B. M. V. *venerit in Dominicis Septuagesimæ, Sexagesimæ, vel Quinquagesimæ, fit tantum Benedictio et distributio candelarum, et Processio*, quæ numquam transferuntur; *et Missa dicitur de Dominica*, sub qua tunc non tenentur candelæ accensæ, nec ad Evangelium, nec ad Elevationem.

4. Si Festum Purificationis inciderit in Dominicam quamcumque, ante Benedictionem candelarum fit aspersio aquæ benedictæ more solito, sed in paramentis violaceis. Cfr. cap. *De Benedictionibus*. § 2. n. 4.

5. *Finita Tertia*, et accensis sex cereis in Altari, *Sacerdos indutus Pluviali violaceo, vel sine Casula, cum Ministris similiter indutis*, ut l. c. § 3. n. 2. dictum est, *procedit, ad benedicendum candelas, in medio ante Altare, vel*, ut dictum est, *ad cornu Epistolæ positas.* Lege l. c. n. 3. et 4.

6. *Et ipse ibidem stans versus ad Altare*, ut l. c. n. 5. *dicit, manibus junctis, in tono Orationis Missæ ferialis:* DOMINUS VOBISCUM, cum quinque Orationibus, prout in Missali; sub quibus ipse ac Ministri se gerunt uti sub Benedictione cinerum. Sacerdos vero candelas benedicens, sinistram pectori admovet.

7. Cum Sacerdos incipit quintam Orationem, accedunt Thuriferarius et Ceroferarii, ut l. c. n. 7.

8. *Finitis Orationibus, Celebrans ponit incensum in thuribulum; deinde ter aspergit candelas aqua benedicta, dicendo Antiphonam:* ASPERGES ME etc. *sine cantu et sine Psalmo, et ter adolet incenso.* ut l. c. n. 8. et 9.

9. Post hæc se gerunt, ut ibid. n. 10. sed Subdiaconus stat ad dextram Celebrantis, et jugiter fimbriam Pluvialis elevabit; Diaconus vero stat ad sinistram, et candelas accensas et a primo Ceroferario acceptas, singulas cum ipsarum osculo tantum, Celebranti porrigit distribuendas.

10. *Tum dignior* Sacerdos *ex Clero accedit ad Altare*, ut ibid. n. 11. et stans in secundo gradu accipit e manu Diaconi unam candelam benedictam accensam, quam dumtaxat osculatus porrigit Celebranti; *et ab eo Celebrans accipit candelam, non genuflectens, nec osculans manum illius*, sed candelam tantum, quam statim dat Diacono, qui illam tradit Ceroferario servandum.

11. *Postea Celebrans stans*, ut prius, *in medio ante Altare, versus ad populum, distribuit candelas*, ministerio Diaconi et Ceroferariorum, de mensa acceptas, et *primum* quidem *digniori, a quo ipse acceperat*, qui utrumque genu flectit in ora suppedanei, et prius candelam, deinde manum Celebrantis osculatur.

12. *Deinde* Celebrans candelas distribuit *Diacono et Subdiacono paratis*, qui ideo simul genu utrumque flectunt in ora suppedanei, et candelas suas accipiunt ut n. 11. Tum surgentes pristinum petunt locum, candelas suas alicui Acolytho tradunt, et Celebranti inserviunt ut prius.

Et post Ministros sacros Celebrans distribuit candelas *aliis Clericis singulatim per ordinem; et ultimo Laicis, omnibus genuflectentibus, candelam et manum Celebrantis osculantibus*, ut dictum est, *exceptis Prælatis, si adsint*, qui non genuflexi, sed stantes candelam accipiunt, et dumtaxat candelam, non vero manum Celebrantis osculantur. Vide etiam cap. præc. VII. § 3. n. 14.

14. Quod si inter Clerum, in Choro præsentem, non adsit, qui in Presbyterali Ordine sit constitutus, Diaconus, incensatis candelis,

unam pro Celebrante, sibi a Ceroferario traditam, non vero accensam, super medium Altaris collocat; et Celebrans accedens ad medium, genuflectit utroque genu in suppedaneo, hinc inde adstantibus Ministris sacris; et sic genuflexus accipit pro se ipso ex Altari candelam, quam osculatur et statim Diacono tradit.

15. *Et cum* Celebrans *inceperit distribuere* candelas, *a Choro cantatur Antiphona:* LUMEN AD REVELATIONEM etc. Deinde primus Cantor cantat primum et subsequentes Versus Cantici: NUNC DIMITTIS, Choro post singulos Versus repetente LUMEN AD REVELATIONEM etc. Si plures fuerint pro accipiendis candelis, Versus Cantici cum Antiphona repeti possunt, si excipias GLORIA PATRI etc. qui Versus semel dumtaxat dicitur ad finem Cantici et distributionis.

16. *His expletis*, finita nempe distributione, Celebrans in cornu Epistolæ lavat manus, primo Ceroferario aquam, altero manutergium ministrantibus, et interim *cantatur Antiphona:* EXURGE DOMINE, etc.

17. *Deinde Sacerdos*, stans versus Altare, medius inter Diaconum et Subdiaconum, *dicit* cum cantu OREMUS; *et, si fuerit post Septuagesimam, et non in die Dominica, Diaconus*, in loco suo genuflectens, *dicit* cantando FLECTAMUS GENUA, et omnes præter Celebrantem genuflectunt; Subdiaconus vero dicit: LEVATE, et omnes surgunt. Tum Celebrans cantat Orationem EXAUDI etc. ut in Missali.

18. *Deinde fit Processio* per Claustrum, vel intra Ecclesiam, prout fert consuetudo, et loci situs permittit, *Et primo Celebrans*, cum Ministris ad medium Altaris regressus, *ponit incensum in thuribulum*, illudque more solito benedicit.

19. Tum Subdiaconus, facta Altari genuflexione, per viam breviorem descendit ad latus Epistolæ, et ibidem sumpta Cruce processionali, præeunte Thuriferario cum thuribulo, ad medium Presbyterii se confert, medius inter Ceroferarios, candelabra cum candelis noviter benedictis et accensis, deferentes. Ibi sine ulla reverentia Altari exhibenda vel a se vel a Ceroferariis, sistit se contra Altare, medius inter Ceroferarios, Thuriferarius vero post eum.

20. Diaconus vero, reddita navicula incensi Ceroferario, candelam,

ab altero Ceroferario acceptam, Celebranti solitis cum osculis tradit; et *postea*, sua quoque recepta candela, idem Diaconus stans adhuc in suppedaneo, sed *vertens se ad populum dicit:* PROCEDAMUS IN PACE, *et Chorus respondet:* IN NOMINE CHRISTI. AMEN.

21. Quo responso, Celebrans cum Diacono ante infimum gradum Altaris descendit, ubi facta reverentia ut in reditu a scamno, caput tegit, et convertit se ad Processionem, sequenti ordine incedentem.

22. *Præcedit Thuriferarius cum thuribulo fumigante; deinde Subdiaconus paratus deferens Crucem, medius inter duos Acolythos cum candelabris accensis; sequitur Clerus per ordinem, ultimo Celebrans cum Diacono a sinistris; omnes cum candelis accensis in manibus* ut § 1. n. 5.

23. Tempore Processionis *cantantur Antiphonæ:* ADORNA THALAMUM, et RESPONSUM ACCEPIT etc. *Et ingrediendo Ecclesiam*, vel Chorum seu Presbyterium, si Processio intra Ecclesiam peracta sit, *cantatur*, primo Cantore intonante, ℞. OBTULERUNT, etsi præcedens Antiphona nondum fuerit completa.

24. *Finita Processione*, Religiosi, Chorum ingressi, per genu unius flexionem Altari reverentiam exhibent, et loca sua adeunt. Absoluto totaliter Responsorio candelas suas extinguunt, quæ conservantur accendendæ ut infra n. 26.

25. Thuriferarius, facta genuflexione in medio Presbyterii, ibi sistit; Ceroferarii vero sine genuflexione se collocant ante eum. Subdiaconus collocata Cruce in loco congruo, vadit ante infimum gradum a cornu Evangelii. Celebrans et Diaconus procedunt usque ad Altare, et facta Altari, capite detecto, debita reverentia, stant ibidem usque ad finem Responsorii.

26. Quo finito, *Celebrans et Ministri*, iterata reverentia, ad Sacristiam redeunt, ubi *depositis violaceis, accipiunt paramenta alba pro Missa*, si nimirum Missa fiat de B. M. V. in qua a Celebrante et ab iis qui sunt in Choro *candelæ tenentur in manibus accensæ, dum legitur*, id est, cantatur a Diacono *Evangelium; et iterum* ab iis qui sunt in Choro *ad elevationem Sacramenti, usque ad Communionem finitam.*

§ 3.

DE BENEDICTIONE PALMARUM, ET DE PROCESSIONE.

1. *Completa Tertia, et facta aspersione aquæ more solito, Sacerdos indutus Pluviali violaceo, vel sine Casula, cum Ministris similiter indutis, procedit ad benedicendum ramos palmarum et olivarum, sive aliarum arborum, in medio ante Altare, vel ad cornu Epistolæ positos*, super mensam, uti dictum est § præc. n. 1.

2. Celebrans itaque more solito indutus, procedit cum Ministris ad Altare, aquæ benedictæ aspersionem facturus. Hac functione finita, Diaconus et Subdiaconus Manipulos assumunt, a primo Ceroferario traditos.

3. Deinde Sacerdos cum sacris Ministris ad Altare ascendit, illudque in medio osculatus, Ministris genuflectentibus, ad cornu Epistolæ se recipit. *Et* tunc *primo cantatur a Choro Antiphona:* HOSANNA, quam Celebrans, stans manibus junctis, medius inter sacros Ministros, legit submissa voce et absque signo Crucis. Ministri inferiores stant ad credentiam.

4. *Deinde*, cantata a Choro Antiphona, *Sacerdos stans in* eodem *cornu Epistolæ*, ut n. 3., *non vertens se ad populum, dicit in tono Orationis Missæ ferialis* DOMINUS VOBISCUM, et Orationem.

5. *Postea Subdiaconus*, qui in initio Orationis descendit in planum retro post Celebrantem, *in loco* et more *consueto* accipit librum, et facta, ut in Missa solemni, Altari reverentia, *cantat sequentem Lectionem in tono Epistolæ:* IN DIEBUS ILLIS etc. *et in fine*, iterata Altari reverentia, *osculatur manum Celebrantis* et ab eo benedicitur, ut in Missa solemni. Celebrans Lectionem legere potest, si velit. Idem dicendum de Responsorio et Evangelio.

6. Subdiaconus, tradito libro Ceroferario, redit ad sinistram Celebrantis, qui, si velit, in eodem cornu Epistolæ legit Evangelium, præmittens ibidem, profunde inclinatus, MUNDA COR MEUM.

7. *Interim*, *dum* a Choro *cantatur Responsorium*: COLLEGERUNT, vel alterum: IN MONTE OLIVETI, *Diaconus* more solito *ponit librum*

Evangeliorum super Altare, et facta Altari reverentia, per viam breviorem redit ad dextram Celebrantis. *Et Sacerdos*, stans in eodem cornu Epistolæ, *ministrante Diacono naviculam* cum solitis osculis, *ponit incensum in thuribulo* et benedicit, ut ad Evangelium Missæ. Subdiaconus interim Pluvialis fimbriam elevat.

8. *Deinde* Subdiaconus, facta genuflexione, descendit in planum, tantillum ad cornu Evangelii, *Diaconus* vero per viam breviorem redit ad medium Altaris, et in ora suppedanei genuflexus, *dicit* MUNDA COR MEUM. Quo dicto, surgit, *accipit librum de Altari*, et iterum in ora suppedanei genuflexus, *petit Benedictionem a Sacerdote*, stante in cornu Epistolæ. Benedictione accepta, manum Celebrantis osculatur, et more solito procedit ad cantandum Evangelium.

9. *Postea*, *Subdiacono librum tenente*, *medius inter duos Acolythos tenentes candelabra accensa*, Diaconus *signat librum*, *incensat*, *et cantat Evangelium*, *more consueto*, Sacerdote ad ipsum converso, ut in Missa. *Quo finito*, *Subdiaconus defert librum osculandum Sacerdoti*, *qui et incensatur a Diacono*. Deinde Diaconus ad dextram, Subdiaconus ad sinistram Celebrantis redeunt.

10. *Post hæc benedicuntur rami*. Ac primo *Sacerdos stans* versus Altare, *in eodem cornu Epistolæ*, *dicit in tono Orationis ferialis* DOMINUS VOBISCUM; OREMUS, etc. Oratione finita, manibus jugiter junctis, et Ministris hinc inde assistentibus, cantat Præfationem, in cujus fine cum Ministris mediocriter inclinatus, dicit SANCTUS ut in Missa. Vide § præc. 2. n. 6.

11. Cantato a Choro SANCTUS etc. Sacerdos manibus junctis cantat in tono feriali DOMINUS VOBISCUM et quinque subsequentes Orationes, in quibus nihil est immutandum, etiamsi non palmarum vel olivarum sint rami, sed aliarum arborum, v. g. buxi, qui his in locis communiter adhibentur.

12. His Orationibus absolutis, *Celebrans ponit incensum in thuribulum*, *deinde ter aspergit ramos aqua benedicta*, *dicendo Antiphonam:* ASPERGES ME *sine cantu et sine Psalmo*, *et ter adolet incenso*. Lege § *De Benedictione cinerum* n. 7. 8. et 9.

13. *Postea* Sacerdos, semper manibus junctis et in tono feriali

dicit DOMINUS VOBISCUM cum Oratione. *Completa Benedictione* se gerunt ut § præc. 2. n. 9. et *dignior ex Clero accedit ad Altare, et dat ramum benedictum Celebranti, qui non genuflectit, nec osculatur manum dantis*, sed tantum ramum. *Postea Celebrans stans ante Altare versus ad populum, distribuit ramos, primum digniori, a quo ipse accepit, deinde Diacono, et Subdiacono paratis, et aliis Clericis singulatim per ordinem, ultimo Laicis: omnibus genuflectentibus et ramum ac manum Celebrantis osculantibus, exceptis Prælatis, si adsint.* Hæc omnia fiunt, ut dictum est § præc. 2. n. 10. 11. 12. 13. et 14.

14. *Et cum* Celebrans *inceperit distribuere, a Choro cantantur sequentes Antiphonæ:* PUERI HEBRÆORUM PORTANTES etc. et PUERI HEBRÆORUM VESTIMENTA etc. *quæ si non sufficiant, repetantur, quousque ramorum distributio finiatur.*

15. *Deinde*, lotis manibus ut l. c. n. 16. *Sacerdos* eodem modo et tono ut supra *dicit* DOMINUS VOBISCUM, OREMUS etc. Interim primus Ceroferarius apponit, et vitta violacea firmat unam ex palmis in summitate Crucis processionalis.

16. *Postea fit Processio. Et primo Celebrans imponit incensum in thuribulum*, illudque benedicit ut l. c. n. 18. Deinde Subdiaconus descendit ut ibid. n. 19. Manipulum deponit, et, accepta Cruce, ipse et Ministri inferiores se gerunt ut ibidem. *Et Diaconus*, deposito Manipulo, respective observat dicta ibid. n. 20. et *vertens se ad populum dicit.* PROCEDAMUS IN PACE, *Et Chorus respondet* IN NOMINE CHRISTI. AMEN. Deinde observantur dicta ibid. n. 21.

17. In Processione *præcedit Thuriferarius cum thuribulo fumigante, deinde Subdiaconus paratus, deferens Crucem, medius inter duos Acolythos cum candelabris accensis; sequitur Clerus per ordinem, ultimo Celebrans cum Diacono a sinistris; omnes cum ramis in manibus. Et cantantur sequentes Antiphonæ, vel omnes, vel aliquæ quousque durat Processio*, nempe: CUM APPROPINQUARET etc.

18. *In reversione Processionis, duo vel quatuor Cantores*, in tabula scripti, in habitu suo ordinario præcedunt Processionem, et

intrant in Ecclesiam, et clauso ostio, stantes versa facie ad Processionem, incipiunt Versum: GLORIA, LAUS, *et decantant duos primos Versus. Sacerdos vero cum aliis extra Ecclesiam repetit eosdem. Deinde, qui sunt intus, cantant alios Versus sequentes vel omnes vel partem, prout videbitur* Celebranti; *et qui sunt extra, ad quoslibet duos Versus respondent* GLORIA, LAUS, *sicut a principio.*

19. Interea temporis Chorus stat extra Ecclesiam, in duas lineas divisus, medium habens Celebrantem, ad cujus sinistram stat Diaconus. Subdiaconus stat prope portam Ecclesiæ in medio, et imaginem Crucifixi tunc vertit ad Religiosos. Thuriferarius sistit se ad dextram primi Ceroferarii. Omnes faciem vertunt ad Crucem Subdiaconi.

20. *Postea*, cantatis prædictis Versibus, vel illorum parte, ad nutum Celebrantis, *Subdiaconus hastili Crucis percutit portam* in ima ejus parte, semel tantum, ita tamen ut fragor audiri possit a Cantoribus, qui sunt intra Ecclesiam: *qua* porta per Cantores *statim aperta, Processio*, ordine quo supra n. 17. *intrat Ecclesiam, cantando Responsorium:* INGREDIENTE DOMINO; *et* post Versum *non dicitur* GLORIA PATRI.

21. Si Processio fieri non possit extra Ecclesiam, fiat intra eamdem; et quod ante portam præstandum erat, fiat ad ostium Chori vel ante ingressum Sanctuarii.

22. Finita Processione, respective observant ea, quæ dicta sunt § præc. 2. n. 24. 25. et 26.

§ 4.

DE PROCESSIONE ET MISSA IN FESTO S. MARCI ET IN FERIIS ROGATIONUM.

1. Post Nonam, Sacerdos cum Ministris procedit ad Altare, hoc ordine: præcedunt Ceroferarii cum candelabris accensis; sequitur Thuriferarius sine thuribulo; deinde Cantores, superpelliceis induti; et ultimo Celebrans, indutus Amictu, Alba, Stola et Pluviali violaceis, medius inter Diaconum et Subdiaconum, similiter paramentis violaceis, nempe Dalmatica et Tunicella respective indutos.

2. Cantores accedunt ad gradum Presbyterii, Celebrans vero cum Ministris ad Altare, ubi, dispositis Amictibus, et facta ab omnibus reverentia ut ante Missam, in infimo gradu cum Ministris sacris genuflexus, aliquantulum orat, omnibus similiter in Choro Fratribus contrito et humili corde Deum flexis genibus paulisper orantibus. Interea Thuriferarius accipit Crucem processionalem, et sistit se in medio Presbyterii, inter duos Ceroferarios, ibidem stantes cum candelabris accensis.

3. Tum erigit se Sacerdos cum omnibus aliis, et Cantores, stantes ante gradum Presbyterii, intonant Antiphonam: EXURGE DOMINE, quam Choristæ, stantes ad Altare conversi, prosequuntur, absque ALLELUJA in fine. Mediam partem Psalmi, et Versus: GLORIA PATRI, sub quo omnes se inclinant more solito, cantant Cantores, alteram partem Chorus.

4. Repetita Antiphona, Sacerdos cum omnibus aliis, exceptis Crucifero et Ceroferariis, denuo genuflectit, et Cantores genuflexi Litanias Sanctorum Ordinis nostri, a S. Sede pro Nostratibus approbatas, et diebus S. Marci et Rogationum de præcepto recitandas, devote cantare incipiunt. Singuli Litaniarum Versus integre a Cantoribus dici et a Choro repeti debent. S. R. C. 16. Sept. 1865. Extra tamen Processionis casum, praefatæ Sanctorum Litaniæ, quamvis in Choro recitentur, non sunt cum repetitione dicendæ. S. R. C. 7. Maji 1853.

5. Si Sedes Apostolica vacet, omittantur DOMNUM APOSTOLICUM, et Versus: OREMUS PRO PONTIFICE, atque Oratio correspondens; dicitur nihilominus UT OMNES ECCLESIASTICOS ORDINES etc. Vide etiam Rubr. pecul. Brev. n. 237. et 238. et S. R. C. Decr. 8. April. 1865. (n. 5345.)

6. *Cum autem cantatum erit*: SANCTA MARIA, ORA PRO NOBIS, ait Rituale Romanum, *surgunt omnes, et ordinatim procedunt, egredientes Litaniasque prosequentes, præcedente Cruce*, inter Ceroferarios cum candelabris accensis, *et sequente Clero: ultimo loco Sacerdos paratus, ut supra dictum est, cum Ministris, prout res, vel locus postulat, sacris vestibus indutis.*

7. *Si Processio sit longior, vel repetantur Litaniæ, vel Litaniis*

absolutis, usque ad Preces exclusive, dicantur aliqui Psalmi ex Pœnitentialibus, seu Gradualibus. Hymni vero, vel Cantica lætitiæ in iis, scilicet in Festo S. Marci, *vel in Rogationibus, aut aliis pœnitentiæ causa institutis Processionibus, non dicantur.*

8. Cum in regressu ad Chorum pervenerint, Ceroferarii, depositis super credentiam candelabris, ibidem genuflectunt cum Crucifero, qui prius Crucem in locum suum reposuit; Religiosi, facta genuflexione in plano Chori, ad stalla sua redeunt, ibique genuflectunt, facie ad Altare conversa. Ubi vero Chorus non est ante Altare, manent genuflexi in Presbyterio. Celebrans cum Ministris sacris genuflectit in infimo gradu Altaris; Cantores vero in gradu Presbyterii, ut prius, genuflexi, cum Choro Litanias ad finem perducunt.

9. Cantato ultimo KYRIE ELEISON, Celebrans genuflexus permanens, in tono feriali cantat PATER NOSTER, et reliquum dicit secreto, usque ad Versum: ET NE NOS etc. Responso a Choro SED LIBERA NOS A MALO, Cantores inchoant Psalmum: DEUS IN ADJUTORIUM MEUM etc. quem alternatim cum Choro decantant in tono feriali.

10. Post Psalmum Sacerdos adhuc genuflexus, ex libro, a Ministris sustentato, cantat Versus, Choro respondente, ut in Breviario. Ad DOMINUS VOBISCUM Sacerdos surgit cum Ministris sacris tantum, et cantat Orationes, Ministris librum sustinentibus.

11. Ad Versum: FIDELIUM ANIMÆ vocem parum deprimit, et illum paulo lentius pronuntiat. Dicto AMEN, et exhibita Altari reverentia debita, ordine quo venerunt, ad Sacristiam revertuntur; ubi Celebrans, deposito Pluviali, accipit Manipulum (quem etiam Ministri sacri accipiunt) et Casulam. Deinde ad Altare redeunt more solito, pro celebranda Missa.

12. Quoad hanc Missam notandum:

a) Hæc Missa celebretur cum cantu; Missa vero Conventualis hisce diebus legatur.

b) Celebranda est, ut præscribitur in Missali post Dominicam quintam post Pascha, in colore violaceo, sine GLORIA et CREDO, etiamsi dies 25. Aprilis occurrat in Dominica et infra Octavam Paschatis, nec non cum tribus Orationibus ibidem præscriptis.

c) Dicitur Præfatio Paschalis, et BENEDICAMUS DOMINO in fine, cum Evangelio S. Joannis.

d) Si sit infra Octavam Paschatis, dicenda sunt COMMUNICANTES et HANC IGITUR propria; ad BENEDICAMUS DOMINO autem non additur ALLELUJA.

Appendix ad § 4.

DE RITU SERVANDO IN EXPONENDIS, DEFERENDIS ET FIDELIUM VENERATIONI EXHIBENDIS RELIQUIIS S. CRUCIS VEL SANCTORUM.

1. Si Reliquia S. Crucis in Processione deferatur, vel in Missa exponatur, immediate ante Processionem vel Missam, Diaconus paratus illam ad Altare defert, et quin ullam in accessu faciat Altari reverentiam, illam exponit in loco quidem principali, non vero sub throno. Quo facto, genuflectit, descendit, et facta unius genu flexione in plano, ad Sacristiam redit.

2. Deinde Celebrans accedit ad Altare, et facta unius genu flexione in plano, surgit etc. ut dictum est § præc. 3. n. 2. 3. et 4.

3. Dum cantatur SANCTA TRINITAS etc. Subdiaconus velum humerale rubrum imponit Celebranti; et Celebrans solus ascendit, genuflectit, et Reliquiam de Altari captam, et manibus velo humerali obductis ante pectus tenens, de Altari procedit ut dictum est, l. c. n. 6.

4. Processione finita, Celebrans Reliquiam super Altare reponit, sacris Ministris et aliis omnibus genuflectentibus; et facta genuflexione, descendit ante infimum gradum. Tum Subdiaconus amovet velum humerale.

5. In recessu ab Altari, et in accessu ad Missam inchoandam, item per totam Missam Celebrans se gerit, ac si celebraret in Altari, ubi SS. Sacramentum in Tabernaculo custoditur.

6. Coram Reliquia S. Crucis, exposita in loco principali Altaris, omnes transeuntes unum genu flectere debent, in Choro tamen potest caput cooperiri.

7. Postquam Reliquia S. Crucis processionaliter delata, vel publicæ venerationi Fidelium exposita fuit, semper populus cum ea benedicendus est, antequam in custodia reponatur. Sacerdos itaque, facta

in infimo gradu genuflexione, thus imponit absque Benedictione, Diacono naviculam ministrante cum osculis consuetis. Deinde, accepto thuribulo, Celebrans iterum genuflectit, et statim erectus, stans Reliquiam ter incensat. Postea induitur velo humerali, ad Altare ascendit, genuflectit, cum velo humerali accipit Reliquiam, et cum ea signat populum eo modo, quo cum SS. Sacramento eum benediceret. Interea nihil dicit; nec Chorus aliquid cantat. Ministri semper genuflectunt cum Celebrante; sed sub Benedictione genuflexi manent, ut omnes alii.

8. Data Benedictione, Celebrans Reliquiam super Altare reponit, genuflectit, descendit, deponit velum humerale, et facta genu unius flexione in plano, ad Sacristiam vadit cum Ministris. Deinde Diaconus paratus ad Altare redit, et facta genuflexione in plano et in suppedaneo, Reliquiam accipit, et sine alia reverentia Altari facienda, ad Sacristiam reportat.

9. Quando exponuntur Reliquiæ S. Crucis vel Sanctorum, continuo super Altare ardere debent saltem duo lumina; Reliquiis tamen non est supponenda Palla aut Corporale. Idem observandum, etiamsi Reliquiæ Sanctorum, ornatus causa, inter candelabra collocentur, et dum Fidelibus deosculandæ exhibentur.

10. Beatorum, de quibus Nobis concessum est Officium et Missa, etiam Reliquias exponere possumus.

11. Servetur mos laudabilis SS. Reliquias Fidelibus deosculandas exhibendi. Hoc regulariter fiat a Sacerdote, induto superpelliceo et Stola albi vel rubei vel violacei coloris, prout Reliquiæ diversæ exposcunt. Vide Stat. diœc. Ruræm. Cap. XXII. Idipsum tamen fieri potest a Celebrante, indumentis sacris adhuc induto, expleta Missa. Quoad formulam adhibendam, vide Statuta diœcesana. Quoad alia notanda, vide Syn. Prov. Ultraj. Tit. V. Cap. V.

§ 5.

DE PROCESSIONE IN FESTO SS. CORPORIS CHRISTI.

1. Ut hæc Processio, quæ Triumphalis dicitur, rite et recte, ac

secundum debitas Cæremonias in honorem tanti Sacramenti fiat, curabunt Sacrista et Cæremoniarius, ut omnia decenter et diligenter præparentur et prævideantur, ne ex quorumdam incuria in aliquo derogetur reverentiæ, tanto Sacramento debitæ.

2. Hora congrua Missa diei solemniter decantatur, cum expositione SS. Sacramenti, juxta tabellam, de qua agitur cap. VI. § 8. n. 1.

3. Ultimo Evangelio expleto, Celebrans ad medium Altaris redit, simulque cum Ministris unum genu flectit; et omnes per gradus laterales e cornu Epistolæ descendunt in planum. Cfr. cap. III. § 6. n. 5. Si vero, rationabili suadente causa, ad Sacristiam redeundum sit, tunc descendunt et abeunt ut dicitur cap. VI. § 11. n. 19. et 20.

4. Celebrans se exuit Planeta et Manipulo, ac Pluviale album assumit; Diaconus autem et Subdiaconus Manipulos dumtaxat deponunt. Tum Celebrans, medius inter sacros Ministros, ad medium Altaris se confert, ante cujus infimum gradum utrumque cum illis flectit genu, ac profunde caput inclinat. Mox erectus una cum eisdem Ministris in infimo Altaris gradu genuflectit, et parumper orat. Interim ad Celebrantem cum thuribulis accedunt duo Thuriferarii, superpelliceis induti, et primus Ceroferarius cum navicula.

5. Finita brevissima oratione, Celebrans cum Ministris sacris surgit, parum deflectit ad cornu Evangelii, et stans facie veluti conversa ad cornu Epistolæ, thus injicit in thuribula absque Benedictione, naviculam ministrante Diacono sine osculis; et Subdiacono dextrum Pluvialis limbum sublevante. Deinde cum thuribulo primi Thuriferarii ter incensat SS. Sacramentum more solito. Vide etiam dicta de Processione in Cœna Domini n. 16. 17. et 18.

6. SS. Sacramento incensato, Ceroferarii cum candelabris suis accedunt ad Fratrem cruciferum, stantem post Thuriferarios, et sese hinc inde ad latera ejus constituunt; et Subdiaconus velum humerale, prius a secundo Ceroferario acceptum, Celebranti genuflexo imponit. Deinde Celebrans cum Ministris sacris ad secundum Altaris gradum ascendit, ibique cum Subdiacono genuflectit in ora suppedanei; Diaconus vero progreditur usque ad Altare, unum genu flectit paululum ad cornu Epistolæ, accipit Ostensorium, illudque

ambabus manibus tenens, tradit Celebranti, qui prius facta capitis inclinatione, manibus velo contectis genuflexus illud reverenter accipit.

7. Celebrans, accepto Ostensorio, surgit; tum Diaconus velum super manus Celebrantis accommodat, et illico unius genu flexione SS. Sacramento reverentiam exhibet. Mox omnes se vertunt ad populum hoc modo: Celebrans ascendit suppedaneum, et manens in medio Altaris, per suam dextram se vertit; Diaconus incedens per gradum secundum, vadit ad cornu Evangelii; Subdiaconus vero, manens ad sinistram Celebrantis, cum eodem Altare conscendit, et incedens per suppedaneum, vadit ad cornu Epistolæ.

8. Quum Celebrans conversus fuerit ad populum, Cantores adhuc genuflexi intonant Hymnum: PANGE LINGUA; quo intonato, surgunt omnes, et Hymnum prosequuntur. Interim Celebrans, de Altari descendit sub umbellam seu baldachinum, Ministris lateraliter assistentibus, cum quibus voce submissa alternatim Psalmos et Hymnos congruentes recitabit.

9. Si longior sit Processio, et Hymnus: PANGE LINGUA sit decantatus, adduntur alii Hymni, juxta Rituale Romanum; nimirum SACRIS SOLEMNIIS; VERBUM SUPERNUM; SALUTIS HUMANÆ SATOR; ÆTERNE REX ALTISSIME; TE DEUM LAUDAMUS, sine Versibus et Orationibus; item Canticum: BENEDICTUS DOMINUS DEUS ISRAEL; et Canticum: MAGNIFICAT.

10. Finita Processione, cum ad Altare pervenerint, Crucifer loco congruo Crucem deponit, ibique genuflectit; et Ceroferarii candelabra sua ad credentiam deferunt, et similiter ibidem genuflectunt.

11. Reliqui Religiosi Chorum ingressi, statim in stallis suis genuflectunt. Ubi Chorus non est ante Altare, genuflectunt in Presbyterio. Tædiferi vero genuflectunt ante Altare in linea recta, duobus vel tribus passibus ab Altaris gradibus remoti.

12. Celebrans cum ad Altare pervenerit, amoto prius baldachino seu umbella, medius inter Ministros sacros ascendit ad secundum gradum Altaris, ubi Subdiaconus mox utrumque genu flectit in ora suppedanei. Diaconus vero suppedaneum ascendit, et genuflectit utroque genu tantillum ad cornu Epistolæ, facie ad Celebrantem conversa. Celebrans autem stans in gradu secundo, Diacono Ostensorium tradit genuflexo.

13. Diaconus, accepto Ostensorio, illico surgit, et, postquam Celebrans unius genu flexione SS. Sacramentum adoraverit, Ostensorium super Corporale in medio mensæ Altaris deponit, cavens, ne tergum omnino vertat Celebranti. Interim Celebrans una cum Subdiacono descendit in planum, et flexis genibus in infimo gradu Altaris, velum humerale deponit. Diaconus vero, posito SS. Sacramento super Corporale, et facta genu unius flexione in suppedaneo, aliquantulum ad cornu Epistolæ, pariter descendit, et genuflectit in infimo gradu Altaris ad dextram Celebrantis.

14. Post Diaconi reditum ad dextram Celebrantis, SS. Sacramentum non incensatur, sed statim Cantores genuflexi intonant TANTUM ERGO SACRAMENTUM. Ad GENITORI Celebrans imponit incensum in thuribulum primi Thuriferarii, et reliqua fiunt, quæ præscribuntur cap. VI. § 9. n. 18. et 19. et locis ibidem citatis.

15. Ad Orationem solus Celebrans surgit, quam junctis manibus cantat ex libro, a sacris Ministris, genuflexis hinc inde, ante eum sustentato.

16. Cantata Oratione, Celebrans, genuflexus in infimo gradu, rursum induitur velo humerali per Subdiaconum. Deinde facta capitis profunda inclinatione, solus Altare conscendit, et unius genu flexione in suppedaneo SS. Sacramento reverentiam exhibet. Deinde observantur ea, quæ præscribuntur l. c. n. 21. 24. et seqq.

Cætera vide § 1. hujus capitis.

§ 6.

DE ALIIS PROCESSIONIBUS CUM SS. SACRAMENTO.

1. Eadem fere, quæ præc. § 5. dicta sunt, conveniunt aliis Processionibus, in quibus defertur SS. Sacramentum, uti in Festis B. Mariæ Virginis, Portiunculæ, S. P. N. Francisci, S. Antonii et in Dominica de Chorda; habita ratione majoris vel minoris solemnitatis.

2. In quacumque Processione cum SS. Sacramento numquam ante Processionem danda est Benedictio, et in egressu ab Altari semper cantandus est Hymnus: PANGE LINGUA. Postea additur, juxta

consuetudinem, Hymnus illius Festi vel Sancti, cujus occasione fit Processio; in Festis vero B. M. V. cantantur Litaniæ Lauretanæ post PANGE LINGUA. Si longitudo viarum plus postulet, addi poterunt alia convenientia pro discretione Cantorum.

3. Finita Processione, et deposito SS. Sacramento super Corporale, Cantores stantes cantant Versum ex secundis Vesperis, ad quem Chorus genuflexus respondet. Deinde Celebrans, deposito prius velo humerali, stans ante infimum gradum Altaris, medius inter sacros Ministros, similiter erectos et librum sustentantes, cantat Orationem de Festo cum conclusione brevi.

4. Deinde cantatur TANTUM ERGO, ponitur incensum et datur Benedictio.

5. Quoad Processionem Chordigerorum specialiter notandum est:

a) Processio hæc servatur singulis mensibus in aliqua Dominica, juxta computum civilem determinanda.

b) Fit autem peracto Missæ Sacrificio, et in paramentis albi coloris juxta consuetudinem.

c) Post Hymnum: PANGE LINGUA cantatur Hymnus: DECUS MORUM.

d) Finita Processione, et SS. Sacramento super Corporale deposito, Cantores stantes cantant Versum: ORA PRO NOBIS BEATE PATER NOSTER FRANCISCE, ad quem Chorus genuflexus respondet.

e) Sacerdos stans et Ministri, ut n. 3. cantat Orationem: DEUS, QUI ECCLESIAM TUAM etc. ut in Festo S. P. N. Francisci.

f) Deinde cantatur TANTUM ERGO, imponitur incensum, et datur Benedictio.

§ 7.

DE PROCESSIONE VIÆ CRUCIS.

1. Ut juxta *Monita necessaria ad bene ordinandum devotum exercitium Viæ Crucis*, jussu SS. Domini Clementis XII. edita 3. Aprilis 1731. hoc tam sanctum et proficuum exercitium sit uniforme in omnibus locis, sequentes regulæ observentur.

2. Hoc exercitium in omnibus Conventibus servetur singulis men-

sibus, in aliqua Dominica, juxta computum civilem determinanda.

3. Post Laudes Vespertinas accedunt ad Altare SS. Sacramenti vel B. M. V. et lecta oratione præparatoria, ut moris est, Processio instituitur hoc modo: præcedit Thuriferarius, superpelliceo indutus, et portans Crucem Stationum, medius inter duos Religiosos, absque candelabris, similiter indutos; sequuntur ordinatim Religiosi bini et bini; et ultimo Sacerdos superpelliceo tantum indutus, medius inter duos Cantores, similiter indutos, et intorticia accensa portantes.

4. Ad singulam Stationem Sacerdos alta et intelligibili voce legit considerationem Mysterio seu Stationi correspondentem.

5. Ad Versum: ADORAMUS TE, CHRISTE etc. considerationibus præmitti solitum, omnes caput inclinant; et ad Orationem, quæ regulariter considerationem sequitur, et ad PATER NOSTER et AVE MARIA, genuflectunt; quibus recitatis, factoque actu contritionis, (saltem per piam hanc invocationem: MISERERE NOSTRI, DOMINE; MISERERE NOSTRI. DEUS PROPITIUS ESTO MIHI PECCATORI) surgunt omnes, et procedunt ulterius, cantando inter unam et alteram Stationem stropham Prosæ: STABAT MATER.

6. Attendant autem omnes, ut se gerant summa cum modestia, silentio et recollectione; cum experientia demonstret, sanctum hoc exercitium, cum pietate et devotione practicatum, paulatim introducere apud Fideles cujuscumque conditionis usum meditandi et morum reformationem.

7. Hoc exercitium numquam peragendum, quando SS. Sacramentum est expositum.

8. Peracto exercitio, recitentur de more, ante Altare SS. Sacramenti, vel B. M. V. brachiis extensis, sexties PATER, et AVE. ac toties GLORIA PATRI. Notandum autem, hanc recitationem esse tantum pium usum, laudabilemque consuetudinem, minime vero necessarium ad lucrifaciendas hujus Viæ Crucis indulgentias.

9. Ante hoc exercitium non est exponenda Reliquia S. Crucis; sed exercitio peracto, juxta consuetudinem populo deosculanda præbeatur a Sacerdote, induto superpelliceo et Stola violacea.

§ 8.

DE PROCESSIONE IN DIE COMMEMORATIONIS OMNIUM FIDELIUM DEFUNCTORUM.

1. Hac die, finita Missa, regulariter unica tantum fit Absolutio ad tumulum. Cantatur Responsorium: LIBERA ME, cum Versibus et Oratione: FIDELIUM DEUS ut infra n. 7. et 8.

2. In Conventibus tamen, intra quorum ambitum et Ecclesiam olim cadavera Religiosorum et benefactorum religiosæ sepulturæ tradita fuerunt, hodie, ex antiqua Ordinis consuetudine, instituitur Processio, servatis tribus Stationibus distinctis, quarum prima est in Choro, secunda in Domo Capitulari, tertia in navi Ecclesiæ. In Domo Capitulari, loco tumuli, ponitur super pavimentum pannus coloris nigri, et ad latus ejus duæ candelæ accensæ; sed pro tertia Absolutione in navi Ecclesiæ, collocatur ibidem per Sacristam tumulus, antea in Choro pro prima Absolutione positus.

3. Finita itaque Missa, observentur ea, quæ in § *De Absolutione pro Defunctis* usque ad n. 1. inclusive dicta sunt; et cantatur in Choro Responsorium: SUBVENITE, ut in Processionali; aliaque fiunt, quæ præscribuntur l. c. n. 10. 11. 12. et 13.

4. Postea, junctis manibus, Sacerdos dicit:

℣. *Et ne nos inducas in tentationem.*
℟. *Sed libera nos a malo.*
℣. *A porta inferi.*
℟. *Erue Domine animas eorum.*
℣. *Requiescant in pace.*
℟. *Amen.*
℣. *Domine, exaudi orationem meam.*
℟. *Et clamor meus ad te veniat.*
℣. *Dominus vobiscum.*
℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS.

Deus, cujus miseratione animæ Fidelium requiescunt, famulis

et famulabus tuis omnibus, hic et ubique in Christo quiescentibus, da propitius veniam peccatorum, ut a cunctis reatibus absoluti, tecum sine fine lætentur. Per eumdem Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

5. Deinde Celebrans, sinistra pectori admota, faciens signum Crucis dextra super tumulum dicit:

℣. *Requiem æternam dona eis Domine.*

℟. *Et lux perpetua luceat eis.*

Deinde cantatur a Cantoribus: ℣. *Requiescant in pace.* ℟. *Amen.*

6. Quo dicto, præcedit Subdiaconus cum Cruce, comitantibus Ceroferariis cum candelis accensis; subsequitur Communitas legendo Psalmum: MISERERE et DE PROFUNDIS, usque dum ad Domum Capitularem pervenerit cum Officiante, Diacono et aliis duobus Acolythis; et fit ibidem, ut in Choro, Absolutio, cantando Responsorium: NE RECORDERIS PECCATA MEA, DOMINE. Post ultimum KYRIE ELEISON dicit Sacerdos: PATER NOSTER, et alios Versus, ut supra, cum hac Oratione.

OREMUS.

Deus, veniæ largitor et humanæ salutis amator, quæsumus clementiam tuam, ut nostræ Congregationis Fratres, propinquos et benefactores, qui ex hoc sæculo transierunt, Beata Maria semper Virgine intercedente cum omnibus Sanctis tuis, ad perpetuæ beatitudinis consortium pervenire concedas. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

Deinde ut supra n. 5.

7. Postea procedunt omnes ad Ecclesiam, legendo Psalmos: AD TE LEVAVI etc. NISI QUIA DOMINUS etc. ex Feria tertia, ad Vesperas, usque dum ventum fuerit ad navim Ecclesiæ, in cujus medio erectus est tumulus, ut antea in Choro; et ibidem fit tertia Absolutio cum Responsorio LIBERA ME, DOMINE. Post ultimum KYRIE dicit Sacerdos PATER NOSTER, et alios Versus, ut supra, cum hac Oratione.

OREMUS.

Fidelium Deus omnium Conditor et Redemptor, animabus famulorum famularumque tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum; ut indulgentiam, quam semper optaverunt, piis supplicationibus consequantur. Qui vivis et regnas in sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

Deinde ut supra n. 5.

8. Non dicitur ANIMÆ EORUM etc. sed post REQUIESCANT IN PACE responso a Choro AMEN, Sacerdos cum Ministris aliisque, præcedente Cruce, vadit a Sacristiam; neque dicitur Antiphona: SI INIQUITATES nec Psalmus: DE PROFUNDIS.

§ 9.

DE PROCESSIONE ANTE CAPITULUM GENERALE.

Tempore prævio Capituli Generalis nostri Seraphici Ordinis, in Pervigilio Pentecostes celebrandi, præter Missam votivam de Spiritu Sancto, singulis[1] in Conventibus canendam, ac Collectam de eodem Spiritu Sancto aliis in Missis addendam, quavis Feria quinta non impedita Festo Duplici primæ Classis a Dominica Resurrectionis ad diem usque Electionis; quolibet die Festivo ab Ascensione Domini usque ad Pentecosten instituenda quoque erit Processio, (cum indumentis violaceis) in qua recitabuntur Litaniæ Sanctorum Ordinis, et post Psalmum DEUS IN ADJUTORIUM a Celebrante subdetur:

℣. *Adjutorium nostrum in nomine Domini.*
℟. *Qui fecit cœlum et terram.*
℣. *Sit nomen Domini benedictum.*
℟. *Ex hoc nunc et usque in sæculum.*
℣. *Deus virtutum convertere.*
℟. *Respice de cœlo, et visita vineam istam.*
℣. *Memento Congregationis tuæ.*
℟. *Quam possedisti ab initio.*
℣. *Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum.*

℟. *Sed cito anticipent nos misericordiæ tuæ.*
℣. *Elige David servum tuum.*
℟. *Pascere Jacob et Israel hæreditatem tuam.*
℣. *Emitte Spiritum tuum, et creabuntur.*
℟. *Et renovabis faciem terræ.*
℣. *Domine, exaudi orationem meam.*
℟. *Et clamor meus ad te veniat.*
Et surgens:
℣. *Dominus vobiscum.*
℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS.

Deus, qui corda fidelium Sancti Spiritus illustratione docuisti: da nobis in eodem Spiritu recta sapere, et de ejus semper consolatione gaudere.

Deus, qui per Immaculatam Virginis Conceptionem dignum Filio tuo habitaculum præparasti: quæsumus; ut qui ex morte ejusdem Filii tui prævisa, eam ab omni labe præservasti; nos quoque mundos, ejus intercessione, ad te pervenire concedas.

Deus, qui Ecclesiam tuam beati Patris nostri Francisci meritis, fœtu novæ prolis amplificas: tribue nobis ex ejus imitatione terrena despicere, et cœlestium donorum semper participatione gaudere.

Deus, refugium nostrum et virtus: adesto piis Ecclesiæ tuæ precibus auctor ipse pietatis, et præsta; ut quod fideliter petimus, efficaciter consequamur. Per Dominum nostrum Jesum Christum, Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

In Vigilia porro Pentecostes summo mane cantabitur Missa solemnis diei currentis, prout in Missali præscribitur. Postmodum per Ecclesiam et Claustra fit Supplicatio ut supra.

FINIS PARTIS PRIMÆ.

CÆREMONIALIS
FF. MINORUM RECOLLECTORUM
ALMÆ PROVINCIÆ
GERMANIÆ INFERIORIS
PARS SECUNDA,

COMPLECTENS CÆREMONIAS IN OFFICIO DIVINO, PUBLICO ET PRIVATO, ALIISQUE NON NULLIS, AD ILLUD PERTINENTIBUS, OBSERVANDAS.

PRÆNOTANDUM.

„Certos Hymnos, certamque rationem publice laudandi Deum primi Patres Ecclesiæ Divinum Officium nuncuparunt..... Quia vero in divinis laudibus id omne continetur, quod nobis faciendum est erga Deum, easque statis horis persolventes debitum servitutis obsequium supremæ Majestati impendimus, ideo... Dei laudibus Officii nomen imposuerunt Antiqui..... Et quia Majores nostri tempus et horas, quibus prædictum Officium persolvendum est, ecclesiasticis canonibus definierunt; ideo canonicas Horas appellamus, constitutis horis regulariter celebrandas." Card. Bona. *De divina Psalmodia.* Cap. II. § I.

„In publice persolvendis Divinis Officiis omnes ecclesiasticæ Cæremoniæ ad amussim servari debent.... Licet enim ipsæ Cæremoniæ nullam secundum se perfectionem, nullam contineant sanctitatem: sunt tamen actus externi Religionis, quibus quasi signis excitatur animus ad rerum sacrarum venerationem, mens ad superna elevatur, nutritur pietas, fovetur charitas; crescit fides, devotio roboratur,

instruuntur simpliciores, Dei cultus ornatur, conservatur Religio; et veri Fideles a pseudochristianis et heterodoxis discernuntur." L. c. Cap. XIX. § III.

Cum vero, ut laudatus auctor l. c. ait, in ipsis exterioribus observantiis sita non sit pietas et Religio; ideo Fratres Officium Divinum recitantes „in id intendant toti, (sunt verba Syn. Prov. Ultraj. Tit. VIII. Cap. III.) ut non modo externa corporis compositio ac modestia cum actionis sanctitate collineet, sed et mens ad Deum attollatur, ac digne, attente ac devote in Psalmis, Hymnis et Canticis laudes divinæ Majestati persolvantur. Monita vero Augustini sollicite sequantur:" „Si orat Psalmus, orate; et si gemit, gemite; et si gratulatur, gaudete; et si sperat, sperate; et si timet, timete.""

CAPUT I.

DE DISCIPLINA IN CHORO SERVANDA.

§ 1.

DE INGRESSU AD CHORUM, ET DE MANSIONE IN IPSO.

1. Religiosi ad Chorum accedentes, antequam ingrediantur, dicent: DOMINE, IN MULTITUDINE MISERICORDIÆ TUÆ, INTROIBO IN DOMUM TUAM, ADORABO AD TEMPLUM SANCTUM TUUM, ET CONFITEBOR NOMINI TUO.

2. In ingressu Ecclesiæ, capite detecto, aqua benedicta se asper[illegible] Asperges me etc. Deinde in medio vel [illegible] terram [illegible] sed [illegible] Corporis Domini Sacramen[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]

surgunt, ad stalla sua se recipiunt, in eisdem, facie ad subsellia conversa, genuflexi permansuri, donec signum detur Officium inchoandi.

3. Si quis, inchoato jam Officio vel Missa, Chorum introierit, SS. Sacramentum, ut supra, adorabit; mox surgens genuflectet; deinde consistens in capite Chori versus medium, caput inclinabit Prælato superiori, si adsit, tum Superiori locali. Deinde ad locum suum perget, ubi per omnia se conformabit cæteris, quæ omiserit postea opportune recitaturus. At si forte tunc dicatur GLORIA PATRI, vel quid simile, ad quod Chorus se inclinat vel genuflectit, ipse in ingressu Chori subsistens, inclinabit se vel genuflectet; eodem modo, quo alii: mox una cum illis se eriget, et factis adoratione et reverentiis ut supra, ad stallum suum se recipiet.

4. Summopere curandum est, ut omnes distractionis causæ quam diligentissime præcaveantur; quapropter *a*) tempestive et diligenter ab omnibus, maxime ab iis, quibus specialiter incumbit aliquid legere vel cantare, Officium prævideatur tam in littera quam in nota, præcipue in majoribus Solemnitatibus, et aliis diebus, quando occurrunt Officia difficiliora; *b*) observentur ea, quæ præscribunt Statuta Provincialia Cap. II. § I. et *c*) uniformitas servetur in iis, quæ infra de inclinationibus, genuflexionibus, etc. dicuntur, ut in iis, quæ in Choro extrinsecus aguntur, nullus appareat singularis. Vide quæ dicit Doctor Seraphicus, in *Speculo Disciplinæ*, Part. I. Cap. XV. *De Disciplina Officii in Choro*.

5. Si quis tempore Divini Officii vel Missæ e Choro egredi debeat, a Præside petat licentiam, manum dextram extensam pectori admovendo, et interim Præsidi caput inclinando. Licentia obtenta, terram osculatur, ut n. 2. et Altari genuflectit.

6. Officio persoluto, et dato a Præside signo discedendi, omnes surgunt et post terræ osculum cum modestia et silentio discedunt.

7. Attendant omnes diligentissime, ne Chorum ingredientes vel egredientes, aut incedentes per ipsum, umquam terga omnino vertant Altari, quasi circulum perficiendo; quapropter, quando in termino, a quo recedunt, se verterunt per suam dextram, tunc in termino, ad quem accedunt, se vertant per suam sinistram, et econtra.

§ 2.

DE LOCO ET ORDINE PATRUM ET FRATRUM IN CHORO.

1. Ut *Omnia*, Apostolo suadente, *honeste et secundum ordinem fiant* in nobis, omnisque confusio et perturbatio excludatur, quo quisque loco, quo etiam ordine standum sit in Choro, specialius est annotandum.

2. Patris Guardiani locus est in medio stallo transverso secundi Chori, qui tamen pro commoditate legendi vel cantandi, se transferre poterit ad stallum Rectori Chori vicinum.

3. Patris Vicarii locus est a parte Epistolæ, in primo stallo versus Altare, nisi aliqui ipso digniores locum habeant in illa parte.

4. Patre Guardiano absente, Pater Vicarius, vel hoc etiam absente, dignior seu senior ex præsentibus Patribus locum Guardiani occupabit.

5. Sub omni recollectione, ac in Orationibus in Cruce post prandium et cœnam, Guardiano absente, Vicarius, vel dignior sistit se a parte Chori in ultimo stallo, versus ostium Chori.

6. Reliqui Sacerdotes et Clerici occupabunt stalla superiora, sic ut digniores sint versus Altare primi. Novitii vero manent in stallis inferioribus secundum dispositionem Instructoris.

7. In quo autem quisque Chori latere stare debeat, inspicienda est particularis tabula, a Rectore Chori, vel a Guardiano ad hoc conscripta. In hac tabula scribuntur quoque Fratres laici, qui occupant stalla inferiora, ita ut seniores sint Altari propinquiores. Fratres laici, sub Divino Officio ac Missa, se cum cæteris in Cæremoniis omnibus conformabunt, nisi aliter notetur.

8. Locus Hebdomadarii seu Officiatoris, per tabellam cum hac inscriptione: CHORUS, designandus, erit semper in stallo transverso secundo, sive parvo pulpito seu legili opposito.

9. Rectorum Chori locus designatur per aliam tabellam, cui inscribitur: RECTOR CHORI; estque in stallo superiori, quod correspondet stallo Versiculariorum. Primus Rector Chori stabit a parte Evangelii, secundus vero a parte Epistolæ, nisi ob officium unius vel utriusque locus quandoque mutandus sit.

10. Juxta Rectores Chori stant Cantores in stallo proximo versus Altare; habentque tabellam supra sedile appensam, cum hoc titulo: CANTOR.

11. Versiculariorum locus est ante pulpita majora, in stallo inferiori, ab Altari remotiori.

12. Acolythus stat a latere primi Versicularii, in stallo Altari proximiori.

§ 3.

DE STATIONE ET SESSIONE.

I. De Statione.

1. In Choro statur semper, quoties non est genuflectendum aut sedendum.

2. Stant omnes erecto corpore et ad Altare conversi:

a) Dum inchoantur Versus: DOMINE, LABIA; CONVERTE NOS; DEUS IN ADJUTORIUM, usque ad GLORIA PATRI exclusive.

b) Item ad Capitula, ad clausulam primæ Orationis, et ad Orationes Commemorationum usque ad Versum: BENEDICAMUS DOMINO exclusive. Ad Orationem: DIRIGERE ET SANCTIFICARE, in Prima; et ad Orationem post Antiphonam finalem B. M. V. (nisi sit genuflectendum) atque ad Orationes S. P. N. Francisci et Sanctorum Ordinis nostri in fine Completorii. Vertunt autem se ad Altare in dictis Orationibus, quando Officiator dicit OREMUS, caput profunde inclinantes.

c) Idem observatur in Laudibus vespertinis, nisi celebrentur in aliquo Altari laterali; tunc enim omnes in Choro manent stantes, facie ad invicem conversi.

3. Hebdomadarius seu Officiator stat apud pulpitum suum ad omnes Collectas seu Orationes in qualicumque Officio, etiam Defunctorum, Psalmorum Gradualium etc. licet alii, qui sunt de Choro, genuflectant, nisi alicubi aliter annotetur, prout annotatum est in ultimo triduo Majoris Hebdomadæ ad Orationem: RESPICE, QUÆSUMUS Vide etiam cap. II. § 1. n. 28.

4. Lectionarius stans versus Altare legit Lectiones; uti et Versicularius Invitatorium, Psalmum: VENITE, Versiculos, Lectiones breves, Responsoria brevia et Martyrologium. Et hoc modo statur ab iis semper, qui in medio Chori aliquid cantant aut legunt, nisi aliter notetur.

5. Stant omnes erecto corpore et ad invicem conversi:

a) Sub Versu: SICUT ERAT etc. in initio Horarum; item sub Invitatorio, Hymnis, Antiphonis, et Versiculis, atque in Officio quotidiano non cantato etiam sub Psalmis.

b) Simili modo standum est ab omnibus in Matutino ad Benedictionem primam, quartam et septimam, nec non ad nonam, si in Responsorio octavo dictum sit GLORIA PATRI: eadem ratione standum est ad Benedictionem secundam, si in Responsorio primo occurrerit GLORIA PATRI, uti Dominica prima Adventus etc. Hebdomadarius vero ad singulas Benedictiones cujuslibet Nocturni stare debet. Item stant omnes ad nonam Lectionem, si legatur Evangelium, donec dictum sit ET RELIQUA. Vide cap. II. § 1. n. 17.

c) Similiter statur ad Hymnum: TE DEUM, quocumque tempore legatur vel cantetur; (excipe tamen dicta l. c. n. 18.) ad Cantica: MAGNIFICAT, BENEDICTUS et NUNC DIMITTIS; ad Symbolum S. Athanasii; post Martyrologium ad PRETIOSA etc. ad Responsoria brevia; ad Lectiones breves; et ad Antiphonas ac Versiculos Commemorationum et Suffragiorum: nec non ad Preces, nisi aliter indicetur; item ad DOMINUS VOBISCUM ante Orationes, et ad BENEDICAMUS DOMINO; FIDELIUM ANIMÆ etc.

d) Pari modo statur, tempore Paschali et diebus Dominicis (cap. II. § 1. n. 30.) ad Antiphonam et Versiculum Antiphonæ finalis B. M. V. uti et ad Antiphonam: HÆC EST PRÆCLARUM VAS; et ad Salutationem Angelicam. (cap. II. § 3. n. 10.) Ad Officium parvum B. M. V. statur eodem modo, ac de Officio diei dictum est.

II. De Sessione.

6. In Officio quotidiano, non cantato, secundum laudabilem consuetudinem sedetur tantum:

a) Sub Lectionibus earumque Responsoriis, præter eos, qui Lectiones et Responsoria recitant. Attamen ad GLORIA PATRI omnes surgunt. Vide n. 5. lit. *b*).

b) Item ad secundam et tertiam Benedictionem Lectionum cujusque Nocturni, si in Responsorio antecedenti non occurrerit GLORIA PATRI.

c) Item ad Martyrologium, excepto ipso Cantore. De Martyrologio in Vigilia Nativitatis Domini, et in ipsa die Paschatis vide cap. III. § 5. et cap. II. § 2. n. 10. lit. *b*).

7. In Officio solemni vel cantato omnes ab utraque parte Chori sedent sub Lectionibus Nocturnorum, Martyrologio, et etiam sub Psalmis usque ad GLORIA PATRI exclusive; nisi SS. Sacramentum sit expositum, tunc enim sub Psalmis non sedeatur.

8. In Officio Defunctorum non cantato sedetur etiam sub Psalmis, Antiphonis etc. ut loco suo dicitur, quia sessio in ejusmodi Officio est mysteriosa.

§ 4.

DE INCLINATIONIBUS.

1. Communi nomine *reverentiæ* frequenter in Rubricis exprimuntur, tam genuflexiones quam inclinationes, de quibus vide Part. I. cap. I. § 5.

2. Fiunt genuflexiones et inclinationes in Choro graviter et modeste ac semper detecto capite. Omnis reverentia sit tempestiva; videlicet, nullus ante tempus eam incipiat, neque post tempus indebite prolonget, sed sit omnium et simultanea inclinatio et simultanea erectio.

3. Corpus profunde inclinant omnes:

a) Ad PATER NOSTER, AVE MARIA et CREDO, quotiescumque dicenda sunt, nisi sit genuflectendum.

b) Ad GLORIA PATRI, usque ad SICUT ERAT exclusive; et quoties in fine Hymnorum, vel alibi, (ut in prima stropha Hymni ad Tertiam; et in Festo SS. Trinitatis, in Antiphonis etc.) conceptis verbis nominentur tres Divinæ Personæ, vel expresse dicatur SANCTA

TRINITAS, nisi jam sint genuflexi. Notandum tamen, non esse inclinandum, cum tres Personæ nominantur sine earum glorificatione, invocatione aut supplicatione, sed mere enuntiative, ut in Symbolo S. Athanasii; idem dicendum de verbo TRINITAS, quod in dicto Symbolo sexies occurrit. Cfr. Part. I. cap. II. § 4. n. 3. Insuper notandum, in fine Hymnorum ab inclinatione esse cessandum, quando occurrit Versiculus, qui respondet Versui: sicut erat; v. g. NUNC ET PER OMNE SÆCULUM; REGNANS PER OMNE SÆCULUM, etc. In ultima stropha Hymnorum: SANCTORUM MERITIS; et ISTE CONFESSOR non est facienda inclinatio. Et ita de aliis Hymnis.

c) Item ex prisco nostræ Religionis more, omnes, excepto Officiatore, manent profunde inclinati ad Orationes, (nisi flexis genibus dicantur) quibus immediate præmittitur DOMINUS VOBISCUM, exceptis illis, quæ proprio loco notantur, uti ad Aspersionem, Benedictiones etc.

d) Hebdomadarius profunde se inclinat, recitans CONFITEOR, quousque responderit AMEN ad MISEREATUR TUI: similiter et Chorus se inclinat, dum repetit CONFITEOR, donec responderit AMEN ad MISEREATUR VESTRI.

e) Cantor vel Lector profunde se inclinat Hebdomadario, (ita tamen ut terga non vertat Altari) dicens JUBE, DOMNE, BENEDICERE, donec iste totam Benedictionem absolverit; similiter inclinat Altari, dicens TU AUTEM, DOMINE, etc.

Mediocriter corpus inclinant:

a) Choristæ, dum Cantor vel Lector profunde inclinatus, dicit JUBE, DOMNE, quousque Hebdomadarius totam Benedictionem pronuntiaverit.

b) Item ad SANCTUS, in Hymno: TE DEUM, se inclinant alternatim, scilicet unus Chorus inclinatur dum alter canit.

Caput profunde inclinant omnes:

a) Ad nomen JESU; et ex laudabili consuetudine, in Ordine nostro, recepta, ad verba: SANCTUM ET TERRIBILE NOMEN EJUS: SIT NOMEN DOMINI BENEDICTUM; aliaque hujusmodi.

b) Item, quando principium Hymni continet invocationem Dei vel Jesu Christi, ut JESU, REDEMPTOR OMNIUM; JESU, CORONA VIR-

GINUM, et similes, ob reverentiam Dominicæ invocationis caput flectitur.

c) Idipsum præstant omnes, quotiescumque ante Orationem dicitur OREMUS.

d) Item, quoties se ad Altare convertunt, et ab eo se avertunt. Si hæc inclinatio coincidat cum præcedenti, tunc non bis sed semel caput inclinatur.

6. Mediocriter caput inclinatur ad nomen MARIÆ, prolatum de sanctissima Dei Genitrice.

7. Minima capitis inclinatio fit ad nomen Sancti vel Beati, cujus Officium celebratur, vel specialis fit Commemoratio; ad nomen S. P. N. FRANCISCI; et ad nomen Papæ viventis. Vide l. c.

8. Quoad inclinationes notandum:

a) Ad nomina Sanctorum sub Officio semper caput est inclinandum, etiam dum pronuntiantur in Antiphonis, Versiculis etc. exceptis tantum Suffragiis communibus; ad nomen tamen MARIÆ et S. P. N. FRANCISCI etiam in his Suffragiis caput inclinandum est.

b) Inclinationes fiunt vel versus Altare, vel versus medium Chori, prout Religiosi stant vel ad Altare vel ad invicem conversi, dum inclinandum est.

§ 5.

DE GENUFLEXIONIBUS.

1. Genuflexio est duplex, unius nempe et utriusque genu. Vide Part. I. cap. I. § 5.

2. Unum genu flectunt:

a) Omnes transeuntes ante Altare majus, quamvis ibi non adsit SS. Sacramentum, sed sola Crux: excipiuntur Superiores Generalis, Provincialis et Custos Regiminis, nec non Hebdomadarius paratus, qui (extra Feriam sextam in Parasceve) Cruci tantum caput profunde inclinant. Attamen, si SS. Sacramentum sit in Tabernaculo inclusum, etiam hi in transitu ante Tabernaculum; uti etiam Feria sexta in Parasceve, ab adoratione Crucis usque ad Nonam Sabbathi

sancti inclusive, in transitu ante Crucem Altaris majoris, genuflectere debent.

b) Item genuflectitur versus Altare, quotiescumque quis accedit ad legile seu pulpitum in medio Chori positum, vel ad gradum Presbyterii, aliquid lecturus vel cantaturus; et quoties illinc recedit.

c) Eodem modo omnes genuflectunt ad verba: VENITE, ADOREMUS ET PROCIDAMUS ANTE DEUM, in quocumque Officio non cantato. Si vero Invitatorium cantetur, ad prædicta verba genuflectendum est utroque genu, ratione pausæ.

3. Utrumque genu flectunt:

a) Omnes ingredientes Ecclesiam, uti dictum est § 1. n. 2.

b) Item, quoties transeunt ante Altare, in quo SS. Sacramentum est expositum.

c) Antequam Divinum Officium inchoatur, omnes genuflectunt in stallis, facie ad subsellia versa, donec Præses dederit signum inchoandi Orationem: APERI, DOMINE, quam facie ad medium Chori conversi et genuflexi recitant. Idem dicendum de Oratione: SACROSANCTÆ, cum PATER et AVE sequentibus.

d) Item ad totam stropham: TANTUM ERGO et O SALUTARIS HOSTIA, dummodo SS. Sacramentum sit vel expositum vel saltem in Tabernaculo Altaris, coram quo Officium celebratur, inclusum; secus profunde tantum se quisque inclinat.

e) Item ad totam stropham: O CRUX, AVE SPES UNICA, etiam tempore Paschali; ad primam stropham Hymnorum: VENI, CREATOR, SPIRITUS, et AVE MARIS STELLA.

f) Similiter in Hymno: TE DEUM, ad totum Versum: TE ERGO QUÆSUMUS.

g) Pari modo ad Antiphonas finales B. M. V. et ad PATER NOSTER, AVE MARIA et CREDO in fine Completorii, exceptis tempore Paschali et diebus Dominicis. Vide cap. II. § 1. n. 30.

h) Simili modo genuflectunt omnes ad Preces feriales tempore Quadragesimæ etc. Hebdomadarius genuflexus manet usque ad DOMINUS VOBISCUM exclusive, ante primam Orationem; alii omnes usque ad BENEDICAMUS DOMINO exclusive post ultimam Orationem, nisi [illegible] flexis genibus subjungenda sit Antiphona finalis B. M. V.

Itaque Commemorationes, sive speciales sive communes, si dicendæ sint, recitantur more solito, sed flexis genibus.

i) Præterea genuflectitur ad Preces in Officio Defunctorum; item ad Preces in Psalmis Gradualibus, et ad Psalmos Pœnitentiales cum Litaniis, solo Hebdomadario ad Orationes surgente. Hebdomadarius autem semper perstat usque ad finem Orationis vel Orationum; et generaliter numquam debet manere genuflexus, dum dicit Orationes, nisi expresse sit præscriptum. (§ 3. n. 3.)

4. Cum quis in Choro aliquid intonat, quod flexis genibus canendum est, ut AVE MARIS STELLA, id stando intonat, et deinde genuflectit; nisi aliter notetur, ut ante Benedictionem cum SS. Sacramento TANTUM ERGO intonatur a Cantore genuflexo.

§ 6.

DE CRUCIS SIGNO, PECTORIS PERCUSSIONE ET MANUUM JUNCTIONE.

1. Signum Crucis consuetum formatur elevando ad frontem manum dextram erectam et extensam, junctis simul digitis, ita ut, palma ad signantem conversa, supremi tantum digiti frontem attingant, quin ulla ratione caput inclinetur; et sic a fronte ad pectus manus ducitur, et ab humero sinistro ad dextrum, sinistra interim extensa et junctis digitis infra pectus ita posita, ut sit extra limites Crucis, a dextra formandæ, sed tamen exstet supra Cingulum. Confecto signo Crucis, dextra nec ori nec pectori admoveatur, sed statim cum sinistra jungatur, ante pectus, si ea, quæ sequuntur, junctis manibus sint dicenda.

2. Tali modo se signant omnes:

a) Ad DEUS, IN ADJUTORIUM MEUM INTENDE, cum dicitur initio Horarum; non autem cum dicitur in Psalmis, et in Precibus, et ter ad Primam post Versum: PRETIOSA. Ita porro se signant, ut ad unumquodque ex præfatis verbis manu tangant primo frontem, deinde pectus, mox humerum sinistrum, ultimo dextrum.

b) Eodem modo fit ad ADJUTORIUM NOSTRUM IN NOMINE DOMINI,

cum dicitur ante CONFITEOR; non autem in Psalmis, nec ad Primam post Lectionem brevem.

c) Item ad INDULGENTIAM post CONFITEOR; in fine Primæ ad verba: DOMINUS NOS BENEDICAT; et in fine Completorii, post BENEDICAT etc. ad verba PATER, ET FILIUS, ET SPIRITUS SANCTUS.

d) Initio Canticorum Evangelicorum: MAGNIFICAT, NUNC DIMITTIS et BENEDICTUS.

e) Similiter se signant in Matutino Festi Epiphaniæ Domini, (non vero per Octavam) dum inchoatur prima Antiphona: AFFERTE DOMINO; ac pariter in ultimo triduo Majoris Hebdomadæ ad Matutinum, Laudes et Vesperas, dum prima Antiphona inchoatur; ad reliquas vero Horas, dum inchoatur primus Psalmus.

3. Pollice dextræ manus extensæ, palma ad signantem conversa, omnes se signant:

a) In ore ad DOMINE, LABIA MEA APERIES initio Matutini; item, ut usus habet, initio Orationis præparatoriæ: APERI, DOMINE.

b) In pectore ad CONVERTE NOS initio Completorii.

c) In fronte, ore et pectore ad INITIUM vel SEQUENTIA SANCTI EVANGELII etc. in Missa.

4. Pectoris percussio fit hoc modo: sinistra infra pectus posita, pectus cum extremitate dextræ, extensis et unitis omnibus digitis, eos parum incurvando, modeste et non violenter, nec nimis leviter percutitur. Tunditur autem pectus ter ad CONFITEOR, ab iis nempe, qui illud recitant, dum ter dicitur MEA CULPA. Reliqua vide locis propriis.

5. Manus junguntur, et junctæ tenentur in Officio, eodem modo, quo dictum est Part. I. cap. I. § 5. n. 12.

6. Modo ibidem præscripto, manus junguntur:

a) Ab omnibus, qui sacris paramentis sunt induti, dum ab uno loco ad alium incedunt, modo manus non habeant impeditas.

b) In quocumque Officio, sive quotidiano sive solemni, Hebdomadarius vel Officiator, manibus ante pectus junctis, recitat Capitula, DOMINUS VOBISCUM, Collectas omnes, BENEDICAMUS DOMINO, Absolutiones et Benedictiones, Lectionibus Nocturnorum et Lectionibus brevibus præmittendas.

c) Item, dum recitat CONFITEOR, donec post MISEREATUR Chorus responderit AMEN; quod eodem modo a Choro est faciendum, sive CONFITEOR stando, sive flexis genibus recitetur.

7. Lectionarii, dum ante Lectiones Nocturnorum; et Versicularius dum ante Lectiones breves ab Hebdomadario Benedictionem petunt, manus junctas tenent.

Reliqua notantur in locis propriis.

§ 7.

DE CAPITIS APERITIONE ET OPERITIONE, AC DE MANTELLI DEPOSITIONE.

1. Omnis ingressus in Chorum, incessus per ipsum, et egressus fit a singulis detecto capite, nisi aliter notetur.

2. Item omnes genuflexiones, et cujuscumque generis inclinationes, etiam dum sedetur, fiunt semper detecto capite; et toto tempore quo genuflexio vel inclinatio durat, caput detectum manere debet.

3. Dum singuli vel bini intonant, legunt vel canunt aliquid, hoc faciunt semper detecto capite.

4. Omnes sint detecto capite, ab initio cujuscumque Horæ usque ad inceptum primum Psalmum; et a Capitulo usque ad finem ejusdem Horæ. Item ad Absolutiones et Benedictiones ante Lectiones; ad textum Evangelii; et ad Symbolum S. Athanasii. Item ad totum Officium parvum B. M. V.

5. In Missa omnes manent aperto capite, ab ejus initio usque ad finem, excepto tempore, quo in Missa solemni, seu simpliciter cantata, sedetur.

6. Dum SS. Sacramentum est expositum, caput jugiter manet detectum, etiam dum sedetur.

7. Cooperitio capitis ad Psalmos, Antiphonas Lectiones, Responsoria, Martyrologium, Prophetias, et quando sedetur, non est strictim de præcepto, respectu eorum, qui sacris paramentis non sunt induti. Vide Decretum S. R. C. 16. Mart. 1861. ad 11. Quapropter pro uniformitate servanda omnes, qui sacris paramentis non sunt induti, tempore Divini Officii et Missæ semper sint detecto capite.

8. Advertendum autem, quando sub sessione caput cooperitur, prius sedendum esse, et deinceps caput cooperiendum; et econtra prius caput esse detegendum, et postea surgendum.

9, Item advertatur cum detegendum vel cooperiendum est caput, id semper fieri oportere non capitis excussione, sed decenti manuum applicatione.

10. Quum mantellum a nobis non ut forma habitus Regularis, sed ut tuitio a tempestatum injuriis adhibeatur; ideo quotiescumque aliquid agendum sit, quod in propria habitus forma præstari debeat, mantellum deponi opus est.

11. Itaque mantellum deponitur:

a) a quocumque, qui aliquid intonare legere aut cantare debet in medio Chori

b) In diebus Purificationis, Cinerum et Palmarum, ad candelas, cineres et palmas recipiendas.

c) Item ad Crucis Adorationem Feria sexta in Parasceve.

d) Item ad SS. Eucharistiæ sumptionem, et in Processione, in qua defertur SS. Sacramentum.

e) Deponitur etiam ab illis, qui accendunt cereos Altaris, vel ante Statuam B. M. V. etc. vel qui pulsant campanam, aut cum illa tintinnant. Reliqua in locis propriis annotata sunt.

CAPUT II.

DE DIVINO OFFICIO QUOTIDIANO IN CHORO RECITANDO.

§ 1.

DE MATUTINO ET LAUDIBUS.

1. Matutinum Officium in omnibus Conventibus media nocte dicitur, exceptis illis diebus, quibus ratione indulgentiarum pridie praedicitur, nimirum in Octavis Corporis Christi, et Immaculatæ Con-

ceptionis B. M. V. et in Festis SS. Nominis Jesu, Transfigurationis D. N. J. C. et Visitationis B. M. V. Excipitur etiam Matutinum Tenebrarum, et quædam alia, ubi talis est consuetudo.

2. Ut Officium nocturnum hora ordinaria inchoetur, excitator pro Matutinali Officio primum campanæ pulsum dabit, quando auditur medium horæ duodecimæ noctis. Postea Fratres ordinate et religiose excitat, ut tempore opportuno omnes in stallis suis devote compositi, corda sua Domino præparare possint. Audito quadrante, dabitur secundus campanæ pulsus.

3. Audita duodecima, pro tertia vice campana pulsatur, et omnes ad medium Chori conversi et genuflexi, Hebdomadario inchoante, clara voce recitant simul Orationem: APERI, DOMINE; quæ etiam ante alias Horas recitatur.

4. Hac Oratione finita, omnes assurgunt, et ad invicem conversi ac corpore profunde inclinati, recitant PATER NOSTER, AVE MARIA, CREDO, *omnia secreto: deinde*, dato signo, stans in loco suo, facie ad Altare conversa, aliis omnibus similiter stantibus, *clara voce Hebdomadarius dicit*: DOMINE, LABIA MEA etc. *pollice signando sibi os signo Crucis:* DEUS, IN ADJUTORIUM etc. *manu extensa signando se signo Crucis a fronte ad pectus, et a sinistro humero usque ad dextrum.* (*Quod servatur in principio omnium Horarum, cum dicitur* DEUS, IN ADJUTORIUM) Signante se Hebdomadario, omnes, qui sunt de Choro, eodem modo se signant.

5. Cum dicitur GLORIA PATRI etc. facta prius Altari reverentia, omnes ad Chorum conversi, corpore profunde se inclinant, erigentes se ad verba: SICUT ERAT etc.

6. *Deinde dicitur Invitatorium conveniens Officio de Tempore, vel de Sancto, quod dicitur cum Psalmo* VENITE, EXULTEMUS, *eo modo, quo in principio Psalterii describitur.* Invitatorium dicit primus Versicularius, stans in loco suo, et facie ad Altare conversus: Chorus vero illud repetit, ut in Psalterio. Ad verba: VENITE, ADOREMUS ET PROCIDAMUS ANTE DEUM, omnes unum genu flectunt, versus medium Chori; Versicularius vero versus Altare. Dictis his verbis, illico surgunt omnes; et Versicularius prosequitur PLOREMUS etc. In fine ad GLORIA PATRI etc. omnes corpus profunde inclinant

versus medium Chori; Versicularius vero versus Altare. Postea Versicularius repetit primam partem Invitatorii, et dum Chorus illud continuat, se ad Chorum convertit, facta prius Altari reverentia.

7. *Dicto Psalmo, et repetito Invitatorio, dicitur Hymnus*, quem intonat primus Cantor, et uterque Chorus alternatim prosequitur.

8. *Postea in Duplicibus et Semiduplicibus dicuntur novem Psalmi (sed in Dominicis plures, ut in Psalterio) cum suis Antiphonis et Versibus.* Primum Psalmum intonat primus Cantor, secundus secundum, et sic per ordinem successive. (Vide exceptionem infra n. 10.) Antiphonas similiter ante et post Psalmos legant Cantores, si sit Duplex: in Semiduplicibus vero Versicularii alternatim Antiphonæ partem ante Psalmum inchoant, quam totam, finito Psalmo, Cantores legunt. Advertant autem Versicularii, ut Antiphonarum initium ita pronuntient, ut hoc neque una syllaba contineatur, neque sensum absurde præcidat. Vide etiam infra n. 24.

9. *Tempore Paschali, id est, a Dominica in Albis usque ad Pentecosten, præterquam in Officio Ascensionis Domini, tres Psalmi cujusque Nocturni dicuntur sub una Antiphona*, quam in primo Nocturno vel primus Cantor totam legit, vel primus Versicularius tantum inchoat, prout Officium est Duplex vel Semiduplex. In secundo Nocturno idem præstat secundus Cantor vel Versicularius. In tertio Nocturno faciendum est ut in primo.

10. Advertendum tamen pro intonatione Psalmorum sub una Antiphona, quod secundus et tertius Psalmus intonetur ab illa parte Chori, a qua dictus fuit Versus, Gloria Patri, in fine Psalmi præcedentis. Idipsum observari debet in Psalmis Dominicalibus et Ferialibus, quando non interponuntur Antiphonæ.

11. *Post ultimam Antiphonam cujusque Nocturni dicitur Versus* a Versiculariis, in locis suis remanentibus, sed facie ad Altare conversa. Primus Versus dicitur a primo Versiculario, secundus a secundo, et tertius iterum a primo.

12. Postea ab Hebdomadario, stante in loco suo, dicitur Pater noster, quod secreto et corpore profunde inclinato cum aliis prosequitur [illegible] cum aliis [illegible] Et ne nos inducas etc. ad quod [illegible] respondent Sed libera nos a malo. Deinde

Hebdomadarius, manibus ante pectus junctis, dicit Absolutionem, ad quam Chorus respondet AMEN.

13. Lectiones leguntur in pulpito, in medio Chori versus extremam illius partem posito, ad quod Lectionarius accedit, dum dicitur Versus, faciens genuflexionem Altari, et Chorum utrimque salutans, incipiendo a parte Chori. Lectiones primi Nocturni leguntur ab Acolytho; secundi Nocturni a Subdiacono; tertii vero a Diacono.

14. Dicta Absolutione, Lectionarius, stans apud pulpitum, et corpus profunde inclinans versus Hebdomadarium, ita tamen ut terga non vertat Altari, manibusque ante pectus junctis, petit Benedictionem, dicens JUBE, DOMNE BENEDICERE. Tum Hebdomadarius, stans ut supra, Benedictionem recitat, ad quam Chorus respondet AMEN. Quo responso, et non prius, Lectionarius se erigit; non tamen legere incipiat, priusquam tumultus sedilium cessaverit, et omnes suis sederint locis: legit autem tam clara et distincta voce, ut ab omnibus commode possit intelligi. Dum legit, manus hinc inde ad latera libri super legile ponit, vel iis librum sustinet, vel si opus fuerit, alterutra lumen sustentat, altera posita ut supra.

15. Eodem modo ante secundam et tertiam Lectionem petitur et datur Benedictio. Dum Lectionarius in fine cujuslibet Lectionis dicit TU AUTEM, DOMINE etc. corpus profunde inclinat versus Altare; post tertiam Lectionem, facta genuflexione et salutatione Chori ut supra, ad locum suum revertitur. Hæc omnia simili modo præstant Subdiaconus et Diaconus, ante et post lectas a se Lectiones.

16. Prima Lectione finita, legitur primum Responsorium a primo Cantore, stante versus librum; sed illius Versus a primo Versiculario, stante versus Altare dicitur. Post Versum primus Cantor repetit partem Responsorii, ut in Breviario est annotatum. Idem præstant ad secundum et tertium Responsorium. Ad GLORIA PATRI, quod dicit Versicularius, omnes surgunt, et corpus profunde inclinant. In secundo Nocturno idem observabunt secundus Cantor et secundus Versicularius: in tertio Nocturno omnia fiunt ut in primo.

17. Lectiones omnium Nocturnorum eodem modo et ordine leguntur, excepto quod, quando Diaconus textum Evangelii legit,

omnes stent, nudo capite, et conversi ad invicem, donec dicatur Et ÆRELIQUA. Deinde omnes sedent. Diaconus non signat librum nec se ipsum; nec manus junctas tenet, sed extensas ad latera libri, ut in aliis Lectionibus.

18. Hymnus: Te Deum (quando dicendus est) semper cantatur; eum primus Cantor, in loco suo remanens, intonat. Ad verba: Sanctus, Sanctus, Sanctus corpus mediocriter Fratres inclinant alternatim, scilicet unus Chorus inclinatur, dum alter canit. Et cum perventum est ad verba: Te ergo quæsumus, tam Officiator, quam alii omnes genu utrumque flectunt usque ad finem Versus.

19. Ad Hymnum: Te Deum campana pulsatur usque ad Versum: Pleni sunt cœli et terra exclusive. Si Hymnus iste non dicatur, inchoatur pulsus campanæ ad Responsorium ultimum.

20. *Ad Laudes, dicto Hymno:* Te Deum, *vel ultimo Responsorio, Hebdomadarius absolute dicit:* Deus, in adjutorium etc. *ut supra* n. 4. et 5. Deinde *dicuntur Psalmi .... cum Antiphonis Officio convenientibus* ab eisdem et eodem modo, ut supra. Circa finem ultimi Psalmi primus Versicularius offert lumen Hebdomadario, quod semper facit, etiam in aliis Horis, quando est necessarium.

21. *Post Psalmos dicitur Capitulum* ab Hebdomadario junctis manibus. *Hymnus* a primo Cantore inchoatur, *Versus* a primo Versiculario in loco ordinario dicitur.

22. *Antiphona ad Canticum:* Benedictus dicitur, ut dictum est supra n. 8. Canticum ad cujus initium omnes se signant, inchoatur a primo Cantore; *et Oratio*, una vel plures, legitur ab Hebdomadario, manibus junctis. Si faciendæ sint Commemorationes speciales, Antiphona legitur a primo Cantore; Versus a primo Versiculario, et Oratio ut supra. Vide § *De Inclinationibus.*

23. *Preces, quando dicendæ sunt, dicuntur ante primam Orationem*, eo modo, quo præscribitur § seq. n. 7.

24. *Commemorationes vero de Cruce, de S. Maria, de S. Joseph, de Apostolis*, de S. P. N. Francisco, *de Patrono*, de Sanctis Ordinis, *et de Pace, similiter, quando dicendæ sunt, dicuntur post Orationem*, Choro legente Antiphonas, primo Versiculario Versus, Hebdomadario vero Orationes.

25. *Ante* primam *Orationem dicitur* DOMINUS VOBISCUM *et* OREMUS; ante Orationes sequentes dicitur tantum OREMUS; *post ultimam Orationem repetitur* DOMINUS VOBISCUM; *deinde* BENEDICAMUS DOMINO; *et* postea dicitur *Versus:* FIDELIUM ANIMÆ, qui ab Hebdomadario pronuntiatur voce submissiori, quam antecedentia.

26. PATER NOSTER totum dicitur secreto, omnibus corpus profunde inclinantibus, nisi sint genuflexi. Deinde Hebdomadarius dicit mediocri voce DOMINUS DET NOBIS SUAM PACEM; et deinde, primo Cantore inchoante, recitatur a Choro, stante vel genuflectente pro ratione temporis, *Antiphona B. Mariæ, ut habetur in fine Completorii, si tunc discedendum sit a Choro*, vel saltem Officium finiendum, ut dicitur infra n. 30. Post Orationem Antiphonæ finalis responso a Choro AMEN, Hebdomadarius voce mediocri dicit DIVINUM AUXILIUM MANEAT SEMPER NOBISCUM. Chorus respondet AMEN.

27. Deinde primus Cantor genuflexus, uti et cæteri omnes genuflectunt, facie ad medium Chori conversa, inchoat Responsorium: SI QUÆRIS MIRACULA, quod Chorus prosequitur usque ad verbum: CANI inclusive. Tum primus Versicularius genuflexus permanens, recitat PEREUNT PERICULA etc. Chorus repetit CEDUNT etc. deinde Versicularius solus recitat GLORIA PATRI etc. Choro repetente CEDUNT etc. Postea Versicularius dicit Versum: ORA PRO NOBIS BEATE ANTONI; et Hebdomadarius subjungit Orationem, etiam genuflexus; quod similiter ad alias preces, quæ in Choro ex devotione aut præscripto recitantur, observandum est, nisi aliter notetur. Hujusmodi preces minime omittendæ sunt, quando de eodem Sancto Officium recitatum, aut Commemoratio facta fuit. Insuper his precibus, tempore paschali recitandis, applicanda sunt ea, quæ dicuntur Part. I. cap. VI. § 12. n. 9.

28. Demum omnes, genuflexi ut n. præc. alta voce simul recitant Orationem: SACROSANCTÆ etc. Hebdomadarius dicit Versum: BEATA VISCERA, et Chorus respondet ET BEATA UBERA etc. Postea subjungitur ab omnibus secreto PATER NOSTER et AVE MARIA.

29. Quoad Antiphonas in Officio generaliter notanda est regula, quam tradunt Rubricæ Breviarii Tit. XXI. n. 7. scilicet: *quando*

Antiphona sumitur ex principio Psalmi vel Cantici, et incipit sicut Psalmus vel Canticum, post Antiphonam non repetitur principium Psalmi vel Cantici, sed continuatur quod sequitur in Psalmo vel Cantico, ab eo loco, ubi secundum ritum diei desinit Antiphona, nisi discontinuetur per ALLELUJA.

Itaque in Officio Duplici, quando Antiphona et primus Versus Psalmi constant eisdem prorsus verbis, et Antiphonæ non est addendum ALLELUJA, tunc Cantor debet inchoare Psalmum a secundo ejus Versu, tamquam si foret primus; uti contingit in Officio Dedicationis Ecclesiæ, in tertio Nocturno ad Psalmum: QUI HABITAT; et in Officio SS. Nominis Jesu, in primo Nocturno ad Psalmum: DOMINE, DOMINUS NOSTER.

Item in Officio Semiduplici, quamvis verba totius Antiphonæ non eadem sint cum principio Psalmi, si modo illa verba, quæ ante Psalmum dicuntur, eadem sint cum principio Psalmi, quamvis reliqua discrepent, tunc verba enuntiata non debent repeti, sed Psalmus est continuandus. Hinc in primo Nocturno de Communi Confessoris ad primum Psalmum Cantor non repetit verba: BEATUS VIR, recitata a Versiculario, sed Versum prosequitur usque ad asteriscum. Et ita in similibus.

30. Quoad Antiphonas finales B. M. V. notandum est I. Quando et II. Quomodo sint recitandæ.

I. Quando:

a) *Semper dicuntur, quandocumque terminata aliqua Hora, discedendum est a Choro*, vel Officium terminandum est.

b) *Numquam vero dicuntur post aliquam Horam, quando subsequitur cum Officio diei Officium Defunctorum, vel septem Psalmi Pœnitentiales, aut Litaniæ* Sanctorum, juxta præscriptum Rubricarum, licet paulula mora intercedat.

c) *Neque etiam dicuntur, quando post aliquam Horam immediate subsequitur Missa* Conventualis, quamvis lecta; vel alia Missa solemnis, tam pro vivis, quam pro defunctis, ad cujus assistentiam tenentur Chorales.

d) Non tamen omittuntur, quando post aliquam Horam absolutam, dicuntur preces, quæ a Rubricis præscriptæ non sunt.

e) Post Completorium vero numquam omittuntur, etiamsi præfata addititia, vel Matutinum pro crastina die sequantur.

II. Quomodo:

a) Dicuntur stando, toto tempore Paschali, id est, a Completorio Sabbathi sancti usque ad Nonam Sabbathi post Pentecosten inclusive.

b) In omnibus Dominicis, a primis Vesperis in Sabbatho (etiam in Quadragesima, licet ante meridiem Vesperæ tunc recitentur) usque ad occasum solis ipsius Dominicæ, comprehenso crepusculo, semper standum est, etiamsi intra præfatum tempus recitetur Officium Sabbathi, vel Matutinum cum Laudibus Feriæ secundæ. Si post crepusculum vespertinum Dominicæ Officium ipsius Dominicæ recitetur, attamen ad Antiphonam finalem standum est.

c) Aliis diebus semper genuflectitur.

d) Hebdomadarius recitat Orationem semper stando.

§ 2.

DE PRIMA, TERTIA, SEXTA ET NONA.

1. Mane facta excitatione ad medium sextæ, omnes Fratres sint in Choro quadrante ante sextam pro recollectione matutina, cujus materia legitur per primum Cantorem. Durante lectione, Fratres genuflectunt, ad medium Chori conversi; lectione vero finita, genuflectunt in stallis, facie conversa ad subsellia. Diebus sacræ Communionis Hebdomadarius eam distribuit hora sexta.

2. Ante Primam Oratio: APERI, DOMINE, PATER NOSTER, AVE MARIA, CREDO, DEUS, IN ADJUTORIUM etc. dicuntur ut in Matutino dictum est.

3. Hymnum et primum Psalmum intonat primus Cantor, inchoante Antiphonam primo Versiculario. Secundus Psalmus semper intonatur a secundo Cantore. Vide dicta § 1. n. 10.

4. *Post Antiphonam*, dictam a primo Cantore, *dicitur Capitulum* ab Hebdomadario, manibus junctis; et dum dicitur Capitulum, omnes stant ad Altare conversi.

5. Dicitur *deinde Responsorium breve*, quod legit primus Versicularius, stans in loco suo, et ad Altare conversus, Choro repetente, ut in Breviario notatur.

6. *Post Responsorium breve in Officio Duplici, et infra Octavas, statim dicitur Oratio:* DOMINE, DEUS OMNIPOTENS, ad quam omnes se gerunt, ut dicitur § *De Inclinationibus.*

7. *In alio Officio dicitur* KYRIE ELEISON, *cum reliquis Precibus.* circa quas notandum:

a) Si dicendæ sint flexis genibus, omnes genuflectunt, vultibus ad medium Chori conversis; solus Hebdomadarius surgit ad Versum: DOMINUS VOBISCUM; cæteri vero genuflexi manent usque ad BENEDICAMUS DOMINO. Vide cap. 1. § 5. n. 3. lit. *b*).

b) KYRIE ELEISON. CHRISTE ELEISON. KYRIE ELEISON recitantur ab utroque Choro simul. Versus omnes dicuntur ab Hebdomadario, respondente utroque Choro.

c) *Ad Versum autem:* ADJUTORIUM *Hebdomadarius signat se signo Crucis a fronte ad pectus*, quod et omnes alii faciunt.

d) Hebdomadarius dicit CONFITEOR, manibus junctis, et corpore profunde inclinato, si vero sit genuflexus, tunc caput tantum inclinat. Ad verba: MEA CULPA etc. ter manu dextra pectus percutit, sinistra infra pectus posita. Confessione finita, Chorus subjungit MISEREATUR TUI etc. ad quod Hebdomadarius respondet AMEN, et deinde se erigit. Postea cæteri eodem modo inclinati, corpore vel capite, repetunt Confessionem. Hebdomadarius subjungit MISEREATUR VESTRI etc. et cæteri adhuc inclinati respondent AMEN: tum se erigunt, et ad INDULGENTIAM omnes se signant.

8. *Post Orationem Primæ:* DOMINE DEUS, *vel, si dicatur Officium Sanctæ Mariæ, post illius Orationem, dicto* BENEDICAMUS, *in Choro legitur in cantu Martyrologium Ordinis*, a S. Sede approbatum. Cantatur a primo Versiculario in loco, ubi leguntur Lectiones Nocturnorum. Vide § 1. n. 13.

9. Sub Lectione Martyrologii omnes sedent, præter legentem, qui prius non sedet, quam omnes sederint. Caveat etiam ne sui Officii Martyrologium legendum prævideat.

10. Ut Martyrologium rite legatur, notandum est:

a) Lectio Martyrologii recitatur quotidie in Choro, excepto triduo ante Pascha, quibus diebus omittitur.

b) *Legitur autem semper præcedenti die Lectio illa, quæ memorias Sanctorum sequentis diei continet, præponendo Kalendas, Nonas vel Idus, et quantitatem Lunæ ejusdem sequentis diei*, excepta ipsa die Paschatis, in qua ante Kalendas dicitur HAC DIE etc. sub quibus verbis omnes de Choro stare debent, detecto capite. Postea pronuntiantur Kalendæ, Luna etc. sequentis diei.

c) *Festa, de quibus eo die fit Officium, semper primo loco ponuntur, quod etiam servandum erit in Festis mobilibus.* Sancti, de quibus facienda est Commemoratio, ponuntur secundo loco.

d) Vigilia tamen, etiam quando de ea non fit Officium, annuntiatur primo loco ante Festa: et quamvis Vigilia anticipetur in Sabbatho, non ideo anticipatur ejus Lectio in Martyrologio, sed annuntiatur eadem die Sabbathi pro die Dominica.

e) Festa toties pronuntiantur, quoties describuntur in Martyrologio. Si Festum alicujus Sancti vel Beati transferatur, attamen Martyrologium legendum est prout jacet; et iterum annuntiatur pridie quam celebratur, etiamsi jam bis annuntiatum fuerit, ita ut Festum S. Henrici Confessoris ter annuntiandum sit in Conventu Werthensi. Si tranferatur Festum in perpetuum, annuntiatur hoc vel simili modo: *Festum Sancti* vel *Beati N. de quo agitur* v. g. *Idibus Maji.* Si vero transferatur per accidens, dicitur: *Officium Sancti* etc. Ad litteram N. exprimitur nomen et qualitas, quibus Sanctus vel Beatus in Martyrologio designatur.

f) *In fine cujuslibet diei semper additur:* ET ALIBI ALIORUM PLURIMORUM SANCTORUM MARTYRUM ET CONFESSORUM, ATQUE SANCTARUM VIRGINUM; *et respondetur a Choro:* DEO GRATIAS. Attendat Lector ad punctuationem, et vocem non inflectat post SANCTORUM.

11. Absoluta Lectione Martyrologii, Lector, factis Altari et Choro debitis reverentiis, redit ad locum suum; et Hebdomadarius, omnibus stantibus et ad invicem conversis, dicit PRETIOSA etc. ad quod Chorus respondet MORS SANCTORUM EJUS. Deinde Hebdomadarius, sine OREMUS, subdit SANCTA MARIA etc. et Chorus respondet AMEN. Ad ter ab Hebdomadario ingeminatum DEUS, IN ADJUTORIUM etc.

sine signo Crucis, etiam ter Chorus subjungit DOMINE, AD ADJUVANDUM etc. Tum etiam ab omnibus simul dicitur GLORIA PATRI etc. SICUT ERAT etc. KYRIE ELEISON; CHRISTE ELEISON; KYRIE ELEISON. Postea solus Hebdomadarius addit PATER NOSTER: reliqua dicuntur secreto; in fine alta voce dicit ET NE NOS etc. et Chorus respondet SED LIBERA etc. Mox omnes a parte Chori dicunt Versum: RESPICE, et omnes ab altera parte Responsorium: ET SIT SPLENDOR. Eodem modo dicitur GLORIA PATRI etc. Statim Hebdomadarius subjungit OREMUS et Orationem, sub qua omnes stant conversi ad Altare.

12. Responso AMEN, omnes ad invicem convertuntur; sed primus Versicularius, stans parum conversus ad Hebdomadarium, cantat JUBE, DOMNE, BENEDICERE, et corpore profunde inclinatus, accipit Benedictionem, quam Hebdomadarius cantat manibus junctis. Deinde Versicularius erectus, et ad Altare conversus, cantat Lectionem brevem ad Absolutionem Capituli; et dicens TU AUTEM, DOMINE, Altari profunde se inclinat; Choro respondente DEO GRATIAS, Versicularius se convertit ad alios.

13. Postea Hebdomadarius, absque signo Crucis, subjungit ADJUTORIUM etc. ut in Breviario. Ad verba: DOMINUS NOS BENEDICAT omnes caput profunde inclinant, et statim erecti se signant a fronte ad pectus. Verba: FIDELIUM etc. ab Hebdomadario pronuntiantur voce submissiori; et Chorus eodem tono respondet AMEN.

14. Si post primam Officium terminetur, observentur ea, quæ dicta sunt § 1. n. 26. et 27.

15. Ad Tertiam, Sextam et Nonam omnia respective observantur ut ad Primam. Omnes Psalmi intonantur a primo Cantore.

§ 3.

DE VESPERIS ET COMPLETORIO.

1. In Vesperis, quoad Orationem: APERI, DOMINE; DEUS, IN ADJUTORIUM etc. et quoad Antiphonas, Psalmos, Capitulum, Hymnum, etc. observantur ea, quæ supra ad Matutinum et Laudes dicta

sunt. Ad MAGNIFICAT omnes se signant. Quoad Preces, si recitandæ sint, vide § præc. 2. n. 7. quoad Commemorationes § 2. n. 22. et 24. Si post Vesperas terminandum sit Officium, observantur dicta § 1. n. 26. et 27.

2. Si immediate post Vesperas dicendum sit Completorium, tunc dicto FIDELIUM ANIMÆ, et responso AMEN, primus Versicularius, parum conversus ad Hebdomadarium, manibus junctis et corpore profunde inclinatus, dicit JUBE, DOMNE, BENEDICERE; et Hebdomadarius, manibus junctis, recitat NOCTEM QUIETAM etc. Responso a Choro AMEN, Versicularius erigit se, et ad Altare conversus, legit Lectionem brevem: FRATRES etc. ad quam Chorus respondet DEO GRATIAS. Cfr. § præc. 2. n. 12.

3. Ad ADJUTORIUM etc. omnes se signant a fronte ad pectus. Deinde dicitur PATER NOSTER totum secreto; CONFITEOR, MISEREATUR et INDULGENTIAM dicuntur ut in Prima.

4. Postea omnibus ad Altare conversis, Hebdomadarius dicit CONVERTE NOS etc. formans sibi signum Crucis in pectore, uti et omnes reliqui. (cap. I. § 6. n. 3.) Tum dicitur DEUS, IN ADJUTORIUM etc. eo modo et situ, ut in aliis Horis.

5. Primus Versicularius inchoat Antiphonam: MISERERE vel ALLELUJA; primus Cantor intonat omnes Psalmos, post quos totus Chorus simul recitat Antiphonam. Hymnus intonatur a primo Cantore.

6. Hebdomadarius legit Capitulum, et primus Versicularius Responsorium breve, ut § præc. 2. n. 4. et 5. Idem Versicularius inchoat Antiphonam: SALVA NOS; et primus Cantor intonat Canticum: NUNC DIMITTIS, ad quod omnes se signant, et post quod omnes simul recitant Antiphonam. Preces, si dicendæ sint, dicuntur ut § præc. 2. n. 7.

7. Ad verba: BENEDICAT — DOMINUS omnes corpus mediocriter inclinant; et deinde erecti signant se signo Crucis, dum Hebdomadarius pronuntiat verba: PATER ET FILIUS etc. Post Benedictionem responso AMEN, statim legitur aut cantatur (cap. VI. § 1. n. 5.) Antiphona finalis B. M. V. stando vel genuflectendo pro ratione temporis. Vide § 1. n. 30.

8. Post Orationem responso AMEN, Hebdomadarius dicit: DIVINUM

AUXILIUM etc. ut § 1. n. 27. Deinde ab omnibus secreto subjungitur PATER NOSTER, AVE MARIA et CREDO, stando vel genuflectendo, pro modo, quo Antiphona finalis dicta fuit.

9. Deinde dato ab Hebdomadario signo, omnibus stantibus, primus Cantor cantando vel legendo (cap. VI. § 1. n. 5.) inchoat Antiphonam: CŒLORUM CANDOR, quam Chorus stans juxta consuetudinem, prosequitur. Primus Versicularius dicit Versum, et Hebdomadarius Orationem; Orationem; post quam eodem modo subjungiter Antiphona: VOS, SANCTI, cum Versu et Oratione; et in fine dicitur FIDELIUM ANIMÆ etc. ut § 1. n. 25. Postea recitatur Oratio: SACROSANCTÆ etc. ut § 1. n. 28.

10. Demum, diebus quibus non celebrantur Laudes vespertinæ, recitatur Salutatio Angelica hoc modo: Laicus junior pro prima vice ter tintinnat, et secreto ab omnibus, stantibus vel genuflexis, pro ratione temporis, speciali erga divam Virginem devotione dicitur: ANGELUS DOMINI NUNTIAVIT MARIÆ, ET CONCEPIT DE SPIRITU SANCTO; et additur AVE MARIA. Pro secunda vice iterum ter tintinnat, et dicitur: ECCE ANCILLA DOMINI, FIAT MIHI SECUNDUM VERBUM TUUM, et AVE MARIA. Pro tertia denique vice ter tintinnat, et dicitur: VERBUM CARO FACTUM EST, ET HABITAVIT IN NOBIS; et additur AVE MARIA. Deinde ex consuetudine subjungi potest Versus: ORA PRO NOBIS, etc. cum Oratione: GRATIAM TUAM QUÆSUMUS, etc.

Circa modum recitandi Salutationem Angelicam notandum est:

a) Recitanda est stando in Sabbatho de sero, et per totam diem Dominicam, etiam post solis occasum.

b) Aliis diebus semper genuflectendum est, etiam Sabbathis Quadragesimæ in meridie, licet Vesperæ ante meridiem recitentur.

c) Toto tempore Paschali, id est, a Sabbatho sancto in meridie, usque ad meridiem Sabbathi post Pentecosten inclusive, loco ANGELUS DOMINI dicitur semper stando Antiphona: REGINA CŒLI, cum Versu et Oratione.

CAPUT III.

DE DIVINO OFFICIO SOLEMNI ET CANTATO.

§ 1.

DE MATUTINO ET LAUDIBUS.

1. Matutinum solemne, ex privilegio, cum eisdem paramentis canitur, quæ in Vesperis solemnibus præscripta sunt. Omnes se induunt, ad Altare procedunt, et reliqua observant eodem prorsus modo, ac præscribitur infra § 3. a n. 1. usque ad n. 6. vel a n. 26. usque ad n. 28. Assistens vero saltem Diaconus sit.

2. Cum omnes ad loca sua in Choro pervenerint, dicitur more consueto PATER NOSTER, AVE MARIA et CREDO. Quibus finitis, omnes se ad Altare convertunt, et Celebrans, pollice dextro signans sibi labia parvo Crucis signo, omnibus aliis eodem modo labia sibi signantibus, cantat DOMINE, LABIA MEA APERIES. Responso a Choro ET OS MEUM etc. cantat DEUS, IN ADJUTORIUM etc. ut l. c. n. 7.

3. Deinde Cantores, cum reverentiis ut l. c. n. 8. descendunt in medium Chori, ibique ex libro, super legile nudum posito, cantant Invitatorium, quod a Choro repetitur, ac deinceps Psalmum: VENITE, EXULTEMUS. Dum canitur VENITE, ADOREMUS ET PROCIDAMUS ANTE DEUM, omnes utrumque flectunt genu in locis suis; sed Cantores unicum genu sub finem dumtaxat verborum; tum assurgunt, et prosequuntur PLOREMUS CORAM DOMINO etc.

4. Hymnus cantatur ut l. c. n. 13. sed Cantores manent in medio Chori usque ad finem Hymni. Quo finito, Cantores ad Celebrantem cum debitis reverentiis accedunt; et deinceps præintonatio Antiphonarum, intonatio Psalmorum, et cætera eodem modo fiunt ut l. c. n. 8. 9. et 10.

5. Repetita a Cantoribus tertia seu ultima Antiphona in quolibet Nocturno, Versicularii cantant Versiculum ut l. c. n. 14.

6. Quoad PATER NOSTER, Absolutiones, Benedictiones, et Lectiones cantandas eadem respective observantur, quæ de eis legendis

in Officio quotidiano dicta sunt. Responsoria, ad quæ omnes stant, cantantur ut cap. IV. § 2. n. 12.

7. Lectiones primi Nocturni vel cantantur ab uno solo, sicuti in Officio quotidiano leguntur; vel singulæ a singulis, ad hoc specialiter deputatis canuntur. Idem dicendum de Lectionibus secundi Nocturni. Lectio septima et octava vel sola octava cantatur ab Assistente; nona vero seu ultima a Celebrante, qui itaque circa finem ultimi Responsorii, cum Assistente ad legile accedit.

8. Ceroferarii tempestive candelabra sua accendunt, si fuerint extincta, et cum eis sistunt se unus ad latus sinistrum Celebrantis, alter ad latus dextrum Assistentis, ibique stant, candelabra sustinentes, donec Celebrans Lectionem absolverit, Hymnumque: TE DEUM intonaverit.

9. Celebrans, ad digniorem de Choro capite inclinatus, petit ab illo Benedictionem, dicens: JUBE, DOMNE, BENEDICERE, cui dignior, in loco suo remanens respondet AD SOCIETATEM vel PER EVANGELICA DICTA etc. Post Lectionem vero Celebrans Altari profunde se inclinat, dicens: TU AUTEM, DOMINE, etc.

10. Si tamen Celebrans sit Minister Generalis, vel Provincialis in sua Provincia, (absente Generali) aut Custos Regiminis in sua Custodia, Benedictionem immediate petit a Deo, dicens: JUBE, DOMINE, BENEDICERE, et Chorus statim respondet AMEN; et dum hic Superior cantat Lectionem, stant omnes in ejus obsequium detecto capite.

11. Responso a Choro DEO GRATIAS, Celebrans in eodem loco intonat Hymnum TE DEUM; quo intonato, ad locum suum cum Assistente redit, et Ceroferarii candelabra sua reportant.

12. Expleto Hymno, Celebrans continuo incipit Laudes, cantans DEUS, IN ADJUTORIUM etc. Tum vero, quia Laudes omnimodam cum Vesperis similitudinem habent, omnia servantur, quæ de Vesperis solemnibus dicuntur; et incensatio fit ad BENEDICTUS, ad cujus intonationem omnes se signant.

13. Si Matutinum simpliciter cantetur sine apparatu, primus Cantor in loco suo cantat Invitatorium cum suo Psalmo, Choro respondente. Responsoria cantantur eodem modo ut in Matutino

solemni. Cætera vero omnia ab eisdem et eodem in loco intonantur vel cantantur, et repetuntur, ut de eorum recitatione in Officio quotidiano dictum est.

Laudes eodem modo cantantur ut Vesperæ.

§ 2.

DE PRIMA, TERTIA, SEXTA ET NONA.

1. Horæ minores, Prima, Tertia, Sexta et Nona numquam cum apparatu celebrantur.

2. Si quandoque cantentur, Celebrans in loco suo cantat DEUS, IN ADJUTORIUM etc. Capitulum, Orationem, et DOMINUS VOBISCUM ante et post Orationem, ac voce mediocri FIDELIUM ANIMÆ etc.

3. Primus Cantor intonat Hymnum et Psalmos, (exceptis secundo et tertio Primæ, quos secundus cantor intonat) repetit secundam stropham Hymni, Antiphonas, et cantat BENEDICAMUS DOMINO.

4. Primus Versicularius inchoat Antiphonas, et cantat Responsoria brevia, Choro respondente.

Vide etiam cap. VI. § 1. n. 3.

§ 3.

DE VESPERIS ET COMPLETORIO

De Vesperis solemnibus non exposito SS. Sacramento:

1. Hora præstituta ad Sacristiam conveniunt celebrans et omnes Ministri, nempe: Assistens, qui simplex Clericus esse potest, nisi SS. Sacramentum sit exponendum; Cantores, Ceroferarii et Thuriferarius, qui omnes semper adsint, quando Vesperæ celebrantur cum apparatu; Versicularii vero tantum in Festis solemnioribus aderunt.

2. Celebrans induitur Amictu, Alba, Cingulo et Pluviali coloris Officio convenientis; (ex Indulto Apostolico 31. Aug. 1867.) omnes alii superpelliceis tantum induuntur.

De candelis Altaris accendendis vide cap. v. § 9. n. 5. et Part. I. cap. III. § 2. n. 8.

3. Sic induti respective se sistunt ut l. c. § 5. n. 1. Assistens stat a sinistris Celebrantis. Tum factis debitis reverentiis ad Altare procedunt hoc ordine: ante omnes præcedunt Ceroferarii cum candelabris accensis; hos sequitur Thuriferarius sine thuribulo, nisi SS. Sacramentum sit exponendum, quo casu præcedit Ceroferarios; tum Versicularii; deinde Cantores; post eos sequitur Assistens et postremo Celebrans.

Vide etiam dicta l. c. n. 4. 5. et 6.

4. Cum ad Altare pervenerint, Celebrans stans ante medium Altaris, caput inclinat, aut genuflectit, ut ante Missam; Assistens a dextris Celebrantis unum genu flectit in infimo gradu aut in plano. (l. c. n. 7.) Ceroferarii genuflectunt in plano hinc inde a lateribus eorum; Thuriferarius item genuflectit retro post Celebrantem; Cantores vero et Versicularii in gradu Presbyterii.

5. Facta hac reverentia, Ceroferarii statim discedunt ad latera Altaris, ibique candelabra sua cum cereis extinctis super gradu vel plano inferiori deponunt, (nisi SS. Sacramentum sit expositum, tunc enim ea cum cereis accensis super credentiam collocant) Celebrans vero cum Assistente super infimum gradum Altaris genuflexus, parumper orat, dicens interim secreto Orationem: APERI, DOMINE. Similiter Thuriferarius, Cantores et Versicularii, nec non omnes de Choro genuflectunt, facie ad Altare conversa, eamdem Orationem secreto recitantes. De Organo vide cap. VI. § 3. n. 11.

6. Finita hac Oratione, omnes surgunt; omnes de Choro, facta Altari capitis inclinatione, faciem convertunt ad invicem; Celebrans vero cum aliis iterum Altari eamdem reverentiam exhibet, ut supra n. 4. Deinde Ceroferarii vadunt ad prima stalla inferiora; Thuriferarius, Versicularii, et Cantores ad loca sua; (cap. I. § 2.) non tamen ascendunt, sed manent in plano, facie ad invicem conversa, usque dum Celebrans transierit. Celebrans vero, vertens se per suam dextram, cum Assistente a sinistris, per cornu Epistolæ, vadit ad extremam partem Chori, ubi, vertens se per suam sinistram, et facta cum omnibus superpelliceatis debita Altari reverentia,

cum Assistente a dextris, utrimque per capitis inclinationem salutat Chorales, qui ipsum eodem modo resalutant. Tum omnes se sistunt suis locis, et Celebrans ascendit ad locum Hebdomadarii, ubi Assistens ad dextram ejus se collocat, qui ideo ante Celebrantem ascendit, si Chorus sit a parte Epistolæ; si vero Chorus sit a parte Evangelii, Assistens Celebrantem sequitur. Lege etiam cap. I. § 1. n. 7.

7. Deinde omnes corpore profunde inclinati, dicunt secreto PATER NOSTER et AVE MARIA. Quibus finitis omnes ad Altare se convertunt, et Celebrans cum cantu pronuntiat, signans se, DEUS, IN ADJUTORIUM MEUM INTENDE, sinistra infra pectus posita, ac simul verba complet et signum Crucis. Eodem modo omnes alii se signant; Assistens vero interim Celebranti aliquantulum elevat dextrum Pluvialis limbum. Ad GLORIA PATRI Celebrans caput profunde inclinat; cæteri vero omnes inclinant se, ut in Officio quotidiano.

8. Cantato ALLELUJA, vel LAUS TIBI, DOMINE, Cantores e stallis descendunt ad pulpitum, in medio Chori positum, et facta Altari genuflexione, accedentes ad Celebrantem, caput illi inclinant; et primus Cantor submissa quidem, sed intelligibili, voce præintonat illi primam Antiphonam; qua per Celebrantem repetita, iterum ei caput inclinant, et ad pulpitum in medio Chori redeunt. Iterata ibidem genuflexione, et Antiphona finita, primum intonant Psalmum. Notandum hic generaliter: Cantores, priusquam ad intonandum vel cantandum aliquid in medio Chori, e stallis superioribus descendant, si non sit expositum SS. Sacramentum, capitis inclinationem præmittunt ad invicem, quam et renovant, dum postea ad stalla superiora redierunt, caventes, ne terga vertant Altari. In medio autem Chori, in accessu ad pulpitum et in recessu, semper unum flectunt genu, sive SS. Sacramentum sit expositum, sive non.

9. Intonato primo Versu Psalmi, et Cantoribus ad loca sua reversis, omnes sedent. Vide cap. I. § 3. n. 7. Ad GLORIA PATRI, juxta laudabilem Provinciæ consuetudinem, omnes surgunt, et se inclinant, ut n. 7. Deinde stant, usque dum secundus Psalmus fuerit intonatus. Idem ad reliquos Psalmos observetur; excepto Psalmo: LAUDATE DOMINUM OMNES GENTES, ad quem non sedeatur.

Ad verba: SANCTUM ET TERRIBILE NOMEN EJUS; SIT NOMEN DOMINI BENEDICTUM, et similia, sedentes caput profunde inclinant, juxta usum laudabilem, in Ordine nostro receptum.

10. Ad Versum: SICUT ERAT post primum Psalmum, Cantores denuo ad pulpitum in medio Chori descendunt, cum reverentiis, ut supra; ibique repetunt clara voce Antiphonam (dum interim pulsatur Organum, cap. VI. § 3. n. 3.) Antiphona repetita, genuflectunt Altari, et accedunt cum capitis inclinatione ad digniorem Chori; cui primus Cantor præintonat secundam Antiphonam; qua a digniore repetita, Cantores ei iterant inclinationem, et ad medium Chori cum genuflexione revertuntur. Post finem Antiphonæ secundum Psalmum intonant, et facta genuflexione, ad stalla sua recedunt, cum reverentiis ut supra. Ita porro Cantores pergunt, Antiphonas repetendo; istas ordinatim dignioribus, non vero Assistenti, ab utraque parte Chori præintonando; et Psalmos in medio Chori intonando.

11. Circa finem ultimi Psalmi Thuriferarius præparat ignem in thuribulo extra Chorum.

12. Postrema Antiphona post Psalmum repetita, ut n. 10. Cantores manent apud pulpitum, in medio Chori; et, cessante Organo, Celebrans manibus ante pectus junctis, cantat Capitulum.

13. Responso per Chorum DEO GRATIAS, canitur Hymnus. Cantores in medio Chori stantes, cantant primum Versum primæ strophæ tantum, quam Chorus prosequitur. Secunda stropha recitatur a Cantoribus, ut supra; tertia stropha sine intonatione cantatur, et sic alternatim, observatis tamen eis, quæ dicta sunt cap. IV. § 3. n. 10. Si vero ad principium Hymni sit genuflectendum, uti ad VENI CREATOR SPIRITUS, et ad AVE MARIS STELLA, omnibus genuflexis, Cantores stantes cantant hunc primum Versum, et deinde genuflectunt ante pulpitum usque ad finem primæ strophæ. Cfr. cap. I. § 5. n. 4. Ad alias strophas, ad quas est genuflectendum, ut ad O CRUX, AVE SPES UNICA, statim cum aliis genuflectunt, quia prima tantum stropha intonatur. Circa finem Hymni, postquam stropham, quæ ultimo loco ab ipsis recitanda est, recitaverint, cum debitis reverentiis Cantores ad stalla sua redeunt; si nempe adsint

Versicularii, superpelliceis induti; si vero Versicularii superpelliceis induti non sint, Cantores ad pulpitum manent usque ad Antiphonam ad MAGNIFICAT. (n. 15.)

14. Dum Cantores circa finem Hymni recedunt, Versicularii, si superpelliceis sint induti, se sistunt in stallo viciniori, ab Altari remotiori, et facta capitis inclinatione ad invicem, si nempe SS. Sacramentum non sit expositum, descendunt, ad pulpitum, in medio Chori positum, accedunt, ibique unum genu flectunt, sive SS. Sacramentum sit expositum sive non. Dum a Choro cantatur ultima Hymni stropha, glorificativa SS. Trinitatis; (cap. I. § 4. n. 3. lit. *b*) profunde se inclinant versus Altare. Cantato Versiculo, et facta genuflexione ut supra, faciem ad invicem vertentes ad loca sua redeunt, facta reverentia ad invicem ut supra. Vide etiam cap. I. § 1. n. 7. Si vero Versicularii non sint induti superpelliceis, primus Versicularius in loco suo Versiculum cantat.

15. Deinde Cantores, vel e stallis suis, vel e medio Chori secundum supra dicta, cum debitis reverentiis in utrocumque casu, vadunt ad Celebrantem, et primus Cantor illi præintonat Antiphonam ad MAGNIFICAT. Qua repetita, cum eisdem reverentiis ad medium Chori redeunt, ibique Canticum: MAGNIFICAT intonant, et Versus, qui per Organum supplentur, nec non postea Antiphonam clara voce recitant. Qua Antiphona repetita, solitis cum reverentiis ad stalla sua revertuntur.

16. Dum Cantores intonant Canticum: MAGNIFICAT, omnes se signant signo Crucis; (cap. I. § 6. n. 2. lit. *d*) et Celebrans descendit in planum cum Assistente, qui ipsum præcedit, vel sequitur, prout Chorus est a parte Evangelii vel Epistolæ. Facta in plano Chori, ut supra n. 6. Altari et Choro reverentia, Celebrans cum Assistente a sinistris, per cornu Evangelii procedit ad Altare.

17. Descendente Celebrante in planum Chori, (n. 16.) descendunt etiam Ceroferarii e stallis suis, et aderit quoque Thuriferarius cum thuribulo, ad latus alterutrius Ceroferariorum, ut cum Celebrante debitam exhibeant reverentiam, et eum ad Altare præcedant.

18. Cum ad Altare pervenerint, omnes eidem reverentiam faciunt, ut in primo accessu. Qua facta, Celebrans cum Assistente

ad Altare ascendit, ascendentibus etiam post ipsos Thuriferario cum thuribulo, et primo Ceroferario cum navicula incensi. Celebrans osculatus Altare in medio, et facta genuflexione ab Assistente, imponit et benedicit incensum in thuribulo, atque incensat Altare sicut initio Missæ, dicendo interim MAGNIFICAT, juxta laudabilem consuetudinem. Assistens in omnibus se gerit uti Diaconus, ministrando naviculam, tradendo thuribulum, et dextrum Pluvialis limbum elevando. Thuriferarius infra incensationem vices gerit Subdiaconi, elevando Pluvialis limbum sinistrum. Ceroferarii vero manibus junctis stant immobiles hinc inde ante infimum gradum Altaris.

19. Peracta incensatione, Celebrans, stans in cornu Epistolæ, thuribulum tradit Assistenti, et hic Thuriferario. Mox Celebrans cum Assistente redit ad medium Altaris, caput Cruci inclinat, Assistente a dextris ejus genuflectente, ac in planum descendit, ubi iterata ab omnibus reverentia ut in accessu, ad Chorum redeunt ut n. 6. Thuriferarius vero progreditur usque ad extremam partem Chori, ubi se sistit ad dextram Assistentis, sed paulo post ipsum. Assistens cum Celebrante non ascendit, sed, accepto thuribulo, stans in plano Chori, triplici ductu incensat Celebrantem, stantem in loco suo. Deinde thuribulo reddito, et facta genuflexione Altari, ad locum suum ascendit. Postea Thuriferarius incensat Chorum, ut Part. I. cap. III. § 13. n. 19. nempe 1° Prælatum vel Prælatos; 2° Assistentem; 3° Cantores; 4° Versicularios, si superpelliceis sint induti, qui idcirco se cum debitis reverentiis ad latera Cantorum conferunt, dum Celebrans Altare incensat; 5° omnes Religiosos ut dictum est l. c. ad lit. *f*) comprehensis Ceroferariis; et 6° populum. Postea Thuriferarius thuribulum reportat in locum extra Chorum. Si ad Versum GLORIA PATRI incensatio nondum fuerit absoluta, ab illa cessatur, et Thuriferarius se inclinat ut alii; deinde cæteris in Choro omissis, incensat populum.

20. Antiphona repetita, (n. 15.) Celebrans manibus junctis cantat DOMINUS VOBISCUM; OREMUS, etc.

21. Si faciendæ sint Commemorationes speciales, primus Cantor, in loco suo remanens, intonat Antiphonas, eodem modo primus Versicularius cantat Versiculos, et Celebrans Orationes.

22. Cantato DOMINUS VOBISCUM post Orationem, Cantores et Versicularii, si sint induti, debitis cum reverentiis, vadunt ad pulpitum in medio Chori, et ibi solemniter cantant BENEDICAMUS DOMINO. Suppleto per Organum DEO GRATIAS, (cap. VI. § 3. n. 12.) Celebrans voce mediocri subdit FIDELIUM ANIMÆ etc.

23. Commemorationes communes, seu Suffragia Sanctorum numquam cantantur, sed in tono Psalmodiæ recitantur, eodem prorsus Ritu, ut in Officio quotidiano. (cap. II. § 1. n. 24.)

24. Si Completorium, in tono Psalmodiæ recitandum, immediate subsequatur, Celebrans, dicto FIDELIUM ANIMÆ etc. cum Assistente, Cantoribus, Versiculariis indutis, et Thuriferario, si jam sit reversus, et Ceroferariis, qui interim candelabra sua accenderunt, facit Altari et Choro reverentiam, atque accedit ante infimum gradum Altaris, ibique exhibita reverentia ut in primo accessu, cum omnibus supradictis ad Sacristiam revertitur modo quo venit,

25. Si vero Completorium a Vesperis disjungatur, Celebrans eodem loco, ubi cantavit Orationes, dicto secreto PATER NOSTER, ac in fine mediocri voce DOMINUS DET NOBIS SUAM PACEM, incipit sine cantu Antiphonam finalem B. M. V. genuflexus vel stans pro ratione temporis, et in fine dicit eadem voce Versiculum, quo dicto, surgit et stans dicit Orationem, et DIVINUM AUXILIUM etc. Postea dicta Oratione: SACROSANCTÆ, accedit ad Altare ut supra.

De Vesperis solemnibus coram SS. Sacramento exposito.

26. Si Vesperæ, solemnes cantentur coram SS. Sacramento exposito, Celebrans præter indumenta supra n. 1. enumerata, insuper induit Stolam ante pectus plicatam, sive Sanctissimum ante Vesperas sit exponendum, sive jam expositum sit. Assistens vero, qui saltem Diaconus sit, tantum in primo casu Stolam adhibet.

27. Si SS. Sacramentum sit exponendum, omnia respective observentur, qnæ dicta sunt Part. I. cap. VI. § 9. Stolam Assistentis primus Ceroferarius super credentiam deponit. Post incensationem SS. Sacramenti, dicta secreto Oratione: APERI, DOMINE, (n. 5.) omnes surgunt, et facta genu utriusque flexione in plano, vadunt

ad loca sua, ut supra n. 6. attamen sine Chori salutatione, quæ, exposito SS. Sacramento, semper omittitur. Sub Psalmis minime sedeatur.

28. Si vero SS. Sacramentum jam expositum sit, in accessu ad Altare omnes utrumque genu flectunt in plano, et dicta super infimum gradum Oratione: APERI, DOMINE, repetunt utriusque genu flexionem in plano, et vadunt ad loca sua, ut supra.

29. Ad MAGNIFICAT ad Altare procedunt ut alias; et facta ibi in plano ab omnibus utriusque genu flexione, Celebrans cum Assistente ad Altare ascendit, ut supra n. 18. Celebrans osculatus Altare, cum Assistente genuflectit, ac deinde thus imponit et Altare incensat, uti dictum est Part. I. cap. VI. § 11. n. 5. 6. et 7. et supra n. 18.

30. Altari thurificato, Celebrans non descendit, sed reddito in cornu Epistolæ thuribulo Assistenti, deinde Thuriferario, cum Assistente redit ad medium Altaris, ibi genuflectunt, et obliquo latere, ut l. c. n. 19. descendunt in planum. Tum peracta ab omnibus genu utriusque flexione in plano, ad Chorum revertuntur; et fit incensatio Celebrantis et aliorum more solito, omittendo tamen salutationes.

31. Vesperis absolutis, vadunt ad Altare, genu utrumque flectunt in plano, et ad Sacristiam revertuntur, nisi SS. Sacramentum sit reponendum.

De Vesperis simpliciter cantatis.

32. In Vesperis simpliciter cantatis seu sine apparatu recitatur Oratio: APERI, DOMINE, ut ante Officium quotidianum.

33. Hebdomadarius in loco suo, ante pulpitum suum, cantat ea, quæ in Officio quotidiano ibidem legit, excipitur tantum BENEDICAMUS DOMINO, juxta consuetudinem.

34. Cantores, in locis suis remanentes, alternatim intonant Antiphonas (si Officium sit Semiduplex, Versicularii eas inchoant) et Psalmos. Ibidem primus Cantor intonat Hymnum, (ut n. 13.) Canticum: MAGNIFICAT, et cantat BENEDICAMUS DOMINO: item repetit

primam, tertiam et quintam Antiphonam post Psalmos, (etiam in Semiduplici) strophas Hymni, Versus Cantici: MAGNIFICAT, et Antiphonam post illud. Secundus Cantor repetit secundam et quartam Antiphonam post Psalmos. Primus Versicularius in loco suo cantat Versiculum. De Commemorationibus specialibus et communibus vide supra n. 21. et 23.

35. Sub Psalmis omnes sedent ut n. 9. Si vero SS. Sacramentum sit expositum, non sedeatur.

De Completorio solemni.

36. Ubi Vesperæ non decantantur, Completorium solemne, ex privilegio, cum eisdem paramentis canitur, quæ in Vesperis solemnibus præscripta sunt. Cfr. § 1. n. 1.

37. Omnibus in proprio loco stantibus, et signo dato a Celebrante, primus Cantor absolute incipit in tono Lectionum JUBE, DOMNE, BENEDICERE, cui Celebrans respondet NOCTEM QUIETAM etc. Dicto a Choro AMEN, idem Cantor prosequitur FRATRES, SOBRII ESTOTE etc. Tum responso per. Chorum DEO GRATIAS, Celebrans gravi voce subdit ADJUTORIUM NOSTRUM. Deinde ab omnibus dicitur PATER NOSTER totum secreto; et Confessio fit more solito, et in tono Psalmodiæ.

38. Confessione absoluta, Celebrans cantat CONVERTE NOS, et deinde DEUS, IN ADJUTORIUM, omnibus se signantibus more solito.

39. Antiphona: MISERERE vel ALLELUJA Celebranti præintonatur ut supra n. 8. Primus Psalmus intonatur a Cantoribus in medio Chori, reliqui vero Psalmi a solo primo Cantore in loco suo stante. Sub Psalmis omnes sedent, ad GLORIA PATRI surgentes, ut supra n. 9.

40. Ad Versum: SICUT ERAT post ultimum Psalmum Cantores descendunt in medium Chori, ibique repetunt Antiphonam, ut supra n. 10. Deinde cantant primum Versum Hymni; et secundam stropham repetunt. Cantato per Celebrantem Capitulo, Cantores, adhuc in medio Chori stantes, cantant Responsorium breve. Quo finito, Celebranti præintonant Antiphonam: SALVA NOS, intonant Canticum: NUNC DIMITTIS, ac hujus Versus et Antiphonam in fine repetunt.

Dum hoc Canticum intonatur, omnes se signant, ut ad MAGNIFICAT; nulla tamen fit incensatio.

41. Dicta Antiphona, itemque Precibus, (si dicendæ sint) Celebrans cantat DOMINUS VOBISCUM, Orationem, et iterum DOMINUS VOBISCUM. Deinde Cantores, qui post repetitam Antiphonam ad stalla sua redierant, descendunt in medium Chori, et cantant BENEDICAMUS DOMINO. Quo facto, et repetito DEO GRATIAS, ad stalla sua redeunt, et Celebrans mediocri voce subdit BENEDICAT etc.

42. Denique cantatur vel legitur Antiphona finalis B. M. V. etc. prout dictum est cap. II. § 3. n. 7. 8. et 9. et locis ibidem citatis.

De Completorio simpliciter cantato.

43. Si Completorium simpliciter, seu sine apparatu cantetur, primus Versicularius in loco suo cantat JUBE, DOMNE BENEDICERE, et Lectionem brevem: FRATRES, SOBRII ESTOTE etc. inchoat Antiphonam: MISERERE vel ALLELUJA et SALVA NOS, atque cantat Responsorium breve.

44. Primus Cantor in loco suo intonat omnes Psalmos, Hymnum et Canticum: NUNC DIMITTIS; ibidem repetitit ea, quæ in Completorio solemni repetenda sunt, et etiam in loco suo cantat BENEDICAMUS DOMINO. Reliqua fiunt ut supra.

§ 4.

DE OBSERVANDIS IN QUIBUSDAM PARTICULARIBUS FESTIVITATIBUS.

I. De Vigilia, nocte et die Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi.

1. In Vigilia Nativitatis Dominicæ, dum in Choro dicitur Prima, aliquis Sacerdos, ad hoc in tabula scriptus, in Sacristia super Amictum et superpelliceum, (absque Stola) induitur Pluviali violaceo, et dum dicitur Capitulum, præcedentibus Thuriferario cum thu-

ribulo et navicula, atque Ceroferariis cum candelabris accensis, e Sacristia, manibus ante pectus junctis, recta via procedet ad legile seu pulpitum in medio Chori, ubi Martyrologium cantari solet, præparatum, et panno violaceo contectum.

2. Ibidem facie versa ad Altare, se constituunt Ceroferarii, tenentes candelabra, hinc inde ad latus Sacerdotis; Thuriferarius vero a tergo ejus, sed parum a dextris. Mox facta ab omnibus Altari per genuflexionem et deinde Choro per capitis inclinationem, consueta reverentia, Sacerdos ipsemet imponit et benedicit more solito incensum in thuribulo, naviculam ministrante Thuriferario et dicente: BENEDICITE, PATER REVERENDE. Ceroferarii vero post factam reverentiam, ut supra, candelabra tenentes elevata, stant facie versa ad Altare.

3. Deinde Sacerdos accepto thuribulo, ter sine capitis inclinatione incensat Martyrologium; Thuriferarius vero interim dextram Pluvialis fimbriam elevat, et postea recepto thuribulo, redit ad locum pristinum.

4. Dicto a Choro DEO GRATIAS, omnibusque stantibus capite detecto, Sacerdos, quin se ipsum aut librum signet, absolute cantat Martyrologium, manibus ante pectus junctis, eo modulamine vocis, quod in capite Martyrologii, ante diem primam Januarii, notatur, incipiens: OCTAVO KALENDAS JANUARII, LUNA N.

5. Ad verba: IN BETHLEHEM JUDÆ vocem elevat, statimque omnes, præter ipsum Cantorem et Ceroferarios, genu utrumque flectunt, facie ad medium Chori, conversa: postea altiori et solemniori tono, qui dicitur Passionis, subdit: NATIVITAS D. N. J. C. SECUNDUM CARNEM, ad quæ verba omnes genuflexi caput profunde inclinant. His autem verbis cantatis, etiam ipse Cantor et Ceroferarii, depositis candelabris, genuflectunt, et caput inclinant; sicque omnes genuflexi et inclinati permanent per spatium circiter unius PATER NOSTER.

6. Quo peracto, Sacerdos simul cum aliis facta prius Altari et deinde Choro reverentia ut supra, eo ordine, quo venit, ad Sacristiam revertitur. In Choro autem ad reliquam Martyrologii lectionem, quæ, ut moris est, canitur a primo Versiculario, omnes sedent.

7. Ob defectum Sacerdotis, apti ad Martyrologium hodie solemniter cantandum, ad hoc munus obeundum deputari potest Diaconus, vel etiam simplex Clericus; qui, ut supra indutus, omnia supra dicta peragit, excepta tantummodo thuris Benedictione.

8. Missa Conventualis hujus Vigiliæ cantari debet post Nonam, in paramentis violaceis, et Ministri sacri induunt Dalmaticam et Tunicellam. Si Vigilia hæc occurrat in Dominica, Missa dicitur post Tertiam, et Ministri etiam induuntur ut supra. Vide Part. I. cap. III. § 1. n. 4. Ibid. § 14. n. 18. et ibid. cap. IV. § 11. n. 12.

9. In nocte Nativitatis Domini, excitatis tempestive Fratribus, et datis tribus campanæ pulsibus consuetis, ita inchoandum est Matutinum atque protrahendum, ut, audita hora duodecima, Missa possit inchoari.

10. Si Matutinum solemniter celebretur, duo adsint Assistentes, quos Diaconatu saltem insignitos et Amictu, Alba ac Pluviali indutos esse oportet. Horum secundus decantat septimam Lectionem in loco consueto; et (ex immemorabili Ordinis nostri consuetudine, a sancta Sede approbata 19. Sept. 1867.) ad latus ejus hinc inde adstabunt cum intorticiis duo Clerici, superpelliceis iuduti. Primus Assistens cantat octavam Lectionem, eique adstabunt quatuor Clerici cum intorticiis. Celebrans cantat nonam Lectionem, eique hinc inde adstabunt duo Assistentes, sex Clerici cum intorticiis, et duo Ceroferarii cum candelabris accensis.

11. Post nonam Lectionem Clerici intorticia in locum congruum deponunt; et Celebrans intonat Hymnum: Te Deum, ut alias in Matutino solemni.

12. Hymno absoluto, Celebrans cantat Dominus vobiscum, Orationem et iterum Dominus vobiscum. Deinde duo Cantores in medio Chori cantant Benedicamus Domino. Responso autem per Chorum Deo gratias, Celebrans non subdit Fidelium etc. sed cum suis Assistentibus et Ceroferariis, factis reverentiis, ad Sacristiam redit, ubi sacra paramenta assumuntur pro Missa. Chorus interim sedet, et campanæ festive pulsantur.

13. Post Missam absolute dicuntur Laudes.

14. [illegible] hujus diei vide Part. I. cap. IV. § 6.

II. De ultimo triduo hebdomadæ sanctæ.

1. In Altari sex tantum statuuntur candelabra cum cereis flavi coloris. Si ibi adsit SS. Sacramentum, alio est deferendum et postea reponendum, prima scilicet tantum die. Cfr. dicta *De Cœna Domini* n. 25. et *De Sabbatho Sancto* n. 44.

2. A latere Epistolæ, ubi solet illam cantare Subdiaconus, collocandum est candelabrum triangulare cum quindecim cereis flavi pariter coloris, qui sicut et cerei Altaris ante Officium accenduntur a Fratre laico, ad hoc deputato.

3. Dato a Præside signo, ab omnibus dicitur secreto PATER NOSTER, AVE MARIA et CREDO. Deinde ab Officiatore repetito signo, incipitur Officium ab Antiphona primi Psalmi, sub qua, uti et in initio omnium Horarum hujus tridui, omnes se signant sìgno Crucis. (cap. I. § 6. n. 2. lit. *e*)

4. Sub hoc Officio nullus indutus sit superpelliceo, aut aliquo vestimento sacro.

5. Antiphonæ et Psalmi a Cantoribus, in locis suis remanentibus, inchoantur eodem ordine, quo dictum est in Officio quotidiano. Versicularii etiam eodem modo cantant Versiculos.

6. Sub Psalmis omnes sedent, divinamque Psalmodiam alterne prosequuntur cantu Gregoriano, quin fas sit Organum, aliudve instrumentum musicum in hisce luctuosis Officiis admitti.

7. In fine cujusque Psalmi tam Nocturnorum quam Laudum aliquantulum vox inflectitur; et per eumdem Fratrem laicum (n. 2.) extinguitur una candela candelabri triangularis, incipiendo ab ea; quæ in latere Evangelii infima est; deinde alia a latere Epistolæ, et sic successive alternatim, præter illam, quæ est in vertice.

8. Dum post Versiculum ab omnibus secreto dicitur PATER NOSTER, Lectiones cantaturi, solitis cum reverentiis Altari et Choro (vide tamen n. 15.) ad legile nudum accedunt. In principio non petitur Benedictio, nec in fine additur TU AUTEM DOMINE, sed ad ultima verba parum vox inflectitur. Postea iteratis reverentiis Lectionarii ad loca sua recedunt.

9. Nocturnis continuo subjiciuntur Laudes. *Interim dum dicitur*

Canticum: BENEDICTUS, quod tractius et solemnius cantatur quam Psalmi, ***extinguuntur paulatim sex candelæ positæ a principio supra Altare***, incipiendo ab ea, quæ est remotior a Cruce ad cornu Evangelii, tum ad latus Epistolæ, et sic successive, ***ita ut*** post quoslibet binos Versus Cantici una, ***in ultimo*** vero ***Versu***, ***extinguatur ultima candela; similiter extinguuntur lampades et luminaria***, si quæ sint, ***per Ecclesiam***, præterquam in Altari, ubi repositum est SS. Sacramentum.

10. Cum repetitur Antiphona post BENEDICTUS, Frater laicus (n. 2.) removet ex vertice candelabri triangularis cereum, eumque ardentem manu dextra sustinet super mensam Altaris in cornu Epistolæ; et cum inchoatur CHRISTUS FACTUS EST, illum accensum adhuc abscondit retro sub Altari, ita ut lumen nullo modo appareat; et omnes genuflectunt.

11. Finito CHRISTUS FACTUS EST, dicitur ab omnibus secreto PATER NOSTER; quo dicto et dato ab Officiatore signo, primus Cantor, flebili ac demissa voce, absolute incipit Psalmum: MISERERE, quem Chorus eodem tono alternatim prosequitur usque in finem.

12. Finito Psalmo, Officiator, genuflexus permanens, capite paulum inclinato, eodem tono pronuntiat Orationem, omissis DOMINUS VOBISCUM et OREMUS: cum dicit TORMENTUM, vocem parum deprimit; et conclusio: QUI TECUM etc. ab omnibus dicitur secreto.

13. Oratione finita, Officiator manu scabellum vel librum percutiens nonnihil fragoris excitat, qui a cæteris quoque modeste augetur per spatium unius PATER NOSTER, donec scilicet Laicus cereum accensum, qui fuerat absconditus, in medium proferat. Quo perlato, continuo cessandum est a strepitu; et statim dato a Præside signo, surgunt omnes, ac in silentio discedunt. Statim ac omnes discesserunt, extinguitur cereus.

14. Si ob aliquam causam totum Matutinum cantari nequeat, tunc cantetur saltem primum Nocturnum et Canticum: BENEDICTUS. Verum si neque id præstari possit, sacra Psalmodia solito tractius et majori cum pausa persolvetur, nec non cum modica vocis inflexione in fine Antiphonarum, Psalmorum etc. Ritus vero cereos Altaris et trianguli extinguendi, ac abscondendi ultimam candelam

illamque producendi post tantillum strepitus, omnino ut supra servandus est.

15. Hic animadverti opus est, Feria sexta in Parasceve ab Adoratione Crucis usque ad Nonam Sabbathi sancti non esse exhibendas Choro solitas inclinationes.

§ 5.

DE PRIVATA DIVINI OFFICII RECITATIONE.

1. Privata Divini Officii recitatio fieri potest sine vel cum socio.

2. Curent Fratres, Divinum Officium privatim recitantes, religiose observare Crucis signa, genuflexiones et inclinationes ad GLORIA PATRI, nomina JESU, MARIÆ et Sancti, cujus fit Officium aut specialis Commemoratio. Vide etiam, quæ dicit S. Bonaventura, *Spec. Disc.* Part. I. Cap. XVI. et Part. II. Cap. I.

3. In privata recitatione nihil est omittendum vel immutandum, præterquam quod præceptum est. Eapropter, etiamsi solus Officium recitet, dicere debet DOMINUS VOBISCUM, et sibimetipsi respondere ET CUM SPIRITU TUO. Clericus tamen non Diaconus, imo vero et Diaconus, præsente Sacerdote, (nisi hic aliter permiserit) prædicta salutatione uti non potest, sed ejus loco dicit DOMINE, EXAUDI ORATIONEM MEAM et ℟. ET CLAMOR MEUS AD TE VENIAT. Quando autem occurrunt preces, quarum ultimus Versus est: DOMINE, EXAUDI etc. tunc iste Versus non debet bis dici, sed sufficit dictus in precibus. Lectionibus quoque præmittendum est JUBE DOMNE, non DOMINE, BENEDICERE.

4. Solus recitans Officium semel tantum dicit CONFITEOR et MISEREATUR; ac omittere debet verba: TIBI PATER, TE PATER; VOBIS FRATRES et VOS FRATRES; et dicet: MISEREATUR NOSTRI. . . . ET DIMISSIS PECCATIS NOSTRIS, PERDUCAT NOS etc.

5. In privata Divini Officii recitatione cum uno vel pluribus sociis, unusquisque secreto dicit, quæ in Officio publico secreto dicuntur. CONFITEOR et MISEREATUR alternatim recitari possunt, ut in Choro, nihil mutando, licet duo Clerici, non Sacerdotes,

simul recitent: sed potest etiam quilibet separatim secreto ea recitare, omissis et mutatis verbis, ut dictum est n. 4. Alternatim quoque, ut in Choro, debent persolvi Hymni, Antiphonæ, Psalmi, Cantica, Invitatorium, Responsoria, Preces, Antiphona B. M. V. etc. ita ut perfectum Chorum efficiant; neque enim fas est, ut, si v. g. fuerint tres, qui simul recitant, unus pronunciet primum Versum Psalmi, alter secundum, tertius autem tertium; neque ut unus integrum legat Psalmum et alter alium. Lectiones debito ordine dicendæ sunt a singulis; et unus ex ipsis munus Hebdomadarii exerceat. Advertendum denique est, oportere ut simul recitantes se mutuo ac distincte audiant, caveantque ne quis umquam recitare incipiat, antequam alter integre absolverit.

6. In omni privata recitatione Officii, Antiphona finalis B. M. V. addenda est ex præcepto, dumtaxat in fine Laudum, si tunc intermittatur Officium; secus in fine ultimæ Horæ. In fine vero Completorii semper est addenda, etiamsi Matutinum sequentis diei subsequatur.

7. Quoad Officium, recitandum ab iter agentibus et hospitibus vide Rubr. pecul. Brev. nostri n. 152. et seqq.

CAPUT IV.

DE OFFICIIS ADDITITIIS.

§ 1.

DE OFFICIO PARVO B. MARIÆ VIRGINIS.

1. *Officium parvum Beatæ Mariæ non dicitur, quando fit Officium novem Lectionum* etc. Multiplicatis itaque hujusmodi Officiis, unica tantum remansit dies Ferialis, videlicet Feria quarta Cinerum, in qua apud Nos Officium parvum B. M. V. ex præscripto Rubricarum in Choro est recitandum; nempe Matutinum cum Laudibus,

Prima, Tertia, Sexta et Nona tantummodo; nam Vesperis et Completorio locus non datur.

2. Dum hoc Officium in Choro recitatur, Matutinum cum Laudibus præponitur Officio diei, hoc modo: dictis PATER NOSTER, AVE MARIA et CREDO, recitatur Matutinum (id est, unum Nocturnum, scilicet tertium, Feria IV.) cum Laudibus B. M. V. usque ad BENEDICAMUS DOMINO; quo dicto, absolute (hoc est, prætermissis PATER, AVE et CREDO) inchoatur Matutinum Officii diei, a Versu: DOMINE LABIA MEA etc. Horæ vero minores Officio diei postponuntur, hoc modo: Prima Officii parvi dicitur post BENEDICAMUS DOMINO Officii diei, antequam cantatur Martyrologium; non præmittitur AVE MARIA; nec in fine additur FIDELIUM ANIMÆ; sed statim post BENEDICAMUS DOMINO cantatur Martyrologium.

3. Tertia, Sexta et Nona B. M. V. inchoantur etiam absolute (nempe absque AVE MARIA) post BENEDICAMUS DOMINO cujuslibet Horæ Officii diei.

4. Officium parvum B. M. V. eodem modo ac Ritu recitatur ac Officium diei. KYRIE ELEISON, CHRISTE ELEISON, KYRIE ELEISON, post quamlibet Horam, recitatur ab utroque Choro simul. Post Orationem additur DOMINUS VOBISCUM; BENEDICAMUS DOMINO; et etiam Versus: FIDELIUM ANIMÆ, qui tantum omittitur post Laudes et Primam. Etiam omittitur post Vesperas; sed, ut dictum est, apud Nos locum non habent.

5. Extra Chorum recitandi Officium parvum B. M. V. nulla datur obligatio, juxta Bullam S. Pii V. Breviario præfixam, quæ incipit: QUOD A NOBIS POSTULAT.

§ 2.

DE OFFICIO DEFUNCTORUM.

1. Pro Officio Defunctorum, prima cujusque mensis die, aut Feria secunda cujuslibet hebdomadæ, juxta Rubricam, huic Officio in Breviario præfixam, recitando, ob multiplicata Officia novem Lectionum, nulla dies libera remansit.

2. Præter Officium Defunctorum, in die Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum, etiam privatim de præcepto persolvendum, quinque a Nostratibus Officia pro Defunctis debent quotannis persolvi: scilicet quatuor, quæ dicuntur generalia, et unum quod generalissimum vocatur. Pro quibus Defunctis, et quanam die hæc quinque Officia persolvenda sint, dicunt Rubr. pecul. Brev. n. 214. et seqq.

3. Quinque hæc Officia extra Chorum non obligant; valde tamen convenit, ut ab iis etiam, qui Choro forte non intersunt, recitentur. Ibid. n. 216.

4. De Officio, persolvendo pro Fratre defuncto vide ibid. n. 217. et Stat. Prov. Cap. IX.

5. Officium Defunctorum *in Choro dicitur post Officium diei, id est, Vesperæ post Vesperas, et Matutinum post Laudes diei, nisi alia sit consuetudo Ecclesiarum.* Sex itaque Officia, supra n. 2. enumerata, in Choro cantentur vel legantur hoc ordine: Vesperæ post Vesperas diei; Matutinum vero cum Laudibus post cœnam vel collationem vespertinam, præmisso brevi examine conscientiæ et recitatis Litaniis Lauretanis. Vide infra n. 12.

6. Expletis secundis Vesperis Festi, quod præcedit diem Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum, usque ad BENEDICAMUS DOMINO inclusive, Officiator cum Ministris, si sint induti, ad Sacristiam recedit, sacras vestes depositurus. Interim Chorus sedet, atque confestim ornamenta lætitiæ amoventur; et Altare tumulusque præparantur, ut in Missa et Absolutione pro Defunctis dictum est. Hoc Officium et alia supra n. 2. enumerata celebrentur absque vestibus sacris. Vide etiam cap. v. § 9. n. 6.

7. Omnibus dispositis, absolute inchoantur Vesperæ Defunctorum, ab Antiphona: PLACEBO DOMINO; Cantores, in locis suis remanentes, intonant Antiphonas et Psalmos alternatim.

8. Primus Versicularius in loco suo cantat Versum. Deinde primus Cantor intonat Antiphonam ad MAGNIFICAT; quam Chorus more solito complet; et illa finita, idem Cantor intonat MAGNIFICAT, sub quo omnes stant.

9. Deinde repetita Antiphona, omnes genuflectunt, excepto Offi-

ciatore, qui stans, manibus junctis, in tono feriali cantat PATER NOSTER, quod cum aliis secreto prosequitur genuflexus. Postea eodem tono dicitur ET NE NOS etc. cum aliis Versiculis, ut in Breviario, respondente Choro. Responso ET CLAMOR MEUS etc. solus Officiator surgit, et dicit eodem tono DOMINUS VOBISCUM, et Orationem cum longiori conclusione. Responso a Choro AMEN, subdit REQUIEM ÆTERNAM etc. et deinde primus Cantor, stans in loco suo, cantat REQUIESCANT IN PACE. ℟. AMEN. Mox absolute dicitur Completorium diei.

10. Matutinum Defunctorum etiam absque vestibus sacris celebretur, accensis tamen candelis Altaris et circum tumulum. Vide supra n. 6. et loc. ibid. cit.

11. Absolute incipitur ab Invitatorio cum suo Psalmo, quod primus Cantor, stans in loco suo, cantat, Choro respondente. Cantores, in locis suis remanentes intonant Antiphonas et Psalmos alternatim.

12. Post tertiam Antiphonam Versicularius cantat Versum, et omnes profunde inclinati recitant secreto PATER NOSTER. Deinde dato ab Officiatore signo, omnes sedent, et Lectionarius, qui solitis cum reverentiis ad legile accessit, incipit Lectionem absque Absolutione, Benedictione et Titulo, neque in fine addit TU AUTEM, DOMINE, sed vocem aliquantulum inflectit. Responsoria, sub quibus omnes stant, intonantur, in primo et tertio Nocturno, a primo Cantore, et pars Chori cum ipso prosequitur usque ad Versum, qui cantatur ab altera parte Chori; deinde pars Chori resumit partem Responsorii. In secundo Nocturno intonantur a secundo Cantore et pars Chori cantat Versum.

13. Ultimo Responsorio finito, Laudes absolute inchoantur ab Antiphona: EXULTABUNT DOMINO, et eodem Ritu persolvuntur ac Vesperæ. Quando vero Matutinum a Laudibus separatur, (si v. g. Matutinum vespere, et Laudes mane ante Missam solemnem persolverentur) tunc post ultimum Responsorium dicitur PATER NOSTER, cum Precibus et Oratione, quæ in fine Laudum dicendæ sunt; addito etiam laudabilius Psalmo: DE PROFUNDIS, dum nempe iste Psalmus in fine Laudum dicendus est.

14. Si Officium Defunctorum dicitur sine cantu, Antiphonas omnes alternatim legunt Cantores stantes, ut in Officio quotidiano. Idem respective dicendum de Versiculis, et Responsoriis post Lectiones. Totus Chorus sedet, in Vesperis, ab incepto primo Psalmo usque ad MAGNIFICAT; in Matutino et Laudibus sedent omnes ab ipso primo Psalmo Matutini usque ad Canticum: BENEDICTUS; et surgunt tantummodo ad Versum post quodlibet Nocturnum, ut profunde inclinati recitent secreto PATER NOSTER.

15. Juxta supra dicta cantantur vel leguntur etiam quinque Officia, de quibus dictum est n. 2.

16. Ultimo notandum est:

a) Quando pro uno Defuncto fit Officium, tunc Versus cum suis Responsoriis, qui immediate ante Orationem recitantur, dicendi sunt in numero singulari, nempe: ℟. ERUE, DOMINE, ANIMAM EJUS, et sequens ℣. REQUIESCAT IN PACE. Idem dicendum de eis, qui immediate sequuntur Orationem, nempe: ℣. REQUIEM ÆTERNAM DONA EI DOMINE. ℟. ET LUX PERPETUA LUCEAT EI. ℣. REQUIESCAT IN PACE. Reliqua vero omnia dicuntur prout jacent, sive pro uno sive pro pluribus recitentur.

b) Oratio semper terminatur sub longiori conclusione, nisi statim subsequatur Missa de Requiem, vel Absolutio ad tumulum; nam tunc adhibetur conclusio brevis, et etiam omittuntur Versus cum Responsoriis post Orationem.

c) Juxta Rubricas nostras peculiares, post ultimum REQUIESCAT vel REQUIESCANT IN PACE, adjungitur Versiculus: ANIMA EJUS vel ANIMÆ EORUM ET ANIMÆ OMNIUM FIDELIUM DEFUNCTORUM PER MISERICORDIAM DEI REQUIESCANT IN PACE. ℟. AMEN. Hic Versiculus tantum omittitur, quotiescumque Officium recitatur in suffragium omnium Defunctorum universalis Ecclesiæ. Vide Rubr. pecul. n. 235.

§ 3.

DE PSALMIS GRADUALIBUS, PŒNITENTIALIBUS, LITANIIS ALIISQUE PRECIBUS.

1. *Psalmi Graduales* (de quibus idem dicendum, quod dictum

est de Officio parvo B. M. V. § 1. n. 1.) *dicuntur..... in Choro ante Matutinum diei* et Officii parvi B. M. V. Recitantur voce depressa et quidem licite Feria tertia post Completorium. Vide S. R. C. Decretum. 7. Sept. 1850. ad 1.

2. Omnes Psalmi Graduales recitentur stando, juxta consuetudinem. Primus Cantor absolute incipit Psalmum: AD DOMINUM, CUM TRIBULARER, et reliqui quatuor vicissim inchoantur ab ea parte Chori, in qua præcedens Psalmus non desierit. (Cfr. cap. II. § 1. n. 10.) Isti quinque primi Psalmi dicuntur sine GLORIA PATRI, sed in fine ultimi dicitur REQUIEM ÆTERNAM. Deinde dicuntur flexis genibus PATER NOSTER, et Preces, solo Hebdomadario surgente ad DOMINUS VOBISCUM, et Orationem.

3. Post Orationem responso AMEN, primus Psalmus ex quinque sequentibus inchoatur a secundo Cantore et vicissim ut supra. Hi quinque Psalmi singulatim concluduntur cum GLORIA PATRI, ad quod omnes de more corpus profunde inclinant. KYRIE ELEISON etc. flexis genibus recitatur ab utroque Choro simul. Preces ut supra.

4. Idem dicendum est de quinque ultimis Psalmis, excepto quod horum primus iterum a primo Cantore inchoatur et vicissim.

5. Extra Chorum hos Psalmos recitandi nulla datur obligatio. (§ 1. n. 5.)

6. Ob eamdem rationem, de qua § 1. n. 1. numquam Nobis datur obligatio ex præscripto Rubricarum, recitandi in Choro septem Psalmi Pœnitentiales. De Litaniis vide Part I. cap. VIII. § 4.

7. Quoad preces, quotidie in Choro ex consuetudine recitandas, notandum:

a) Omnibus diebus, excepto tantum ultimo triduo hebdomadæ Sanctæ, post Laudes recitatur Responsorium: SI QUÆRIS MIRACULA, cum versu et Oratione. Vide etiam cap. II. § 1. n. 27.

b) Item post summum Sacrum legitur vel cantatur (cap. VI. § 1. n. 6.) Antiphona: HÆC EST PRÆCLARUM VAS. Post quam dicitur:

℣. *In omni tribulatione et angustia nostra.*

℟. *Succurre nobis, piissima Virgo Maria.*

OREMUS.

Concede, quaesumus, omnipotens Deus, ut qui protectionis tuae gratiam quaerimus, intercedente beata et gloriosa semper Virgine Dei Genitrice Maria, a peste, inguinaria et epidemia, a subitanea et improvisa morte, et ab omnibus tribulationibus periculisque liberati, securi tibi mente serviamus. Per eumdem Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

c) Quoad Antiphonas: [illegible], et Veni Sancte, post Completorium: nec non quoad Litanias Lauretanas, post recollectionem vespertinam recitandas, vide suis locis.

8. Instante Capitulo Provinciali, etiam intermedio, solent praescribi preces, in Choro dicendae, pro felici Capituli et negotiorum in eo tractandorum successu. Tempore itaque praescripto dicitur Hymnus: VENI CREATOR SPIRITUS, qui a primo Cantore inchoatur, et flexis genibus a Choro alternatim completur. Pro conclusione hujus Hymni vide Rubr. pecul. Brev. n. [illegible].

Finito Hymno, Hebdomadarius, adhuc genuflexus dicit:

℣. *Emitte Spiritum tuum et creabuntur.*

℟. *Et renovabis faciem terrae.*

℣. *In Conceptione tua, Virgo, immaculata fuisti.*

℟. *Ora pro nobis Patrem, cujus Filium peperisti.*

℣. *Ora pro nobis beate Pater noster Francisce.*

℟. *Ut digni efficiamur promissionibus Christi.*

Deinde solus Hebdomadarius surgens, legit tres Orationes sequentes.

OREMUS.

Deus, qui corda Fidelium Sancti, Spiritus illustratione docuisti; da nobis in eodem Spiritu recta sapere, et de ejus semper consolatione gaudere.

Deus, qui per Immaculatam Virginis Conceptionem dignum Filio tuo habitaculum praeparasti: quaesumus; ut qui ex morte

ejusdem Filii tui prævisa eam ab omni labe præservasti; nos quoque mundos, ejus intercessione, ad te pervenire concedas.

Deus, qui Ecclesiam tuam beati Patris nostri Francisci meritis, fœtu novæ prolis amplificas; tribue nobis ex ejus imitatione terrena despicere, et cœlestium donorum semper participatione gaudere. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

CAPUT V.

DE OFFICIIS ET OFFICIALIBUS CHORI.

§ 1.

DE TABULA HEBDOMADARIA.

1. Qualibet hebdomada scribi debet tabula officiorum, per Fratres toto illo tempore tam in Choro quam alibi exercendorum, secundum formulam mox subjiciendam.

2. Cantatur hæc tabula ordinarie Feria sexta, vesperi post sumptam collationem, monito ad hoc per Præsidem Lectore mensæ, qui illam cantat, stans erectus.

3. Tenentur omnes sese exactissime illi tabulæ, utpote obedientiali, conformare, et, si legitime fuerint impediti, suum officium alteri recommendare, vel Superiori impedimentum notificare, ut alius, eorum vices suppleturus, ad evitandum confusionis periculum, tempestive substituatur.

4. Formula communes tabulas scribendi, eadem ab omnibus servanda, sit hujus tenoris:

Dominica N. Frater N. Hebdomadarius. Frater N. Diaconus. Frater N. Subdiaconus. Frater N. secundus Hebdomadarius. Frater N. et Frater N. Cantores. Frater N. et Frater N. Versicularii. Frater N. Acolythus. Frater N. et Frater N. legent ad mensam. Frater N. et Frater N. servient in Conventu. Frater N. ministrabit in Organis. Frater N. et Frater N. lavabunt scutellas. Cætera sint in dispositione Præsidentis.

Jan. 16. In Festo SS. Berardi etc. In triumphali constantissimorum ac invictissimorum Christi Martyrum, quorum glorioso certamine primordia Ordinis Minorum sunt consecrata, SS. Berardi, Petri, Accursii, Adjuti atque Othonis Celebritate.

„ 30. In Festo S. Hyacinthæ de Mariscottis. In devota ac splendida S. Hyacinthæ de Mariscottis, Virginis tertii Ordinis S. P. N. Francisci Festivitate.

„ 31. In Festo B. Ludovicæ de Albertonibus. In præclara B. Ludovicæ de Albertonibus, Viduæ tertii Ordinis S. P. N. Francisci Celebritate.

Febr. 2. In Festo Purificationis. In splendidissima, amœnissimaque Oblationis Pueri Jesu in Templo, ac purissimæ et incontaminatæ Virginis Mariæ Purificationis Solemnitate.

„ 5. In Festo SS. Petri-Baptistæ etc. In triumphali constantissimorum Christi Martyrum Japonensium SS. Petri-Baptistæ et Sociorum, primi et tertii Ordinis S. P. N. Francisci Solemnitate.

„ 22. In Festo S. Margaritæ de Cortona. In mirifica atque devota celeberrimæ tertii Ordinis S. P. N. Francisci Pœnitentis, S. Margaritæ de Cortona Festivitate.

Mart. 5. In Festo S. Joannis-Josephi a Cruce. In gaudiosa ferventissimi salutiferæ Crucis amatoris, Ordinis Minorum Confessoris inclyti S. Joannis-Josephi a Cruce Solemnitate.

„ 6. In Festo S. Coletæ. In præclara ac devota Virginis secundi Ordinis S. P. N. Francisci, et Monialium S. Claræ reformatricis, S. Coletæ Celebritate.

„ 9. In Festo S. Catharinæ Bononiensis. In mirifica dulcissimæ Christi sponsæ, Virginis secundi Ordinis S. P. N. Francisci, S. Catharinæ Bononiensis Festivitate.

„ 19. In Festo S. Joseph. In honorifica omnique cultu per universum orbem celebranda castissimi ac fidelissimi

dulcissimæ Dei Genitricis Mariæ Sponsi, et Ecclesiæ Catholicæ Patroni, S. Joseph Solemnitate.

Mart. 25. In Festo Annuntiationis. In magnifica atque lætissima mellifluæ nec non salutiferæ Incarnationis Dominicæ Annuntiationis Solemnitate.

Feria quarta cinerum.

Dominica Palmarum. A V. Pater Guardianus divinum celebrabit Officium; Frater N. Diaconus. Frater N. Subdiaconus. Idem in Processione deferet Crucem. In reversione Processionis Frater N. Frater N. Frater N. et Frater N. cantabunt GLORIA, LAUS. Frater N. Frater N. et Frater N. Dominicam Passionem secundum Matthæum solemniter decantabunt. Cætera, ut per hebdomadam.

Feria quinta, in qua augustissimæ Cœnæ Domini recolitur memoria, etc. ut supra in Officio Guardiani, et in fine additur: In hujus diei Sacro omnes Patres et Fratres summa cum devotione communicabunt. Dein subjungitur: In Processione et venerabilis Sacramenti deportatione: Frater N. Subdiaconus deferet Crucem. Frater N. et Frater N. (vel plures. Vide supra n. 3.) deferent faces. Frater N. et Frater N. sanctissimum Sacramentum usque ad locum præparatum continuo incensabunt. Fratres laici tempestive præparabunt aquam et quævis alia lotioni pedum necessaria. Cum vero hora statuta Fratres omnes advenerint, Frater N. Diaconus solemniter cantabit Evangelium; Frater N. Subdiaconus. Frater N. et Frater N. Ceroferarii. Frater N. thurificabit.

In die sancto Parasceves. A. V. Pater Lector N. divinum celebrabit Officium etc. In fine additur: Acolythus in Missa cantabit Prophetiam. Frater N. Frater N. et Frater N. Dominicam Passionem secundum Joannem decantabunt. In reportatione venerabilis Sacramenti: Frater N. Subdiaconus deferet Crucem. Frater N. et Frater N. (vel plures. Vide supra n. 3.) deferent faces. Frater N. et Frater N. sanctissimum Sacramentum continuo incensabunt.

Sabbatho Sancto. V. Pater Vicarius divinum celebrabit Officium; Frater N. Diaconus, qui et benedicet cereum paschalem, etc. In fine additur: Clerici per ordinem cantabunt Prophetias.

In Festo Paschatis. In gloriosissima et celeberrima omniumque

solemnitatum maxima victoriosissimæ Resurrectionis Domini nostri Jesu Christi Solemnitate.

Feria secunda Paschæ. V. P. Vicarius etc.

April. 3. In Festo S. Benedicti a S. Philadelpho. In præclara ac gaudiosa S. Benedicti a S. Philadelpho, Confessoris Ordinis Minorum Festivitate.

„ 16. In Festo S. Raphaelis Archangeli. In lætissima et unanimi devotione colenda S. Raphaelis Archangeli Festivitate. A. V. P. Guardianus etc. Et in fine additur: Hac die, 16. Aprilis, in qua S. P. N. Franciscus anno 1209. per Professionem suæ Regulæ, cum sociis suis, in manibus Innocentii Tertii, initium dedit Ordini Fratrum Minorum, omnes Patres et Fratres speciali cum devotione Professionem suam solemniter renovabunt.

Maji 13. In Festo S. Petri Regalati. In præclara et devota ferventissimi regularis observantiæ sectatoris S. Petri Regalati Festivitate.

„ 17. In Festo S. Paschalis Baylon. In læta et præcellenti sacræ Eucharistiæ adoratoris ardentissimi, ac Seraphicæ perfectionis exemplaris absolutissimi, S. Paschalis Baylon Festivitate.

„ 20. In Festo S. Bernardini Senensis. In præclara atque eximia celeberrimi Præconis verbi Dei, S. Bernardini Senensis, Ordinis Seraphici Confessoris inclyti Festivitate.

In Festo Ascensionis Domini. In sacratissima gloriosissimaque admirandæ Redemptoris Domini nostri Jesu Christi in cœlum Ascensionis Solemnitate.

In Festo Pentecostes. In gloriosissima nec non celeberrima omnique spirituali gaudio cumulatissima, sacratissima Pentecostes Solemnitate.

Feria secunda Pentecostes.

In Festo SS. Trinitatis. In præclarissima colendissimaque superbenedictæ ac individuæ SS. Trinitatis Solemnitate.

In Festo Corporis Christi. In altissima terque maxima, ac omni devotione dignissimà augustissîmi divinissimique Corporis et Sanguinis Domini nostri Jesu Christi Solemnitate.

In Festo SS. Cordis Jesu. In splendidissima melliflui ac salvifici Cordis Jesu solemnitate.

Junii 13. In Festo S. Antonii de Padua.. In mirifica atque præclara Divini verbi celeberrimi Præconis, S. Antonii de Padua Ordinis Minorum Thaumaturgi Solemnitate.

„ 19. In Festo B. Michelinæ. In gaudiosa terrenarum rerum contemptricis B. Michelinæ, Viduæ tertii Ordinis S. P. N. Francisci Festivitate.

„ 24. In Festo S. Joannis Baptistæ. In inclyta atque gloriosa, omnique gaudio plenissima sanctissima Præcursoris Christi S. Joannis Baptistæ Nativitatis Solemnitate.

„ 29. In Festo SS. Apostolorum Petri et Pauli. In magnifica ac gloriosissima beatissimorum Principum Apostolorum, SS. Petri et Pauli Solemnitate.

Julii 4. In Dedicatione Omnium Ecclesiarum. In celeberrima et sacratissima Omnium Ecclesiarum trium Ordinum S. P. N. Francisci Dedicationis Solemnitate.

„ 9. In Festo SS. Martyrum Gorcomiensium. In triumphali, inclyta atque singulari gaudio colenda constantissimorum Christi Martyrum, pro defensione realis Christi in Eucharistia præsentiæ, et ejusdem in terris Vicarii Primatus, ab Hæreticis crudeliter interfectorum, SS. Nicolai et Sociorum, potissimum Ordinis Minorum, ac hujus almæ Provinciæ nostræ Filiorum Patronorumque Solemnitate.

„ 14. In Festo S. Bonaventuræ. In solemni ac eximia Seraphici Doctoris S. Bonaventuræ, Ordinis Minorum, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis et Episcopi Albanensis Solemnitate.

„ 24. In Festo S. Francisci Solani. In præclara et gloriosa prodigiosi apud Indiarum gentes Apostoli, S. Francisci Solani, Confessoris Ordinis Minorum Solemnitate.

Aug. 2. In Festo Portiunculæ. In sacratissima, et singulari animæ præparatione celebranda Dedicationis Ecclesiæ S. Mariæ de Angelis, seu Portiunculæ Solemnitate. In fine additur: In solemni ejusdem diei humili ac devota Processione.

„ 4. In Festo S. P. Dominici. In præclara ac lætissima S. Patris Dominici, Ordinis Fratrum Prædicatorum Fundatoris inclyti, divina Providentia Seraphico Patri nostro sancto Francisco, ad Catholicæ Ecclesiæ fulcimentum, perpetuæ germanitatis vinculo sociati Solemnitate.

„ 6. In Festo Transfigurationis. In magnifica atque præclara Transfigurationis Domini nostri Jesu Christi in monte Thabor Solemnitate.

„ 12. In Festo S. Claræ. In mirifica devotissimaque dilectissimæ Christi sponsæ S. Claræ, primæ plantulæ pauperum Dominarum Ordinis Minorum Solemnitate.

„ 15. In Festo Assumptionis B. Mariæ. In sublimissima altissimaque gloriosissimæ Deiparæ, Virginis Mariæ ad æthereum thalamum assumptæ Solemnitate.

„ 19. In Festo S. Ludovici. In præcellenti atque gloriosa castissimi Præsulis, et præstantis Confessoris ex Ordine Seraphico S. Ludovici Celebritate.

„ 25. In Festo S. Ludovici Regis. In magnifica et gaudiosa S. Ludovici Noni, Francorum Regis mirifici ac tertii Ordinis S. P. N. Francisci Confessoris illustris Solemnitate.

Sept. 4. In Festo Translationis S. Rosæ. In devota ac dulcissima S. Rosæ Viterbiensis, Virginis tertii Ordinis S. P. N. Francisci Solemnitate.

„ 8. In Festo Nativitatis B. Mariæ. In lætissima nec non jucundissima gloriosissimæ Deiparæ Virginis Mariæ Nativitatis Solemnitate.

„ 17. In Festo Stigmatum. In gratiosa et admirabili sacrorum Stigmatum in corpore beatissimi ac Seraphici P. N. Francisci in monte Alvernæ digito Dei vivi descriptorum Solemnitate.

toris maximi, S. Didaci Confessoris de Ordine Minorum Celebritate.

Nov. 19. In Festo S. Elisabeth Hungariæ. In præclara atque devota eximiæ pauperum benefactricis, S. Elisabeth Hungariæ, Viduæ tertii Ordinis S. P. N. Francisci Solemnitate.

„ 26. In Festo S. Leonardi a Portu Mauritio. In gaudiosa celeberrimi ac zelosissimi Missionarii Apostolici et Seraphici S. P. N. Francisci imitatoris ferventissimi, S. Leonardi a Portu Mauritio Festivitate.

„ 28. In Festo S. Jacobi de Marchia. In gloriosa ac mirifica eximii Prædicatoris, pluribus pro re Christiana legationibus præclari, S. Jacobi de Marchia, Ordinis Minorum Confessoris Festivitate.

„ 29. In Festo Omnium Sanctorum trium Ordinum. In gaudiosissima ac splendidissima, omnique cultu et pietatis affectu celebranda Omnium Sanctorum trium Ordinum S. P. N. Francisci, cum Christo in cœlis feliciter regnantium Solemnitate.

In Vigiliis et Missa pro Defunctis Fratribus et Sororibus trium Ordinum S. P. N. Francisci; pro eorum earumque ac viventium Fratrum et Sororum Patribus, Matribus et Benefactoribus, ac pro iis omnibus, qui in Cœmeteriis eorumdem Ordinum sunt sepulti. Omnia ut supra

Dec. 8. In Festo Immaculatæ Conceptionis B. M. V. In singularissima lætissimaque incontaminatæ et illibatæ Conceptionis gloriosissimæ Virginis Mariæ, per merita dilectissimi Filii sui, Domini nostri Jesu Christi, ab originali macula perpetuo præservatæ, atque suo hoc Mysterio Ordinis nostri Seraphici Patronæ et Advocatæ Solemnitate.

In solemni diei octavæ humili ac devota Processione.

„ 24. In Vigilia Nativitatis Domini. In dulcissima ac suavissima Pueri Bethlehemitici Nativitatis Vigilia: Frater

N. solemniter cantabit Martyrologium. Frater N. et Frater N. Ceroferarii. Frater N. Thuriferarius.

Dec. 25. In Nativitate Domini. In desideratissima ac sacratissima, omnique tum gaudio, tum pietate colendissima Domini nostri Jesu Christi secundum carnem Nativitatis Solemnitate.

In aurora ejusdem desideratissimæ diei V. P. Vicarius cantabit Sacrum. etc. In hac Missa omnes Fratres, non Sacerdotes, summa cum reverentia et animi puritate communicabunt.

Ultimam Missam solemnem hujus sacratissimæ diei cantabit etc.

" 26. In Festo S. Stephani. In gloriosa et triumphali ferventissimi Levitæ et Protomartyris S. Stephani Solemnitate.

" 27. In Festo S. Joannis. In suavissima dilectissimi Christi discipuli S. Joannis Apostoli et Evangelistæ Solemnitate.

In Festo Patroni vel Patronæ Ecclesiæ agatur titulus, conveniens [illegible], qui Patronus est vel Patrona.

In Primitiis Neo-Sacerdotum. Dominica N. vel si Festum [illegible] [illegible] Frater N. Omnipotenti Deo [illegible] Sacrificium [illegible]. Primitias [illegible] Officium. Frater N. Assistens etc.

In [illegible] Fratrum. Dominica N. vel [illegible] [illegible] Frater N. [illegible] pro donis ac beneficiis tempore [illegible] [illegible] gratias [illegible] [illegible] Officium.

S[illegible] [illegible] Missam [illegible] [illegible] Dominica N. [illegible] qua Frater N. [illegible] [illegible] — gratias [illegible] Frater N. [illegible] [illegible] Officium.

§ 3.

DE HEBDOMADARIO.

1. Hebdomadarius qualibet Hebdomada incipit suum officium regulariter Sabbatho ad Vesperas. Ejus munus est:

a) Horas Canonicas omnes, dato manu signo super formam Chori, singulariter incipere per Versus DOMINE LABIA; DEUS, IN ADJUTORIUM etc. et alia, ad Divinum Officium spectantia, peragere, ut suis locis est annotatum.

b) Per totam Hebdomadam cantare summum Sacrum, nisi aliter in tabula extraordinaria notetur.

c) Sacram Communionem, diebus et hora statutis, Fratribus distribuere; atque exponere et reponere SS. Sacramentum.

d) In refectorio benedicere mensam, gratias dicere, refectione finita; et recitare preces vespertinas. In domo capitulari legere nomina Defunctorum, quæ occurrunt; et recitare Versus et Orationes consuetas: etiamsi eo die, quo Capitulum servatur, alius Officiator in tabula extraordinaria scriptus sit.

2. Hebdomadarius, etsi ob causam aliquam summum Sacrum, a se cantandum, non cantaverit, in aliis omnibus debet facere, quæ sunt sui muneris.

3. Si Hebdomadarius absit, vices ejus supplet secundus Hebdomadarius; et in defectu utriusque supplet junior Sacerdotum.

§ 4.

DE OFFICIATORE.

1. Ille, qui in tabula extraordinaria ad faciendum Divinum Officium scriptus est, Officiator dicitur. Illius munus est illa die facere ea, quæ Hebdomadarius facit in Hebdomada, exceptis peragendis in domo capitulari (§ 3. n. 1. lit. *d.*)

2. Pro varietate Festorum, variandus etiam est Officiator. Unde Pater Guardianus est Officiator in solemnioribus Festivitatibus anni,

nimirum: In Nativitate et Epiphania Domini; in Feria quarta cinerum; in Dominica Palmarum; in Feria quinta Cœnæ Domini; in Dominicis Resurrectionis et Pentecostes; in Festis Corporis Christi, Purificationis, Assumptionis et Immaculatæ Conceptionis B. M. V. S. Joseph, S. Raphaelis Archangeli, SS. Martyrum Gorcomiensium, Portiunculæ, Seraphici P. N. Francisci et Omnium Sanctorum universalis Ecclesiæ. Item in Festo Patroni seu Titularis Ecclesiæ Conventus. Cantat etiam Missam in Adventu, vulgo Auream dictam. Item in Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum trium Ordinum, et in die Depositionis defuncti alicujus Fratris in Conventu, cantat Missam solemnem exequialem, et facit Officium Defunctorum et Sepulturam.

3. Si in Conventu adfuerit Reverendissimus Pater Minister Generalis, vel A. R. Pater Minister Provincialis, vel alius Guardiano major, rogetur, an in principalioribus Solemnitatibus Officium facere desideret.

4. Pater Vicarius est Officiator in Circumcisione Domini, Sabbatho sancto, Feria secunda Paschæ, Ascensione Domini, Feria secunda Pentecostes; in Festis SS. Trinitatis, Annuntiationis et Nativitatis B. Mariæ Virginis; ac in Festis S. P. Dominici, SS. Stigmatum et Omnium Sanctorum trium Ordinum. Cantat quoque Missam Auroræ in Nativitate Domini; totumque Officium facit in Festo S. Stephani Protomartyris.

5. Patres Lectores S. Theologiæ Officiatores sunt in Missa de die in Nativitate Domini; Feria sexta Parasceves; in Festis S. Antonii de Padua, S. Bonaventuræ et S. Joannis Evangelistæ.

6. Patres ex-Definitores, ex-Guardiani, Lectores Philosophiæ et Instructores sunt Officiatores in Festis SS. Cordis D. N. J. C. SS. Apostolorum Petri et Pauli, S. Joannis Baptistæ et Dedicationis Omnium Ecclesiarum.

7. Alii Patres secundum ordinem Officium faciunt in cæteris Festivitatibus, in quibus solet conscribi nova tabula.

§ 5.

DE RECTORIBUS CHORI.

1. In singulis Conventibus ordinarie duo sint Rectores Chori, Religiosi graves, et sint ambo, quantum possibile est, in Presbyterali Ordine constituti.

2. Primo Rectori Chori convenientissime adaptantur ea, quæ Magistro Cæremoniarum convenire describit Cærem. Episc. Lib. I. Cap. 5.

3. Ejus officium præcipuum est Chorum universum regere; quapropter cantum Gregorianum apprime calleat, valido sit pectore, nec non voce plena, gravi et consona instructus, ut cantum et psalmodiam moderare et sustentare possit. Præterea in Rubricis sacrisque Ritibus eum decet non mediocriter esse versatum.

4. Ipsius est, errata, si quæ contingant, in ipso actu Officii modeste ac leniter corrigere, nisi tunc magis expedire putet, ut ea dissimulet, eo quod leviora sint, et admonitio post Officium facienda opportunior videatur.

5. Unde alii erratis corrigendis se intromittere nullatenus præsumant, sciantque sibi parendum esse Rectori Chori in omnibus, quæ ad ejus munus spectant; oportet quippe, ut omnes maxime in ascensu ac descensu vocis, in accelerando aut remorando cantu ac modulamine Psalmorum, in pausis atque intonationibus cæterisque hujusmodi se illi prorsus conforment.

6. Secundus Rector Chori tenetur in iis, quæ spectant ad Chorum, primo subesse. Absente vero primo, hujus auctoritatem habet secundus, eique omnes alii in rebus ad Divinum Officium pertinentibus obedire pro tunc tenebuntur. Quæ omnia, ut sine contradictione quietius perficiantur, Superiorum cura erit omnes præmonere, ut ipsis Rectoribus Chori in his, quæ ad officium ipsorum spectant, sine contradictione obsequantur; ut ita cum majori decore ac reverentia Divinum ab omnibus peragatur Officium.

§ 6.

DE CANTORIBUS.

1. Hebdomadatim duo in tabula scribuntur Cantores, quorum unus sit primus, et stet a parte Chori; alter sit secundus, et stet a parte altera. Alternis autem septimanis solet Chorus variari de parte Australi in Aquilonarem et econtra, et cum illo quoque variatur locus Hebdomadarii.

2. Cantorum officium est intonare Hymnos, Psalmos, Cantica, etc. quæ suis locis annotata sunt. Primus Cantor legit punctum pium ante recollectionem in medio Chori.

3. Cantores tantum superpelliceis induuntur *a*) in Missa in Festis solemnioribus; *b*) in Vesperis, Completorio et Matutino, quando fiunt cum apparatu; *c*) in Laudibus vespertinis, celebratis cum expositione SS. Sacramenti, per totum annum; *d*) in Missa et Absolutione exequiali Fratrum; in Missa solemni et Absolutione in die Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum; item in Missa solemni de Requiem, et in Absolutione ad tumulum in Officio nostro generalissimo, et in quatuor aliis Officiis generalibus.

4. Cantores, si superpelliceis induti sint, in medio Chori intonant Introitum, quem Chorus complet; decantant quoque Versum, et GLORIA PATRI, Choro respondente. Deinde Introitum repetunt. Vide cap. VI. § 3. n. 3. Etiam in medio Chori cantant ALLELUJA, intonant Sequentiam, Graduale et Tractum. Ibidem alternatim cum Choro decantant CREDO, incipiendo ad PATREM OMNIPOTENTEM; verba: ET INCARNATUS EST cantant stantes, sed his cantatis, faciunt unius genu flexionem. In Laudibus vespertinis ibidem intonant omnes Antiphonas, Responsoria aut Hymnos. Intonant quoque TANTUM ERGO etc. sed flexis genibus.

5. In Processionibus inchoant singulos Versus Hymnorum.

§ 7.

DE VERSICULARIIS.

1. In tabula hebdomadali duo scribuntur Fratres, qui sint Versicularii, quorum officium est, omnia tempestive prævidere, diligenterque signaculis notare; libros pulpitis imponere; sub Officio folia vertere; et curam gerere de lumine. Caveant autem ne umquam unum librum alteri aperto in pulpito superimponant. Vide etiam § præc. 6. n. 1.

2. Versicularii tantum superpelliceis induuntur in Festis solemnioribus.

3. Quando Versicularii, superpelliceis induti, ad pulpitum Cantorum, vel, hoc deficiente, ad gradum Presbyterii conferre se debent, prius reverentiam faciunt ad invicem per profundam capitis inclinationem; quam reverentiam omittunt, si SS. Sacramentum sit expositum. Mox gravi et pari passu incedentes, vadunt ad pulpitum vel ad gradum Presbyterii, ibique faciunt Altari vel SS. Sacramento reverentiam per genu unius flexionem. Postquam cantaverint, quæ cantare debent, iterum genuflectunt, et vertentes se ad invicem ad stalla sua revertuntur; ibique se vertentes, ita ut terga non vertant Altari, repetunt salutationem mutuam ut supra.

4. Si induti sint superpelliceis, simul cum Cantoribus intonant in medio Chori Introitum, ALLELUJA, Tractum, Sequentiam, etc. ut § præc. 6. dictum est. Item cum iisdem ibidem incensantur et pacem accipiunt.

5. Primus Versicularius, dum opus est, administrat lumen Officiatori, et legentibus Lectiones Nocturnorum.

6. Secundus Versicularius, dum aliquid in medio Chori cantandum est, apponat tempestive libros, et notet cantanda, ut promptissime possint a Cantoribus inveniri.

§ 8.

DE ACOLYTHO SEU THURIFERARIO.

1. Acolythus, per hebdomadam in tabula scribendus, sit Clericus, Ordine Sacerdotali nondum insignitus; ob defectum tamen vel penuriam Clericorum, assumi poterunt Fratres laici, qui omnia Acolythi munera peragant, quæ a Laicis præstari licet.

2. Acolythi officium est singulis diebus extergere pulveres ex stallis seu sedilibus Chori: die Sabbatho ante Vesperas transmutare tabellam Chori, cum pulpito Hebdomadarii et libris transportandis; diebus Dominicis, post summum Sacrum seu Nonam, vascula Chori et dormitorii aqua benedicta replere, illamque ad Fratrum cellas deferre.

3. Ipsius quoque est, cereos Altaris pro Divino Officio, cereum Paschalem et B. M. V. suis temporibus accendere et extinguere; atque, si Fratres laici non adsint, tempore Divini Officii campanas pulsare.

4. Acolythus quoque debet quærere Lectiones Matutini et ad eas aptare signacula, pulpitum pro eis et aliis quibuscumque in eo legendis aut cantandis ponere, et postea illud in locum, ubi asservatur, reportare.

§ 9.

DE CEREIS ACCENDENDIS.

1. In omni Officio cavendus est superstitiosus, ambitiosus et superfluus cereorum usus; numerus tamen, juxta Rubricas et S. R. C. Decreta requisitus, omnino accendendus est.

2. In Missa privata *regulariter* duo cerei accenduntur. Dictum est *regulariter*, nam ratione solemnitatis exterioris, vel ex privilegio licet plures quam duos cereos accendere. Itaque quatuor cerei accendi possunt *a*) in Missa Conventuali seu principali, cui Communitas assistit, quando cantari non potest; *b*) in Primitiis Neo-Sacerdotum, et in Missa Ministri Generalis; itemque in Missa Mi-

nistri Provincialis ac Custodis Regiminis tempore Visitationis illorum in sua Provincia vel Custodia, juxta Indult. Apost. Die 28. Julii 1864.

3. In Missa cantata in diebus solemnioribus, in quibus nimirum tabula extraordinaria scribitur, sex cerei accenduntur. Item in Missis votivis solemnibus, aliisque similibus, quæ cum apparatu exteriori celebrantur. Diebus vero Dominicis per annum, et in Festis minus solemnibus, sive cum sive sine Ministris sacris Missa cantetur, quatuor cerei ardent.

4. Pro expositione publica SS. Sacramenti vide suo loco.

5. In Officio solemni tot cerei accenduntur, quot accendi debent in Missa, tali Officio correspondente. Si vero Officium cantetur sine apparatu, duo cerei accenduntur, licet Officium sit Semiduplex.

6. Attamen in Officio Defunctorum, si cum cantu, quamvis sine apparatu, fiat, sex cerei in Altari accenduntur. Si vero Officium sine cantu persolvatur, duo tantum cerei accenduntur in Altari, dummodo recitetur Ritu duplici.

7. In Officio diei quotidiano, si sit Duplex, duo accenduntur cerei in Vesperis, Matutino et Laudibus, juxta consuetudinem. Idem est in Vigilia Nativitatis Domini in Laudibus, in quibus Officium fit Duplex.

8. Accenduntur quoque ab Acolytho cerei Altaris in Dominica et Feria secunda Pentecostes ad Hymnum VENI CREATOR, in Tertia: tunc enim dictus Hymnus cantari debet, et Chorus aperiri; finito Hymno, cerei extinguuntur.

9. Cereus B. Mariæ Virginis, qui semper sit albi coloris, est ante ejus Imaginem sive sculptam, sive pictam, in medio aut a latere Chori positam, collocandus. Accendi autem debet:

a) In Laudibus vespertinis per totum annum, sive cum sive absque expositione SS. Sacramenti cantentur.

b) Similiter accenditur ad Officium parvum B. M. V. ad omnes Horas. Item in omnibus B. Mariæ Festivitatibus, et illarum Octavis, quando de ipsa fit Officium.

c) Acceditur quoque in solemnitate Dominicæ Nativitatis, ad omnes Horas, et infra Octavam, quando de Nativitate vel de Dominica infra ejusdem Octavam Officium fit. Item in Circumcisione

Domini; in Epiphania et per Octavam ad omnes Horas. Item in die Pentecostes ad omnes Horas; et quando cantatur Hymnus VENI CREATOR, post quem cum aliis candelis (n. 8.) extinguitur. Item in Festo Corporis Christi, et per Octavam ad omnes Horas, si de SS. Sacramento fiat Officium. Item in Festis SS. Nominis et SS. Cordis Jesu, et Omnium Sanctorum ad omnes Horas.

d) Quando autem ad Horas dicitur accendendus, id etiam de Missa Conventuali, sive quæ fit de Festo, dicto Officio conformi, intelligi debet.

10. Accenditur et extinguitur hic cereus ab Acolytho, per hebdomadam scripto; vel a juniore Laico in Choro præsente, si Acolythus sit impeditus.

11. Si in Choro aliæ adhuc statuæ Sanctorum habeantur cum speciali candela, hæc quoque ab Acolytho accendi debet, in ipsorum Festis primariis et secundariis, quando de eisdem fit Officium.

12. Cereus Paschalis regulariter accendi debet ad Missas et Vesperas solemnes in triduo Paschatis, Sabbatho in Albis, et in Dominicis usque ad Ascensionem. In aliis servanda est consuetudo locorum. Ita S. R. C. 19. Maji 1607. ad 13. Proinde pro uniformitate servanda cereus hic, præter dies memoratos, accenditur:

a) Ad omnes Missas solemnes usque ad Dominicam in Albis inclusive, sed post Dominicam in Albis accenditur in Dominicis tantum, idque in Missa cantata.

b) In Ascensione Domini ardebit ad omnes Horas usque ad finem Evangelii Missæ solemnis; quo cantato, extinguitur per secundum Ceroferarium.

c) Numquam hunc cereum accendi fas est in Missis, cum adhibetur color violaceus, et multo minus in Missis de Requiem.

§ 10.

DE PULSU CAMPANARUM.

1. Campana Ecclesiæ major ante Horas canonicas tam nocturnas, quam diurnas, et Missas solemnes pulsari debet, tum ut Fratres

tempestive ad Chorum corda sua Domino præparaturi conveniant, tum ut populus opportuno tempore accedat.

2. Quomodo pulsanda ad Matutinum, vide cap. II. § 1. n. 2. 3 et 19. Pro Salutatione Angelica pulsatur mane hora quinta, et in meridie hora duodecima, ter tribus ictibus tintinnando, et postea per spatium circiter unius MISERERE pulsus protrahendo. Vespere autem tantummodo tintinnatur, omisso pulsu, vel post Completorium, vel in Laudibus vespertinis, ut dictum est suo loco.

3. Eadem campana pulsatur, quando inchoatur Prima. Pro Missa solemni pulsatur bis, pro prima scilicet vice, media hora, et pro secunda vice, quadrante ante Missam; paulum vero antequam Missa incipiat, tintinnatur. In Missa tintinnatur per novem ictus, ad utramque tam Hostiæ sacræ, quam Calicis elevationem.

4. Pro Vesperis (in Quadragesima pro Completorio) pulsatur ter, ut pro Matutino. Item pulsatur ad MAGNIFICAT, et ad CONFITEOR in Completorio. Vide etiam infra n. 8.

5. In omnibus Processionibus pulsatur ab egressu Celebrantis a Choro, usque ad illius regressum ad Chorum. Si Processio aliqua solemnis Conventum transeat, tam diu pulsatur, donec pertransierit.

6. Post Missas Defunctorum, ad Absolutionem, corpore præsente, tintinnatur usque ad finem Responsorii: LIBERA; quo finito, et incepto KYRIE ELEISON, pulsatur usque ad finem sepulturæ.

7. Campana minor pulsatur mane quadrante ante sextam. In Missa coram SS. Sacramento exposito, post Elevationem usque ad PATER NOSTER; in Completorio, ad Psalmum: ECCE NUNC; et in Laudibus verpertinis, post expositum SS. Sacramentum, usque ad finem Antiphonæ vel Hymni vel Responsorii ejusdem SS. Sacramenti.

8. Utraque campana pulsatur quadrante ante expositionem SS. Sacramenti.

Cætera annotata sunt in locis propriis.

Pro Concione servetur consuetudo locorum.

[illegible] post [illegible]

[illegible] exceptis diebus quibus [illegible]

[illegible] Conventu, vel alia de causa

expedire visum fuerit, ut quædam alia, in particularibus præsertim Festivitatibus cantentur, R. A. Patris Ministri erit, de hoc disponere.

§ 2.

DE PSALMODIA.

1. Psalmodiæ debite devoteque peractæ effectus descripsit S. Isidorus his verbes: *Psallendi utilitas tristia corda consolatur, gratiores mentes facit, fastidiosos oblectat, inertes exsuscitat, peccatores ad lamenta invitat. Nam quamvis dura sint carnalium corda, statim ut Psalmi dulcedo insonuerit, ad effectum pietatis animum eorum inflectit.* Sent. Lib. III. Cap, VII. n. 31. Edit. Migne.

2. Quapropter in psallendo omnes debitum modum omnino observent. Debitus autem modus, Seraphico Doctore attestante, (*Spec. Disc.* Part. I. Cap. XV.) est, *ut nec nimium festinetur, nec nimia fiat, aut inæqualis protractio, sed cum pausantibus statim pausetur, ut vox unius vix inter alios discerni possit.* Ideoque communem quisque psallentium vocem imitetur ac referat, singula verba clare et distincte pronuntiet, atque in medio Versuum, ubi asteriscus ponitur, pausam interponat.

3. Attendatur etiam, ne una pars Chori Versum inchoet, priusquam altera pars Versum præcedentem totaliter compleverit.

4. Caveatur omnino protractio deformis ultimarum syllabarum ad pausam et ad finem Versus; sed protracta paululum prima et penultima vel antepenultima juxta vocis accentum, ultima syllaba abbrevietur. Prima syllaba Versus et prima post quamlibet pausam paululum protrahenda est, ut Chorus totus eo melius simul et æqualiter Versum incipere et prosequi possit; quod fieri non poterit, si in prima syllaba non omnes conveniant, antequam ad secundam procedatur.

5. Quod dictum est de pausa ad asteriscum in medio Versus Psalmorum, idem observandum est in Responsoriis brevibus, ubi asteriscus resumptionem denotat. In aliis autem Versibus et Responsoriis nulla pausa facienda est.

6. Qui intonat, sive Hebdomadarius, sive Cantor, advertat, ut moderatum tonum servet; si autem, ob longitudinem Psalmi, vel alia ex causa, a primo tono fuerit deviatum, poterit a Rectoribus Chori, vel a Cantoribus tonus resumi, prout fuerit inchoatus; id tamen non fiat ab aliis.

§ 3.

DE ORGANIS ET ORGANISTA.

1. Ad promovendum in Officiis Divinis Dei cultum, et ad excitandum in assistentibus pietatis affectum, plurimum conducens est Organorum lusus, dummodo is lascivus, profanus aut ludicrus non sit; et caveatur, ne Divina Officia Organorum sono indebite protrahantur, aut econtra nimis celeriter finiantur; non enim Officium Organo, sed debet Organum Officio veluti famulari.

2. In Missa cantata et solemni Organum pulsatur in accessu Celebrantis ad Altare,

3. Item pulsatur ad repetitionem Introitus; cantato itaque a Choro SICUT ERAT etc. Organum resumit Introitum, qui ab uno vel a duobus Cantoribus, clara voce, legendo repetitur; quod semper est faciendum, quoties sive in Missa, sive in Divino Officio, per Organum aliquid suppletur, quod revera non canitur.

4. KYRIE ELEISON et GLORIA IN EXCELSIS alternatim a Choro cantantur et per Organum supplentur, hoc modo: Chorus cantat bis KYRIE; semel CHRISTE; et iterum bis KYRIE ELEISON. Hymni Angelici Versus sequentes a Choro cantandi sunt: LAUDAMUS TE; ADORAMUS TE; GRATIAS AGIMUS TIBI PROPTER MAGNAM GLORIAM TUAM; DOMINE, FILI UNIGENITE, JESU CHRISTE; QUI TOLLIS PECCATA MUNDI MISERERE NOBIS; QUI SEDES AD DEXTRAM PATRIS MISERERE NOBIS; TU SOLUS DOMINUS; CUM SANCTO SPIRITU IN GLORIA DEI PATRIS. AMEN. Cætera supplentur, ut n. 3.

5. Post Epistolam cantatur Graduale, ALLELUJA, vel Tractus, vel saltem horum pars, postea pulsatur Organum; Sequentia vero alternatim cantatur cum interlusu Organi, ita tamen, ut prima et ultima stropha semper a Choro decantentur.

6. Symbolum semper integre a Choro alternatim cantandum est. Vide etiam cap. v. § 6. n. 4.

7. Ad Offertorium pulsatur Organum usque ad Præfationem. SANCTUS vero alternatur a Choro et Organo, hoc modo: Chorus primum cantat SANCTUS; secundum suppletur per Organum; deinde cantatur a Choro: SANCTUS DOMINUS DEUS SABAOTH. Reliqua supplentur per Organum usque ad BENEDICTUS. Sub elevatione SS. Sacramenti Organum (ubi fert usus) cum omni melodia et gravitate pulsandum est. Post Calicis elevationem cantatur: BENEDICTUS QUI VENIT etc. Et nihil aliud etiam in Missis *de Requiem*.

8. AGNUS DEI ita alternatur, ut primum et ultimum a Choro cantentur; secundum vero per Organum suppleatur. Deinde pulsatur Organum usque ad DOMINUS VOBISCUM; præterquam dum canitur Communio.

9. Cantato ITE, MISSA EST, vel BENEDICAMUS DOMINO, Organum respondet DEO GRATIAS; duratque lusus usque ad Celebrantis reditum ad Sacristiam; nisi sit interrumpendus ob preces dicendas vel aliam ob causam.

10. Regulare est, sive in Missa, sive in Officio, ut primus Versus Canticorum, prima et ultima stropha Hymnorum, Versus GLORIA PATRI etc. et pariter strophæ Hymnorum, sub quibus est genuflectendum, (cap. I. § 5. n. 3.) cantentur a Choro, non vero suppleantur per Organum, etiamsi stropha vel Versus immediate præcedens a Choro pariter decantatus fuerit; quo casu non est necessaria Organi interlusio inter Versum vel stropham præcedentem et subsequentem.

11. In Vesperis solemnibus Organum festive pulsatur in accessu Celebrantis ad Altare, usque ad DEUS, IN ADJUTORIUM. (Oratio: APERI DOMINE in hoc casu ab omnibus dicitur secreto) Item in fine cujuslibet Psalmi et Cantici Organum resumit Antiphonam ut n. 3. In Hymno et Cantico: MAGNIFICAT alternat cum Choro. Idem dicendum de Canticis: BENEDICTUS et NUNC DIMITTIS.

12. Post BENEDICAMUS DOMINO Organum respondet DEO GRATIAS.

13. Ad Completorium, si cantetur, Organum silet usque ad Versum: CONVERTE NOS.

14. Antiphonæ finales B. M. V. integræ alternatim a Choro cantentur. Idem dicendum de Antiphonis; CŒLORUM CANDOR, et VOS SANCTI DEI. Quando Chorus post Antiphonam finalem secreto legit PATER NOSTER, AVE MARIA et CREDO, pulsatur Organum.

15. Organum silere debet in Missis et Officiis de Tempore Adventus et Quadragesimæ, si modo excipias Missam Dominicæ tertiæ Adventus et quartæ Quadragesimæ, nec non Vigiliæ Nativitatis Domini. Item silet in Missis et Officiis Defunctorum. Vide *Cærem. Episc.* Lib. I. Cap. XXVIII.

16. Circa hanc Cæremonialis Episcoporum dispositionem notandum:

a) In Missis Defunctorum Organi pulsatio tono lugubri permitti potest, saltem si accedat consuetudo, et dummodo nihil per Organum suppleatur.

b) Item juxta plures Auctores Organi usus licitus est in omnibus Missis et Officiis, n. 15. exceptis, modo in Diœcesi talis vigeat consuetudo ab Ordinario tolerata, et Organum solummodo adhibeatur ad cantum dirigendum et sustentandum; et ea insuper lege, ut nihil per Organum suppleatur, sed omnia a Choro decantentur. Graves tamen Auctores sufficere censent, ut cantata parte Graduális, reliqua voce alta recitentur. Idem dicendum de Tractu.

FINIS PARTIS SECUNDÆ.



CÆREMONIALIS

FF. MINORUM RECOLLECTORUM

ALMÆ PROVINCIÆ

GERMANIÆ INFERIORIS

PARS TERTIA.

DE USU ET ADMINISTRATIONE SACRAMENTORUM, VESTITIONIBUS, PROFESSIONIBUS, JUBILÆIS, CONFRATERNITATE CHORDÆ, DEQUE DIVERSIS OPERIBUS AC EXERCITIIS, TAM AD PIETATEM QUAM AD ORDINEM DOMESTICUM SPECTANTIBUS.

PRÆNOTANDUM.

Cum non omnium Sacramentorum usus vel administratio ad Nos pertineat, hoc Cæremoniali Ritus et Cæremoniæ præscribuntur tantummodo eorum, quæ a Nobis vel suscipi vel administrari quandoque contingit.

Vide quæ habet Rituale Romanum *de iis quæ in administratione Sacramentorum generaliter servanda sunt.*

CAPUT I.

DE USU ET ADMINISTRATIONE SACRAMENTORUM.

§ 1.

DE MODO MINISTRANDI ET SUSCIPIENDI SACRAMENTUM PŒNITENTIÆ.

1. *Sanctum Pœnitentiæ Sacramentum. . . . . eo diligentius admi-*

nistrandum est, quo frequentior est ejus usus, et quo plura requiruntur ad illud recte, digneque tractandum ac suscipiendum.....

2. *In primis meminerit Confessarius, se judicis pariter et medici personam sustinere, ac divinæ justitiæ simul et misericordiæ ministrum a Deo constitutum esse, ut tamquam arbiter inter Deum et homines, honori divino et animarum saluti consulat....*

3. Quapropter *Sacerdos ad audiendam Confessionem vocatus, promptum facilemque se præbeat; ac priusquam ad audiendum accedat, si tempus suppetat, ad hoc ministerium recte sancteque obeundum, divinum auxilium piis precibus implorabit.*

4. *Superpelliceo et Stola violacei coloris utatur, prout tempus, vel locorum feret consuetudo.* Hinc servari potest consuetudo Sacramentum Pœnitentiæ ministrandi in habitu Religionis (etiam cum mantello) absque superpelliceo et Stola. Cætera vide in Rituali Romano, et in Synodo Provinciali Ultraject. Tit. IV. Cap. VIII.

5. De confiteri volentibus inter alia Rituale Romanum subjungit: *Pœnitens, si opus fuerit, admoneatur, ut, qua decet, humilitate mentis et habitus accedat, et flexis genibus, signo Crucis se muniat.*

6. Quocirca Fratres nostri confiteri volentes, accedant Confessarium humili pariter ac devota corporis animique compositione; dein genua flectunt et dicunt BENEDIC PATER REVERENDE.

7. Confessarius ex laudabili consuetudine mox benedicit pœnitentem, formans manu dextra signum Crucis super eum, et dicens: DOMINUS SIT IN CORDE TUO ET IN LABIIS TUIS, AD DIGNE CONFITENDUM PECCATA TUA; IN NOMINE PATRIS, ET FILII, ET SPIRITUS SANCTI. Interim pœnitens signo Crucis se muniat.

8. *Tum pœnitens Confessionem generalem latina vel vulgari lingua dicat; scilicet* CONFITEOR etc. usque ad IDEO PRECOR exclusive; *vel saltem utatur his verbis:* CONFITEOR DEO OMNIPOTENTI, ET TIBI, PATER, quod etc. exprimendo humiliter, quæ habet confitenda.

9. Quo facto, concludit suam Confessionem dicendo: DE HIS, ET OMNIBUS ALIIS PECCATIS, QUORUM NON RECORDOR, VEHEMENTER DOLEO EX AMORE DEI, ET PETO SALUTAREM PŒNITENTIAM ET ABSOLUTIONEM. Tum subjungit IDEO PRECOR etc. Quo finito, audit, quid Confessarius sit dicturus.

10. *Cum* Confessarius *pœnitentem absolvere voluerit, injuncta ei prius, et ab eo acceptata salutari pœnitentia, primo dicit* MISEREATUR TUI etc. aliaque in Rituali Romano præscripta.

11. Pœnitens, accepta Absolutione, surgit, et manibus debite compositis, recedit.

12. Fratres omnes, admonente Seraphico Doctore S. Bonaventura, „cor suum per puram Confessionem mundatum, dignum Deo habitaculum præparent; illud excolant, illud exornent; nihil ibi sordidum, vel obscurum, nihil ibi vel ad horam residere, quod Dilecti sui oculos offendere valeat, patiantur." *Spec. Disc.* Part. II. Cap. I. De modo administrandi sacram Communionem vide Part. I. cap. VI.

§ 2.

DE COMMUNIONE FRATRUM NOSTRORUM PER MODUM VIATICI FACIENDA.

1. *Viaticum sacratissimi Corporis Domini nostri Jesu Christi summo studio ac diligentia* Fratribus nostris *ægrotantibus opportuno tempore procurandum est, ne forte contingat illos tanto bono.... privatos decedere.*

2. Statuto per Superiorem Sacramenti administrandi tempore, infirmaria vel ægroti cubiculum mundabitur, et, quoad fieri potest, ornabitur. In conspectu infirmi parabitur mensa, linteo mundo cooperta, in qua ponatur Crux cum imagine Crucifixi, inter duos saltem cereos ardentes. In ipsa quoque mensa ponatur vasculum cum aqua munda, pro digitorum ablutione. Præsto quoque erit linteum mundum, a Sacrista mento communicandi supponendum, si ipse infirmus id præstare non valeat. Adsit insuper Stola alba, si infirmus sit Sacerdos, qua indutus communicet more Sacerdotum.

3. Dato per campanellam refectorii signo, Superior, seu alius Sacerdos ab eo designatus, et illi, qui superpellicea induere debent, ad Sacristiam se conferunt; alii vero Religiosi vadunt ad Altare SS. Sacramenti, ubi in duas lineas divisi genuflectunt.

4. E Sacristia procedunt hoc ordine: præcedunt duo Ceroferarii

cum laternis accensis; quos sequuntur Sacrista et Acolythus, quorum prior defert velum humerale album, et bursam albi coloris cum Corporali et purificatorio, nec non hoc Cæremoniale; alter vero portat vas cum aqua benedicta et aspersorium; hos sequuntur Fratres, (vel Frater) qui umbellam, et deinde illi, (saltem duo) qui intorticia deferunt. Omnes prædicti superpelliceis sint induti. Tandem sequitur Superior, indutus Amictu, superpelliceo, Stola et Pluviali albi coloris.

5. Facta ab omnibus Altari debita reverentia per genu unius flexionem in plano, Superior mox surgit, assumit velum humerale, Altare ascendit, genuflectit, et accepta Pyxide, Tabernaculum claudit, si SS. Sacramentum ibidem adhuc contineatur. Mox Pyxidem conopeolo suo tectam, velo humerali cooperit, ita ut velum manus et Pyxidem tegat. Quo facto, descendit, et subit umbellam, interim ante Altare delatam. Cæteri omnes interea genuflexi manent.

6. Statim procedunt omnes; præcedunt Ceroferarii cum laternis; sequuntur Sacrista et Acolythus; succedunt cæteri Religiosi, quorum junior campanulam, de credentia acceptam, per intervalla leviter pulsat; deinde veniunt intorticia gerentes; et tandem Superior sub umbella SS. Sacramentum portans.

7. Superior ab Altari descendens incipit in tono psalmodiæ Psalmum: MISERERE, quem Religiosi alternatim prosequuntur, quousque ad locum, ubi decumbit infirmus, perventum fuerit. Qui deferunt laternas et umbellam ad portam infirmariæ sistunt, si commode intrare nequeant.

8. Superior *ingrediens locum, ubi jacet infirmus*, clara voce *dicat* PAX HUIC DOMUI. Chorus autem respondet ET OMNIBUS HABITANTIBUS IN EA. Mox Sacrista super mensam præparatam explicat Corporale, super quo Sacerdos deponit Pyxidem cum Sacramento, illudque *genuflexus adorat, omnibus in genua procumbentibus:* Religiosis nempe in loco magis congruo, Tædiferis vero hinc inde prope mensam.

9. *Et mox* Superior erectus, velum humerale deponit, et *accepta aqua benedicta, aspergit infirmum et cubiculum, dicens* (etiam tem-

pore Paschali) *Antiphonam*: *Asperges me, Domine, hyssopo, et mundabor; lavabis me, et super nivem dealbabor.*

10. Deinde reddito aspersorio, et reiterata SS. Sacramenti adoratione per unius genu flexionem, stans facie ad Sacramentum versa, subjungit *et primum versum Psalmi:*

Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam.

Deinde subdit:

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto.

Sicut erat in principio etc. *Amen.*

Deinde repetitur Antiphona:

Asperges me, etc. ut supra.

11. *Postea* dicit sequentes Versus, Choro respondente:

℣. *Adjutorium nostrum in nomine Domini.*

℟. *Qui fecit cœlum et terram.*

℣. *Domine, exaudi orationem meam.*

℟. *Et clamor meus ad te veniat.*

℣. *Dominus vobiscum.*

℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS.

Exaudi nos, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: et mittere digneris sanctum Angelum tuum de cœlis, qui custodiat, foveat, protegat, visitet, atque defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

12. *His dictis*, et facta genuflexione, *accedat ad infirmum*, quem brevi et suavi alloquio excitat ad devotam hujus Sacramenti susceptionem. Absoluta exhortatiuncula, infirmus coram Communitate de defectibus culpam agnoscit, cui Superior nomine omnium ignoscit, vicissimque petit ignosci, casu quo foret quidpiam contra infirmum commissum.

13. *Postea facta de more Confessione generali*, id est, dicto CONFITEOR, *sive ab infirmo*, si commode potest, *sive ejus nomine, ab alio*, nempe Sacrista, *Sacerdos*, nempe Superior, aperit Pyxidem, genuflectit, surgit, et stans conversus ad infirmum, *dicit*:

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

Crucis super infirmum, nihil dicens; omnes, capite profunde inclinato, hanc Benedictionem quoque accipiunt: *et* deinde Superior *reverenter illud* id est, Sacramentum, *deferens* ut prius, *ordine quo venerat, revertitur ad Ecclesiam, dicendo* interim in egressu de infirmaria *Psalmum:* LAUDATE DOMINUM DE CŒLIS etc. quam Chorus alternatim recitat, *et*, hoc expleto, addunt *alios Psalmos et Hymnos, prout tempus feret.*

19. Statim ac Superior cum Sacramento infirmum benedixerit, Sacrista plicat Corporale, et in bursam reponit, quam secum defert.

20. *Cum* Superior *pervenerit ad Ecclesiam, ponit Sacramentum super Altare*, supposito Corporali a Sacrista, *adorat* per genu unius flexionem; *deinde* descendit, retento velo humerali, et repetita in infimo gradu Altaris genu unius flexione, clara voce *dicit* etiam tempore Paschali:

℣. *Panem de cœlo præstitisti eis.*
℟. *Omne delectamentum in se habentem.*
℣. *Dominus vobiscum.*
℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS.

Deus, qui nobis sub Sacramento mirabili Passionis tuæ memoriam reliquisti: tribue, quæsumus, ita nos Corporis et Sanguinis tui sacra mysteria venerari, ut Redemptionis tuæ fructum in nobis jugiter sentiamus. Qui vivis et regnas cum Deo Patre, in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

21. *Deinde*, facta genuflexione ut supra, retrahit se tantillum ad cornu Evangelii, et ad Religiosos conversus, *annuntiat Indulgentias, a summis Pontificibus concessas sanctissimum Sacramentum comitantibus.*

22. *Postea* ad medium Altaris conversus, genuflectit, Altare ascendit, genuflectit, et accepta Pyxide, *cum Sacramento in Pyxide, velo* humerali *cooperta, faciat signum Crucis super populum*, seu Religiosos, *nihil dicens. Postremo illud in loco suo reponat*, hoc

ad [illegible]
exp[illegible]
sed [illegible]

A[illegible]

[illegible] S. R. [illegible]

§ 3.

[illegible] EXTREMÆ UNCTIONIS.

[illegible] Sacramentum, a Christo Domino [illegible]

m, tamquam cœlestis medicina, non animæ solum, sed etiam bori salutaris, omni studio ac diligentia, periculose ægrotantibus hibendum est; et eo quidem tempore, si fieri possit, cum illis huc integra mens et ratio viget, ut ad uberiorem Sacramenti atiam percipiendam ipsi etiam suam fidem, ac piam animi vo- ntatem conferre possint, dum sacro liniuntur Oleo. Ad quod n tantum Superior, sed etiam Frater curam infirmorum habens iam diligentissime invigilabunt. Plura vide in Rituali Romano.

2. Antequam hoc Sacramentum ad ægrotum deferatur, Infirmarius ræparet *apud infirmum mensam, mappa candida coopertam; item- ue vas, in quo sit bombacium, seu quid simile, in septem globu- s distinctum, ad abstergendas partes inunctas; medullam panis, d detergendos digitos; et aquam, ad abluendas Sacerdotis manus;* : manutergium; *ceream item candelam, quæ deinde accensa ipsi* acerdoti *ungenti lumen præbeat.* Adsint etiam in infirmaria super- elliceum et Stola violacea.

3. His omnibus in infirmaria præparatis, cum tempus erit, datur gnum per campanellam refectorii, et mox Communitas ad Chorum u Ecclesiam convenit, et flexis genibus exspectat, donec tempus t procedendi ad infirmariam. Superior interim, ægrotum unc- irus, lotis manibus, in habitu ordinario accedit ad locum, ubi crum Oleum infirmorum asservatur, *decenter accipit vas sacri lei infirmorum, sacculo serico violacei coloris inclusum, illudque ute deferat ne effundi possit.*

4. Mox surgunt omnes, et ordinatim procedunt ad infirmariam. æcedit Acolythus, deferens parvam *Crucem sine hasta*, sed cum agine Crucifixi, quam ægroto pie deosculandam porrigere debet cerdos suo tempore; hinc inde incedunt duo Religiosi, quorum er vas cum aqua benedicta et aspersorium defert; alter vero c Cæremoniale. Sequitur Communitas; et tandem Superior, deferens rum Oleum, ut supra. Non adhibetur lumen, nec campanula. im Choro egrediuntur, recitare possunt Psalmum: MISERERE.

5. *Cum perventum fuerit ad locum, ubi jacet infirmus, Sacer- intrans cubiculum,* clara voce *dicit:* PAX HUIC DOMUI. Com- nitas respondet ET OMNIBUS HABITANTIBUS IN EA.

6. *Deinde deposito Oleo super mensam, superpelliceo, Stolaque violacea indutus, ægroto Crucem pie deosculandam porrigit; mox in modum Crucis cum aqua benedicta, et* deinde *cubiculum et circumstantes* per circuitum *aspergit dicens Antiphonam:* ASPERGES ME, DOMINE, etc. ut § 2. præc.

7. *Deinde piis verbis illum* (infirmum) *consoletur, et de hujus Sacramenti vi atque efficacia, si tempus ferat,* et ita expedire judicaverit, *breviter admoneat; et quantum opus sit, ejus animum confirmet, et in spem erigat vitæ æternæ.*

8. *Postea* Sacerdos stans *dicat:*

℣. *Adjutorium nostrum in nomine Domini.*

Alii genuflexi respondent: ℟. *Qui fecit cœlum et terram.*

℣. *Dominus vobiscum.*

℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS.

Introeat, Domine Jesu Christe, domum hanc sub nostræ humilitatis ingressu, æterna felicitas, divina prosperitas, serena lætitia, charitas fructuosa, sanitas sempiterna; effugiat ex hoc loco accessus dæmonum: adsint Angeli pacis, domumque hanc deserat omnis maligna discordia. Magnifica, Domine, super nos nomen sanctum tuum; et benedic ✝ nostræ conversationi: sanctifica nostræ humilitatis ingressum, qui sanctus et qui pius es, et permanes cum Patre et Spiritu Sancto in sæcula sæculorum. Amen.

Oremus, et deprecemur Dominum nostrum Jesum Christum, ut benedicendo benedicat ✝ hoc tabernaculum, et omnes habitantes in eo, et det eis Angelum bonum custodem, et faciat eos sibi servire ad considerandum mirabilia de lege sua: avertat ab eis omnes contrarias potestates: eripiat eos ab omni formidine, et ab omni perturbatione, ac sanos in hoc tabernaculo custodire dignetur. Qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat Deus in sæcula sæculorum. Amen.

OREMUS.

Exaudi nos, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: et mittere digneris sanctum Angelum tuum de cœlis, qui custodiat, foveat, protegat, visitet, atque defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

9. *Quæ Orationes, si tempus non patiatur, ex parte, vel in totum poterunt omitti. Tum*, præmissa inter infirmum et Communitatem mutua reconciliatione, ut § 2. præc. n. 12. (quæ omittitur, si immediate post Viaticum detur sacra Unctio) et *de more facta Confessione generali*, id est, dicto CONFITEOR, *Sacerdos* ad infirmum conversus *dicat:* MISEREATUR etc. INDULGENTIAM etc. ut § 2. præc. n. 13.

10. *Antequam* Sacerdos *incipiat ungere infirmum, moneat adstantes, ut pro illo orent; et ubi commodum fuerit, pro loco et tempore, et adstantium numero vel qualitate, recitent septem Psalmos Pœnitentiales cum Litaniis, vel alias preces, dum ipse Unctionis Sacramentum administrat.* Hæ preces a Religiosis alternatim cum uno ex senioribus Patribus, clara, moderata tamen voce, recitentur. Si vero ex ejusmodi recitatione infirmus gravaretur, privatim et submissa voce dicantur.

11. Dum Religiosi preces incipiunt, Sacerdos accipit vasculum Olei sacri, illud aperit, et manu sinistra tenet. Tunc conversus ad infirmum, dicit sequentem Orationem, ter benedicens infirmum manu dextra, manu vero sinistra vasculum Olei sacri ante pectus elevatum tenens. Frater, qui detulit Cæremoniale, illud interea ante Sacerdotem apertum sustinet.

In nomine Patris ✝, *et Filii* ✝, *et Spiritus* ✝ *Sancti, extinguatur in te omnis virtus diaboli per impositionem manuum nostrarum, et per invocationem omnium sanctorum Angelorum, Archangelorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum, atque omnium simul Sanctorum. Amen.*

12. Dicta hac Oratione, Sacerdos accedit ad infirmum, cum Fratre, qui Cæremoniale apertum sustineat, a sinistris; et cum altero a dextris, qui dextra cereum accensum, sinistra vero vas seu pelviculam cum globulis bombacii teneat.

13. *Deinde* Sacerdos, *intincto pollice* manus dextræ *in Oleo sancto, in modum Crucis ungit infirmum in partibus hic subscriptis, aptando proprio loco verba formæ in hunc modum:*

AD OCULOS, super palpebras clausas.

Per istam sanctam Unctionem ✝, *et suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid per visum deliquisti. Amen.*

14. *Minister vero*, vel alius, *si est in Sacris, vel ipsemet Sacerdos, post quamlibet unctionem, tergat loca inuncta novo globulo bombacii, vel rei similis, eaque in vase mundo reponat, et ad Ecclesiam postea deferat, comburat, cineresque projiciat in sacrarium.*

15 „*Dum oculos, aures, et alia corporis membra, quæ paria sunt, Sacerdos ungit, caveat, ne alterum ipsorum inungendo, Sacramenti formam prius absolvat, quam ambo hujusmodi paria membra perunxerit.*" Rituale Rom. *Instruct. prævia.*

Incipitur autem forma cum unctione membri dextri, et finitur cum unctione membri sinistri. Loca inuncta tantum post unctiones utriusque et eodem globulo terguntur.

AD AURES.

Per istam sanctam Unctionem ✝, *et suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid per auditum deliquisti. Amen.*

Hæc unctio fit in lobulo seu ima auricula.

AD NARES.

Per istam sanctam Unctionem ✝, *et suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid per odoratum deliquisti. Amen.*

AD OS, COMPRESSIS LABIIS.

Per istam sanctam Unctionem ✝, *et suam piissimam misericor-*

diam, indulgeat tibi Dominus quidquid per gustum et locutionem deliquisti. Amen.

Notandum, quod quando infirmus est in agone positus, ore hiante, Sacerdos non debet curare, ut labia comprimantur, ne clauso ore respiratio intercludatur; sed sufficit, ut labium sive superius sive inferius ungatur.

AD MANUS.

Per istam sanctam Unctionem ✝, *et suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid per tactum deliquisti. Amen.*

Hæc unctio in media palma utriusque manus adhibetur. *Et adverte, quod Sacerdotibus... manus non inunguntur interius, sed exterius.*

AD PEDES.

Per istam sanctam Unctionem ✝, *et suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid per gressum deliquisti. Amen.*

Pedes unguntur in parte superiori aut inferiori, seu in planta, pro consuetudine, aut majori infirmi commoditate.

AD LUMBOS, SIVE RENES.

Per istam sanctam Unctionem ✝, *et suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid per lumborum delectationem deliquisti. Amen.*

Hæc autem unctio ad lumbos... omittitur semper in fœminis, et etiam in viris, qui ob infirmitatem vix, aut sine periculo moveri non possunt. Quo in casu alia corporis pars pro renibus ungi non debet, adjungit Rit. Rom. *Instruct. prævia.*

„Unctio renum ex Pontificio indulto Neerlandiæ Diœcesibus concesso, etiam in viris omittitur. Ejus autem loco pariter ex Apostolica venia, in aliquibus Diœcesibus adhibetur in viris unctio ad pectus post unctionem ad os sub forma: *Per istam sanctam Uncti-*

onem ✝, *et per suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid per cogitationes et affectus cordis deliquisti. Amen.*" Append. ad Rit. Rom.

16. *Si quis autem laborat in extremis, et periculum immineat, ne decedat antequam finiantur unctiones, cito ungatur, incipiendo ab eo loco:* Per istam sanctam unctionem, etc. *Deinde, si adhuc supervivat, dicantur Orationes prætermissæ, suo loco positæ.*

17. *Si vero, dum inungitur, infirmus decedat, Presbyter ultra non procedat, et prædictas Orationes omittat. Quod si dubitet, an vivat adhuc, unctionem prosequatur, sub conditione pronuntiando formam, dicens:* Si vivis, per istam sanctam unctionem, etc.

18. *Si quis autem sit aliquo membro mutilatus, pars loco illi proxima inungatur, eadem verborum forma.*

19. *Sed si infirmus, dum phrenesi, aut amentia laborat, verisimiliter posset quidquam facere contra reverentiam Sacramenti, non inungatur, nisi periculum tollatur omnino.*

20. Unctionibus omnibus peractis, Sacerdos vasculum cum Oleo sacro reponit super mensam, et accepta mica seu buccella panis, detergit pollicem et digitos, quibus sacrum Oleum tetigit; quo facto, manus abluit, aliquo Fratre aquam fundente, et altero præbente manutergium.

21. *Quibus omnibus peractis, Sacerdos*, stans conversus ad infirmum, *dicit:*

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Pater noster, secreto usque ad:

℣. *Et ne nos inducas in tentationem.*

℟. *Sed libera nos a malo.*

℣. *Salvum fac servum tuum.*

℟. *Deus meus, sperantem in te.*

℣. *Mitte ei, Domine, auxilium de sancto.*

℟. *Et de Sion tuere eum.*

℣. *Esto ei, Domine, turris fortitudinis.*

℟. *A facie inimici.*

℣. *Nihil proficiat inimicus in eo.*

℟. *Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.*

℣. *Domine, exaudi orationem meam.*
℟. *Et clamor meus ad te veniat.*
℣. *Dominus vobiscum.*
℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS.

Domine Deus, qui per Apostolum tuum Jacobum locutus es: Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum, ungentes eum Oleo in nomine Domini: et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus: et si in peccatis sit, remittentur ei; cura, quæsumus, Redemptor noster, gratia Sancti Spiritus languores istius infirmi, ejusque sana vulnera, et dimitte peccata, atque dolores cunctos mentis et corporis ab eo expelle, plenamque interius et exterius sanitatem misericorditer redde, ut ope misericordiæ tuæ restitutus, ad pristina reparetur officia. Qui cum Patre et Spiritu Sancto vivis et regnas Deus in sæcula sæculorum. Amen.

OREMUS.

Respice, quæsumus, Domine, famulum tuum N. in infirmitate sui corporis fatiscentem, et animam refove, quam creasti: ut castigationibus emendatus, se tua sentiat medicina salvatum. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

OREMUS.

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui benedictionis tuæ gratiam ægris infundendo corporibus, facturam tuam multiplici pietate custodis: ad invocationem tui nominis benignus assiste; ut famulum tuum, ab ægritudine liberatum, et sanitate donatum, dextera tua erigas, virtute confirmes, potestate tuearis, atque Ecclesiæ tuæ sanctæ, cum omni desiderata prosperitate, restituas. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

22. *Ad extremum* Sacerdos, *pro personæ qualitate, salutaria monita breviter præbere poterit, quibus infirmus ad moriendum in Domino confirmetur, et ad fugandas dæmonum tentationes roboretur.*

23. Si Sacerdos expedire judicaverit, ut infirmo statim impertiatur Absolutio generalis, illam tribuat sicut habetur infra cap. III. § 5.

24. Postmodum Sacerdos exuit Stolam et superpelliceum; accipit vasculum cum Oleo sacro, illud sacculo includit, et discedit cum Communitate eo modo, quo venerat. Per viam recitare possunt Psalmum: AD DOMINUM CUM TRIBULARER, CLAMAVI, et alios ex Gradualibus, pro longitudine itineris.

25. Cum omnes ad Chorum seu Ecclesiam fuerint reversi, defert Sacerdos Oleum sacrum ad locum, ubi asservatur; et tota Communitas pro infirmo Fratre, ejusque spirituali et corporali prosperitate legit orationes in Cruce.

26. Si sacrum Viaticum et sacrum Oleum simul deferantur, observanda sunt sequentia:

a) Alius Sacerdos vel Diaconus, superpelliceo indutus, cum Oleo sacro, occulte delato, sequitur Sacerdotem Viaticum portantem.

b) Sacerdos, administrato Viatico, Stolam albam deponit, et violaceam assumit; vel si deferat Stolam bicolorem, videlicet ex una parte albam et ex altera parte violaceam, illam invertit.

c) Pro administratione Extremæ Unctionis, verba: PAX HUIC DOMUI, (n. 5.) aspersio aquæ benedictæ (n. 6.) et mutua reconciliatio (n. 9.) omittuntur; quia ante administrationem Viatici jam dicta et facta sunt.

d) CONFITEOR bis recitandum est, et quidem ter, si detur Absolutio generalis.

e) Benedictio infirmi cum SS. Sacramento differtur usque ad finem totius administrationis.

27. Vide quæ habentur in Rituali Romano, sub Titulis: *De visitatione et cura infirmorum. Modus juvandi morientes. Ordo commendationis animæ. In expiratione.*

§ 4.

DE OBITU ET SEPULTURA FRATRUM NOSTRORUM DEFUNCTORUM.

1. Fratre aliquo agonizante, totus Conventus (vel saltem major aut magna ejus pars) per campanellam refectorii ad infirmariam convocabitur, morituri exitum Domino Deo humiliter recommendaturus. Interim Sacerdos aliquis infirmo Fratri assistit, et ordinariam animæ Commendationem præleget, ut in Rituali Romano, seu Breviario.

2. *Egressa anima de corpore, statim dicatur Responsorium:* SUBVENITE SANCTI DEI, ut l. c. et mox per magnam campanam Ecclesiæ signum detur, primo tintinnando, deinde pulsando, sic ut talis tintinnatio cum pulsu tribus alternis vicibus repetatur, et spatio quadrantis horæ absolvatur. Sin autem eo noctis tempore quis defungatur, quo non convenit campanas pulsari, tunc ordinarium signum dabitur post Salutationem Angelicam matutinam.

3. Corpus de more honeste componi debet: nimirum oculi et os clauduntur; caput, manus et pedes abluuntur, et habitu veteri sed decenti induitur. Si Defunctus fuerit Sacerdos, collo ejus Stola violacea imponatur; si Diaconus, habeat Stolam transversam more Diaconorum; si Subdiaconus, Manipulum e brachio sinistro pendentem.

4. Corpus, ita indutum, et flosculis aliisque herbis odoriferis adornatum, super nudo feretro, in infirmaria, vel alio convenienti loco, collocabitur. Caput caputio sit coopertum; rosarium manibus appendatur; et Crux cum Christi crucifixi imagine super pectus inter manus ponatur.

5. Prope cadaver paretur mensa, cooperta mappa munda, cum duobus saltem cereis continuo ardentibus, et vasculo aquæ benedictæ cum aspersorio, quo corpus interdum aspergatur. Bini Fratres in Choro pro Defuncti solatio preces fundant, tempore tantum diurno, nempe a finita Nona usque ad Vesperas.

6. Constituto per Superiorem tempore corpus ad Ecclesiam deportandi, Fratres per trinam magnæ campanæ tintinnationem ad Chorum seu Ecclesiam convocabuntur; et omnibus debite præpara-

tis. II. Processio ad infirmariam, seu locum, ubi corpus positum est.

7. Præcedit Acolythus cum vase aquæ benedictæ et aspersorio: ipsum sequitur Clericus Crucem processionalem portans; Cruciferum sequuntur Religiosi bini et bini; deinde quatuor Clerici faces extinctas ferentes, et tandem Superior. Acolythus, Crucifer et Tædiferi induti sint superpelliceis; Superior vero superpelliceo, ac Stola et Pluviali nigris. Procedunt sub silentio, et capite detecto, excepto Superiore.

8. Cum omnes Religiosi, vel saltem Superior cum omnibus, qui superpelliceis induti sunt, infirmariam, seu locum, ubi jacet Defuncti cadaver, intraverint, Superior sistit se ad pedes Defuncti, habens a tergo Acolythum cum aqua benedicta: Crucifer stat ad caput Defuncti; et hinc inde Religiosi portantes faces, quæ statim accenduntur. Reliqui circumstant feretrum, si per spatium liceat.

9. Tum Superior accipit ab Acolytho aspersorium, et corpus Defuncti aspergit aqua benedicta ter: in medio, a dextris, et a sinistris Defuncti, interim nihil dicens. Post aspersionem inchoat Antiphonam, Si iniquitates observaveris; mox adjungit Psalmum: De profundis, quem alternatim cum Choro prosequitur; et in fine: Requiem æternam dona ei, Domine; et lux perpetua luceat ei. Deinde *repetit Antiphonam totam:* Si iniquitates observaveris, Domine: Domine quis sustinebit?

10. *Deinde cadaver effertur* per quatuor vel plures Religiosos ejusdem gradus et conditionis, ita videlicet, ut Sacerdos a Sacerdotibus, Clericus a Clericis ejusdem Ordinis, et Laicus a Laicis deferatur.

11. Ad Ecclesiam procedunt ut n 7. Acolythus, Crucifer et Religiosi; hos sequitur Superior præcedens feretrum, circa cujus quatuor angulos incedunt quatuor Clerici cum tædis ardentibus. Vide etiam infra n. 31.

12. Mox ac feretrum levatur, Superior de infirmaria, seu loco, procedens, *gravi voce intonat* sine cantu *Antiphonam:* Exultabunt Domino; qua incepta, statim primus Cantor inchoat Psalmum: Miserere, Choro alternatim prosequente; *ac si longitudo itineris postulaverit, dicantur Psalmi Graduales:* Ad Dominum, cum tri-

BULARER, etc. *vel alii Psalmi ex Officio Mortuorum*; *et in fine cujusque Psalmi dicitur* REQUIEM ÆTERNAM DONA EI DOMINE, etc. *qui Psalmi devote, distincte, gravique voce recitari debent, usque ad Ecclesiam.*

13. *Ad ingressum Ecclesiæ*, licet nondum sit finitus Psalmus, *repetitur Antiphona.* EXULTABUNT DOMINO OSSA HUMILIATA. Superior inchoat EXULTABUNT DOMINO, et Chorus prosequitur reliquum.

14. *Deinde Ecclesiam ingressi, cantant* cum notis *Responsorium:* SUBVENITE SANCTI DEI, *Cantore incipiente et Clero alternatim respondente.* Responsorium hoc dicendum est, uti habetur in Rituali Romano, Tit. *In expiratione.* Prima nimirum repetitio, post Versum: SUSCIPIAT, fit usque ad verbum ALTISSIMI inclusive.

15. *Deposito feretro in medio Ecclesiæ* seu Chori, Superior, si Responsorium nondum sit finitum, se sistit ad pedes, et Crucifer ad caput Defuncti; reliqui vero Religiosi hinc inde stant, ita ut juniores Cruci, et seniores Superiori sint viciniores; et omnes faciem vertant ad feretrum, quod sit in medio eorum. Si vero feretrum deponatur in medio Chori, Religiosi ad stalla sua se recipiunt.

16. Feretrum autem deponitur, *ita ut Defuncti pedes, si fuerit Laicus,* vel Clericus inferior Sacerdote, *sint versus Altare majus; si vero fuerit Sacerdos.... caput sit versus ipsum Altare.*

17. Feretrum cooperiatur panno nigro etc. ut dictum est § *De Absolutione pro Defunctis*, n. 3.

18. *Cereis accensis circa corpus, statim, nisi quid impediat,... dicatur Officium Mortuorum cum tribus Nocturnis et Laudibus.* Superior interim cum aliis in Sacristia deponit vestimenta.

19. Circa finem Officii, ad Psalmum: LAUDATE DOMINUM DE CŒLIS, pulsatur campana pro Missa, si cantetur immediate post Officium; et Sacerdos cum Ministris interim se præparabit in Sacristia, ut, Officio absoluto, Missam inchoet.

20. *Ad finem Officii post Antiphonam Cantici:* BENEDICTUS etc. EGO SUM RESURRECTIO etc. *dicitur* PATER NOSTER, et absolvitur *secreto* usque ad:

℣. *Et ne nos inducas in tentationem.*

℟. *Sed libera nos a malo.*

℣. *A porta inferi.*

℟. *Erue, Domine, animam ejus.*

℣. *Requiescat in pace.*

℟. *Amen.*

℣. *Domine, exaudi orationem meam.*

℟. *Et clamor meus ad te veniat.*

℣. *Dominus vobiscum.*

℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS.

Absolve quæsumus Domine, animam famuli tui ab omni vinculo delictorum; ut in resurrectionis gloria inter Sanctos et Electos tuos resuscitatus respiret. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

21. Versus: REQUIEM ÆTERNAM, et REQUIESCANT IN PACE non adduntur, sive statim Missa sequatur, sive mox ad Absolutionem procedatur.

22. Finita Missa, observantur ea, quæ dicta sunt § *De Absolutione pro Defunctis*, n. 5. 6. et 7.

23. Cum ad feretrum pervenerint, Celebrans semper se sistit ad pedes Defuncti; adeo ut, si Defunctus fuerit Sacerdos, se constituat feretrum inter et portam Ecclesiæ; sin autem Defunctus Sacerdos non fuerit, stat inter feretrum et Altare, aliquantulum versus cornu Epistolæ, ut l. c. n. 9. E converso Subdiaconus Crucem deferens, cum Ceroferariis semper se collocat ad caput Defuncti; quamobrem, si Defunctus fuerit Sacerdos, statuit se inter feretrum et Altare; si vero Sacerdos non fuerit, consistit feretrum inter et Ecclesiæ januam. Diaconus et duo Acolythi stant ut l. c. n. 9.

24. *Omnes alii de Clero veniunt ordinatim in gradu suo cum candelis accensis, et stant in circuitu feretri*, si feretrum sit in medio Ecclesiæ; si vero sit in Choro, Religiosi manent in stallis suis.

25. Omnibus ita constitutis, Celebrans stans junctis manibus, Diacono ante ipsum librum sustinente, in tono feriali *absolute dicit sequentem Orationem:*

Non intres in judicium cum servo tuo, Domine, quia nullus apud te justificabitur homo, nisi per te omnium peccatorum ei tribuatur remissio. Non ergo eum, quæsumus, tua judicialis sententia premat, quem tibi vera supplicatio fidei christianæ commendat; sed gratia tua illi succurrente, mereatur evadere judicium ultionis, qui dum viveret, insignitus est signaculo sanctæ Trinitatis: qui vivis et regnas in sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

26. *Deinde Cantore incipiente, Clerus circumstans cantat sequens Responsorium:* LIBERA ME, DOMINE, etc. Versus autem a binis dicuntur Cantoribus: prima vero repetitio post Versum: TREMENS, fit a primo asterisco usque ad secundum; ac verba a secundo asterisco usque ad præfatum Versum cantantur pro altera repetitione.

27. Circa finem Responsorii Diaconus et duo Acolythi accedunt ad dextram Celebrantis, ut § cit. n. 10. Deinde imponitur et benedicitur incensum in thuribulo ut ibid. n. 11.

28. Post ultimum KYRIE ELEISON *Sacerdos dicit alta voce,* PATER NOSTER etc. *et secreto dicitur ab omnibus;* ac interim corpus Defuncti, qui non fuit Sacerdos, aspergitur et thurificatur eodem modo, ut dictum est l. c. n. 12. Si vero Defunctus fuerit Sacerdos, Celebrans incipit aspersionem et incensationem corporis ad latus Epistolæ, non prætermissis in transitu Cruci vel SS. Sacramento debitis reverentiis.

29. Postea Celebrans dicit eodem modo ut l. c. n. 13.

℣. *Et ne nos inducas in tentationem.*

℟. *Sed libera nos a malo.*

℣. *A porta inferi.*

℟. *Erue, Domine, animam ejus.*

℣. *Requiescat in pace.*

℟. *Amen.*

℣. *Domine, exaudi orationem meam.*

℟. *Et clamor meus ad te veniat.*

℣. *Dominus vobiscum.*

℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS.

Deus, cui proprium est misereri semper, et parcere; te supplices exoramus pro anima famuli tui N. quam hodie de hoc sæculo migrare jussisti, ut non tradas eam in manus inimici, neque obliviscaris in finem, sed jubeas eam a sanctis Angelis suscipi, et ad patriam Paradisi perduci: ut quia in te speravit, et credidit, non pœnas inferni sustineat, sed gaudia æterna possideat. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

Si Defunctus fuerit Sacerdos, in Oratione dicatur: pro anima famuli tui Sacerdotis, quam, etc.

30. *Finita Oratione, corpus defertur ad sepulchrum, si tunc deferendum sit: et dum portatur, Clerici* seu Religiosi *cantant,* primo Cantore intonante, *Antiphonam:* IN PARADISUM. Qua finita, si longior sit via, cantari possunt Psalmi Graduales, Pœnitentiales, vel alii ex Officio Defunctorum.

31. Corpus tam in delatione ad Ecclesiam, quam ad sepulchrum, semper eodem modo, sive Defunctus fuerit Sacerdos sive Laicus, defertur, scilicet pedibus versis ad præcedentes; et ordinarie defertur manibus, sed, cogente necessitate, deferri potest super humeros.

32. Procedunt ad sepulchrum hoc ordine: Præcedunt duo Acolythi, quorum alter portat thuribulum et naviculam incensi; alter vero a sinistris ejus, defert vas aquæ benedictæ, aspersorium et hoc Cæremoniale. Hos sequitur Subdiaconus Crucem deferens, medius inter Ceroferarios cum candelabris accensis. Tum veniunt Religiosi ordinatim cum candelis suis; demum Celebrans cum Diacono a sinistris; et ultimo defertur feretrum.

33. Deponitur feretrum prope sepulchrum; et omnes illic se sistunt, prout in Ecclesia infra Absolutionem.

34. *Cum autem pervenerit ad sepulchrum, si non est benedictum, Sacerdos illud benedicit, dicens hanc Orationem:*

OREMUS.

Deus, cujus miseratione animæ fidelium requiescunt, hunc tu-

mulum benedicere dignare, eique Angelum tuum sanctum deputa custodem: et quorum quarumque corpora hic sepeliuntur, animas eorum ab omnibus absolve vinculis delictorum, ut in te semper cum Sanctis tuis sine fine lætentur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

35. *Dicta Oratione*, *Sacerdos* more solito ponit et benedicit incensum in thuribulo, tum *aqua benedicta aspergat* prius corpus Defuncti tribus vicibus, scilicet in medio, ad dextram et sinistram Defuncti; postea eodem modo aspergat tumulum; et *deinde incenset* similiter *corpus Defuncti et tumulum.*

At si sepulchrum jam fuerit benedictum, prætermittitur ejus Benedictio, nec non aspersio et thurificatio tum sepulchri tum corporis.

36. Postmodum Sacerdos intonat Antiphonam: EGO SUM. Qua intonata, Cantor incipit Canticum: BENEDICTUS, quod Chorus alternatim prosequitur usque in finem. Interim corpus in tumulum demittitur.

37. Cantico finito, Cantor repetit Antiphonam, quam Chorus complet, et illa completa, Sacerdos alternatim cum Choro cantat:

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Deinde Sacerdos dicit PATER NOSTER, et *interim corpus aspergit*, ut n. 9.

Postea Sacerdos cantat:

℣. *Et ne nos inducas in tentationem.*

℟. *Sed libera nos a malo.*

℣. *A porta inferi.*

℟. *Erue, Domine, animam ejus.*

℣. *Requiescat in pace.*

℟. *Amen.*

℣. *Domine, exaudi orationem meam.*

℟. *Et clamor meus ad te veniat.*

℣. *Dominus vobiscum.*

℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS.

Fac, quæsumus Domine, hanc cum servo tuo defuncto misericordiam, ut factorum suorum in pœnis non recipiat vicem, qui tuam in votis tenuit voluntatem: ut sicut hic eum vera fides junxit fidelium turmis; ita illic eum tua miseratio societ Angelicis choris. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

℣. *Requiem æternam dona ei, Domine.*

℟. *Et lux perpetua luceat ei.*

℣. *Requiescat in pace.*

℟. *Amen.*

℣. *Anima ejus, et animæ omnium fidelium defunctorum per misericordiam Dei requiescant in pace.* ℟. *Amen.*

38. Omnibus istis completis, Fratres laici, ad hoc deputati, tumulum statim terra adimplent, et adimpletum debite componunt. Reliqui vero omnes revertuntur ad Ecclesiam, ordine quo venerunt.

39. In ingressu Ecclesiæ Sacerdos sine cantu dicit SI INIQUITATES OBSERVAVERIS, DOMINE. Deinde primus Cantor incipit Psalmum: DE PROFUNDIS, quem Religiosi alternatim prosequuntur, et in fine dicitur REQUIEM ÆTERNAM DONA EIS, DOMINE etc. Postea a Sacerdote repetitur tota Antiphona: SI INIQUITATES OBSERVAVERIS, DOMINE: DOMINE, QUIS SUSTINEBIT?

40. Deinde nihil additur, et Sacerdos cum omnibus Ministris recto tramite ad Sacristiam revertitur.

§ 5.

DE ORDINE ET ORDINANDIS, AC DE PRIMITIIS SACERDOTUM.

1. *Cum*, secundum Concilium Tridentinum Sess. 23. Cap. 2. *divina res sit tam sancti Sacerdotii ministerium, consentaneum fuit, quo dignius et majori cum veneratione exerceri posset, ut in Ecclesia ordinatissima dispositione plures et diversi essent Ministrorum ordines, qui Sacerdotio ex officio deservirent; ita distributi*

ut, qui jam Clericali Tonsura insigniti essent, per minores ad majores ascenderent.

2. Fratres itaque ad hæc Ministeria assumendi, omnino invigilent, ut dignitati Clericali mores, vitaque respondeant; et quo proximius Sacerdotio accedunt, in Ordine suo, ita quoque pietate, morum gravitate, et devota Sacramentorum frequentia cæteros antecedant.

3. Ad sacros Ordines assumendi, spiritualia exercitia per octo dies continuos devote servabunt, toto illo tempore orationibus instanter vacantes, et conscientiam a culpis omnibus emundantes, divinum implorent auxilium, quatenus debite Ordinem sacrum suscipiant, et in suscepto postea pie ac fideliter administrent.

4. Frater sacrum Ordinem suscepturus, pridie quam e Conventu recedit, ante cœnam seu collationem vespertinam, in refectorio coram Communitate, in terram humiliter prostratus remanet, donec Præses dicat QUID PETIS, FRATER? Tunc Ordinandus se erigens, manibus junctis et genuflexus preces Fratrum humiliter postulat in hunc modum:

Admodum venerande Pater, et in Christo Jesu dilectissimi Patres, ac Fratres, rogo vos ob amorem Domini nostri Jesu Christi, ac beatissimæ Virginis Mariæ, nec non beatissimi Patris nostri Francisci, et omnium Sanctorum, ac Sanctarum Dei, quatenus me ad sacrum Subdiaconatus (Diaconatus, Presbyteratus) Ordinem admittere dignemini, et orare pro me, ut ille Ordo a me suscipi, et exerceri possit ad majorem Dei gloriam, animæ meæ salutem, ac Ordinis nostri et totius Ecclesiæ utilitatem.

5. Si plures ad sacros Ordines sint promovendi, tunc senior eorum facit petitionem pro omnibus, omnia dicendo in plurali, et Ordines, ad quos promovendi sunt, exprimendo.

6. Hac petitione facta, iterum se in terram prosternit, et Præses, præmissa aliqua exhortatiuncula, pollicetur preces nomine totius Communitatis. Quo facto, Ordinandus surgit, et genuflexus ante locum Præsidis, ubi liber Evangeliorum super mensam positus sit, publicam Orthodoxæ Fidei Professionem emittit, juxta formam, a Summis Pontificibus Pio IV. et Pio IX. præscriptam, quam vide in fine hujus Cæremonialis. Qua Professione facta, iterum in medio refec-

2. Petitione facta, Candidatus iterum in terram se prosternit, et Præses ei inculcans rei gravitatem, commendat, ut per preces et alia spiritualia exercitia gratiam S. Spiritus imploret, ut illa adjutus, petitionis suæ effectum melius consequatur. Deinde Candidatus jussus surgere, terram iterum exosculatur, surgit et vadit ad locum suum. Pridie Investitionis ipsi caput radatur; adhibeat vero, donec sit indutus habitu, capitegium, vulgo dictum *Soli Deo.*

3. Ipsa die Investitionis, tempestive in Presbyterio a Sacrista parabitur genuflexorium, tapete tantum coopertum, cui imponitur Crucifixus. Apud genuflexorium aptabitur candelabrum, cui imponi possit candela post Vestitionem. In plano, a latere Epistolæ, præparatur mensa, mappa alba cooperta, super quam deponuntur vestimenta religiosa benedicenda. Præsto quoque erit vas aquæ benedictæ cum aspersorio.

4. Vestitio et Professio fiant mane, post summum Sacrum. Fit autem per Superiorem, vel alium Sacerdotem id facultatis habentem, conformiter ad Stat. Prov. Cap. I. § 3. n. 1.

5. Mane hora competenti summum Sacrum paulo solemnius, quam alias factum fuisset, decantetur secundum præscriptum Rubricarum de Festivitate occurrente.

6. Ab initio Missæ Candidatus, præeunte Patre Instructore, vadit ad genuflexorium præparatum, super quod genuflectit: Instructor vero genuflectit super genuflexorio distincto, in cornu Epistolæ posito. Post Communionem Sacerdotis Candidatus summa cum devotione communicabit, super gradus Altaris, et mox ad genuflexorium redit.

7. Finita Missa, Celebrans cum Ministris ad Sacristiam redit, ubi deposita Casula et Manipulo, quem et Ministri deponunt, assumit Pluviale coloris Missæ congruentis. Si alius Sacerdos Candidatum investiturus sit, etiam ipse induet Amictum, Albam, Stolam et Pluviale dicti coloris, et aderunt Ministri ut supra; si vero Missa celebrata fuerit sine Ministris sacris, duo Assistentes superpelliceo tantum induti erunt.

8. Mox Sacerdos ad Altare progreditur, medius inter duos As-


sistentes; præcedentibus Acolythis sine candelabris et thuribulo. Facta Altari reverentia, ut ante Missam, Sacerdos cum duobus Assistentibus ad Altare ascendit, et illud osculatur in medio. Mox ad cornu Evangelii accedens, sedet super scabellum, ibidem præparatum, stantibus hinc inde Assistentibus, facie versa ad Candidatum. Tum Sacerdos requirit a Candidato, lingua Latina si sit Clericus, vernacula si sit Laicus, quid petat? Tunc iste, manibus junctis, facit petitionem ut supra n. 1.

9. Facta petitione, Sacerdos piam ac brevem habeat exhortationem, Latina vel vernacula lingua, prout magis expedire visum fuerit.

10. Exhortatione finita, requirit Sacerdos, an Candidatus in sua petitione et intentione, prius significata perseveret; quo respondente, quod sic, dicit Sacerdos: ERGO ORABIMUS DOMINUM DEUM, UT DET TIBI GRATIAM SUAM, QUATENUS POSSIS IN PRÆCONCEPTO PROPOSITO USQUE IN FINEM FIDELITER PERSEVERARE. Mox surgens, vadit ad medium Altaris, ibique stans medius inter Assistentes, facie ad Altare conversa, profert in tono feriali:

℣. *Dominus vobiscum.*

℟. *Et cum Spiritu tuo.*



OREMUS.

Deus, qui a sæculi vanitate conversos, ad bravium supernæ vocationis accendis; et qui renuntiantibus sæculo, mansiones paras in cœlis: dilata cor hujus famuli tui cœlestibus donis, ut fraterna nobiscum teneatur compagine charitatis: unanimis, constans, sobrius, simplex et quietus, regularia sanctorum Patrum instituta custodiat; et ad eum, quem, te inspirante, perfectionis spiritum concepit, te adjuvante, perveniat. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

OREMUS.

Domine Jesu Christe, dux, salus et fortitudo nostra, humiliter petimus, ut famulum tuum, quem sanctæ compunctionis ardore ab

hujus sæculi vanitate separasti, etiam a conversatione terrena discernas, et gratiam, qua in te perseveret, infundas; ut protectionis tuæ præsidio munitus, quod, te donante, affectat, te adjutore, compleat: ut suæ conversionis executor effectus, ad ea, quæ perseverantibus in te promittere dignatus es, feliciter pertingat. Qui vivis et regnas in sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

11. Notet autem Sacerdos, quod, si plures sint Candidati ad Vestitionem (idem est de Professione) admittendi, illa, quæ illos respiciunt, dici debeant in numero plurali; (quod et in sequentibus erit observandum) ideoque, ut omne erroris periculum evitetur, antequam ad Altare accedat, sedulo et attente legenda faciendaque prævideat.

12. Dictis supra positis Orationibus, et facta Altari reverentia, accedit ad cornu Epistolæ, et ibi stans medius inter Assistentes, benedicit vestimenta, mediocri voce dicens:

℣. *Adjutorium nostrum in nomine Domini.*
℟. *Qui fecit cœlum et terram.*
℣. *Sit nomen Domini benedictum.*
℟. *Et hoc nunc et usque in sæculum.*
℣. *Domine, exaudi orationem meam.*
℟. *Et clamor meus ad te veniat.*
℣. *Dominus vobiscum.*
℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS.

Domine Jesu Christe, qui tegumen nostræ mortalitatis induere dignatus es, obsecramus immensam tuæ largitatis abundantiam; ut hoc genus vestimenti, quod sancti Patres ad innocentiæ et humilitatis indicium, abrenuntiantibus huic sæculo ferre sanxerunt: ita bene ✝ dicere digneris, ut hic famulus tuus, qui sanctæ Religionis habitum, piæ devotionis affectu, assumere intendit, te intus veraciter induere mereatur. Qui vivis et regnas cum Deo Patre, in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum ℟. *Amen.*

SUPER CHORDAM SEU CINGULUM.

OREMUS.

Deus, qui ut servum redimeres, Filium tuum per manus impiorum ligari voluisti, bene ✝ dic, quæsumus, cingulum istud, et præsta, ut famulus tuus, qui eo velut ligamine pœnitentiali sui corporis cingetur, vinculorum ejusdem Domini nostri Jesu Christi perpetuo memor existat, et in Ordine, quem assumit, constanter perseveret; tuisque cum affectu semper obsequiis se alligatum esse cognoscat. Per eumdem Christum Dominum nostrum. ℞. *Amen.*

13. Quibus Orationibus completis, Sacerdos aspersorium madidum accipit de manu primi Assistentis, qui illud a Thuriferario acceperat; et ter Candidatum aspergit, et deinde ter vestimenta, nempe in medio, a dextris et a sinistris, proferens sine Psalmo Antiphonam: Asperges me, Domine, etc.

14. Deinde Sacerdos ad medium Altaris redit, et stat ibidem medius inter Assistentes, facie versa ad Candidatum, qui interim, comitante Patre Instructore, cum debitis reverentiis accedit ad secundum Altaris gradum, et utrumque genu flectit in ora suppedanei ante Sacerdotem. Mox Sacerdos, adjutus a suis Assistentibus, Candidatum genuflexum exuit vestimento aliquo sæculari exteriori, dicens voce intelligibili:

Exuat te Dominus veterem hominem cum actibus suis. ℞. *Amen.*

15. Quo peracto, Sacerdos, adjutus ut supra, religionis habitu induit eum, pronuntians ad vestimenta singula singulas Orationes, ut sequitur:

AD HABITUM.

Induat te Dominus novum hominem, qui secundum Deum creatus est, in justitia et sanctitate veritatis. ℞. *Amen.*

AD CAPUTIUM.

Pone, Domine, caputium salutis in capite ejus, ad expugnandas diabolicas fraudes. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

AD CINGULUM.

Præcingat te Dominus cingulo puritatis, et extinguat in lumbis tuis humorem libidinis, ut maneat in te virtus continentiæ et castitatis. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

16. Interim Thuriferarius acceptam candelam accensam tradit primo Assistenti, hic vero Sacerdoti, qui eamdem Novitio porrigit, dicens:

Accipe, Frater charissime, lumen Christi in signum immortalitatis tuæ; ut mortuus mundo, Deo vivas. Exurge a mortuis, et illuminabit te Christus. ℟. *Amen.*

17. Novitius, dum candelam accipit, prius illam et deinde manum Sacerdotis osculatur. Quo facto, Novitius surgit, et tradit candelam Thuriferario, qui illam supra candelabrum deponit; deinde Sacerdos Novitium complexus, dicit: PAX TIBI, FRATER, et ille respondet AMEN. Tum Novitius, facta Sacerdoti reverentia per capitis inclinationem, eodem modo accipit pacem a primo et deinde a secundo Assistente. Postea descendit de Altari, et facta genuflexione in plano, ad genuflexorium, comitante Patre Instructore, redit, ibique genuflectit.

18. Tum Sacerdos cum Assistentibus se convertit ad Altare, et ibi stans cantat:

℣. *Salvum fac servum tuum.*

℟. *Deus meus, sperantem in te.*

℣. *Mitte ei, Domine, auxilium de sancto.*

℟. *Et de Sion tuere eum.*

℣. *Nihil proficiat inimicus in eo.*

℟. *Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.*

℣. *Domine, exaudi orationem meam.*

℟. *Et clamor meus ad te veniat.*
℣. *Dominus vobiscum.*
℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS.

Majestatem tuam, Domine, suppliciter exoramus, ut famulum tuum, cui, de tua gratia præsumentes, nostræ Religionis habitum imposuimus, digneris inter discipulos tuos virtute ex alto induere, justitiæ lorica munire, et salutis protegere vestimento; ut, intercedente beato Francisco, Confessore tuo, sub humilitatis veste tibi perseveranter deserviens, ad stolam immortalitatis et gloriæ pervenire mereatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

OREMUS.

Domine Jesu Christe, qui beato Petro Apostolo tuo, significans qua morte clarificaturus esset Deum, prædixisti per alium in senectute ipsum fore cingendum; famulum tuum Fratrem nostrum, quem cingulo nostræ Fraternitatis præcinximus, tua, quæsumus, charitate præcinge, tui nominis metu salutari constringe, et chorda cor ejus alliga disciplinæ; ut, tua ei opitulante gratia, solutus et liberatus a mundo, tuoque vinctus servitio, in Ordinis, quem assumit, observantia usque in finem jugiter perseveret. Qui vivis et regnas in sæcula sæculorum, ℟. *Amen.*

OREMUS.

Deus, qui mira Crucis mysteria in beato Francisco, Confessore tuo, multiformiter demonstrasti; da huic famulo tuo ejus piæ devotionis exempla sectari, et assidua ejusdem Crucis meditatione muniri. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

19. Dicta postrema Oratione, omnes in Choro genuflectunt; Sacerdos vero cum Assistentibus ad secundum gradum descendit, ubi Assistentes statim genuflectunt in ora suppedanei; et Sacerdos solus

stans intonat Hymnum: VENI CREATOR SPIRITUS; quo intonato, ipse quoque genuflectit. De ultima Hymni stropha vide Rubr. pecul. Brev. n. 241.

20. Post primam stropham assurgunt omnes; et Sacerdos cum Assistentibus suppedaneum iterum ascendit. Deinde Novitius, præeunte Patre Instructore, accedit ad Religiosos, incipiendo a dignioribus, et accipit osculum pacis a singulis eorum, dicentibus: PAX TIBI, FRATER; ipse vero respondet AMEN.

21. Pace ab omnibus accepta, redit ad genuflexorium, et ibidem a Patre Instructore eodem modo pace accepta, stat vel genuflectit, ut cæteri.

22. Expleto Hymno, Sacerdos, stans in medio Altaris, cantat in tono solemni:

℣. *Confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis.*

℟. *A templo sancto tuo, quod est in Jerusalem.*

℣. *Post partum, Virgo, inviolata permansisti.*

℟. *Dei Genitrix, intercede pro nobis.*

℣. *Ora pro nobis, beate Pater noster Francisce.*

℟. *Ut digni efficiamur promissionibus Christi.*

OREMUS.

Deus, qui corda fidelium sancti Spiritus illustratione docuisti; da nobis in eodem Spiritu recta sapere, et de ejus semper consolatione gaudere.

Concede nos famulos tuos, quæsumus Domine Deus, perpetua mentis et corporis sanitate gaudere, et gloriosa beatæ Mariæ semper Virginis intercessione, a præsenti liberari tristitia, et æterna perfrui lætitia.

Deus, qui Ecclesiam tuam, beati Patris nostri Francisci meritis, fœtu novæ prolis amplificas; tribue nobis ex ejus imitatione terrena despicere, et cælestium donorum semper participatione gaudere. Per Dominum nostrum Jesum Christum, Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

℣. *Dominus vobiscum.*

℟. *Et cum spiritu tuo.*

Deinde duo Cantores solemniter cantant:

Benedicamus Domino.

Chorus eodem tono respondet:

Deo gratias.

23. Quo cantato, omnes genuflectunt, et Sacerdos Benedictionem impertitur, prout sub finem Missæ, dicens sine cantu:

Benedicat vos omnipotens Deus, Pater, et Filius ✝, *et Spiritus Sanctus.* ℟. *Amen.*

24. Notandum superest: si Frater tertiarius, sive adhuc sit Novitius, sive jam Professus, ad habitum Primæ Regulæ admittatur, servanda sunt sequentia:

a) Omnia supra dicta a n. 1. usque ad n. 11.

b) Tantum caputium et chorda benedicuntur eadem formula ut n. 12. et aqua benedicta asperguntur ut n. 13.

c) Deinde Sacerdos Candidatum exuit tantum collari, dicens EXUAT TE etc. ut n. 14.

d) Caputium ei imponit, dicens PONE, DOMINE, etc. et cingulo eum præcingit, dicens PRÆCINGAT TE etc. ut n. 15.

e) Postea traditur candela, et observantur reliqua omnia, quæ præscripta sunt a n. 16. usque ad n. 23. inclusive.

§ 2.

DE PROFESSIONE FRATRUM IN ORDINE NOSTRO SERAPHICO.

1. Triduo ante Professionem, eodem modo quo Vestiendus admitti petiit ad Vestitionem, (§ præc. 1. n. 1.) Novitius petit admitti ad Professionem his verbis:

Adm. venerande Pater, etc. *quatenus me admittere dignemini ad Professionem votorum simplicium* (*solemnium*) *sacratissimæ Religionis vestræ ad faciendam pœnitentiam*, *et vitam meam emendandam.*

PETITIO IN LINGUA VERNACULA.

Zeer Eerwaarde Pater, enz. *smeek ik u, mij te willen aannemen tot de Professie der eenvoudige (plechtige) beloften van uwe heilige Orde, opdat ik boetvaardigheid doe en mijn leven betere.*

2. Professionem Orthodoxæ Fidei, (cap. I. § 5. n. 6.) a Novitio ante Professionem emittendam, vide in fine Cæremonialis.

3. Ipsa die Professionis tempestive in Presbyterio a Sacrista parabitur genuflexorium, tapete tantum coopertum, cui imponitur Crucifixus. Deinde respective serventur ea, quæ dicta sunt § præc. I. n. 4. 5. 6. 7. 8. et 9.

4. Exhortatione finita, et intellecto ab ipso Novitio perseverandi proposito, (ut l. c. n. 10.) Sacerdos cum Assistentibus ad secundum gradum descendit, ubi Assistentes statim genuflectunt in ora suppedanei; cæteris omnibus genuflectentibus in suis locis, Sacerdos solus stans intonat Hymnum; VENI CREATOR SPIRITUS; quo intonato, ipse quoque genuflectit. Post primam stropham assurgunt omnes, et Sacerdos cum Assistentibus suppedaneum iterum ascendit. (l. c. n. 19. et 20.)

5. Hymno finito, Sacerdos stans in medio Altaris cantat:

℣. *Emitte Spiritum tuum, et creabuntur.*

℟. *Et renovabis faciem terræ.*

OREMUS.

Actiones nostras, quæsumus Domine, aspirando præveni, et adjuvando prosequere; ut cuncta nostra oratio et operatio a te semper incipiat, et per te cœpta finiatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

6. Post Orationem hanc Sacerdos iterum sedet, stantibus hinc inde Assistentibus. Mox Novitius, comitante Patre Instructore, ad Sacerdotem accedit, et ante eum in gradu commodiori genuflexus, manibus suis junctis positis inter manus illius, (quibus Stola superimponitur in modum Crucis per primum Assistentem) humili et clara voce emittit Professionem, prout sequitur:

FORMULA PROFESSIONIS VOTORUM SIMPLICIUM.

Ego, Frater N. voveo et promitto Deo omnipotenti, beatæ Mariæ semper Virgini, beato Patri Francisco, omnibus Sanctis, et tibi, Pater, toto tempore vitæ meæ servare Regulam Fratrum Minorum, per Dominum Papam Honorium confirmatam, vivendo in obedientia, sine proprio, et in castitate, juxta Decretum Pianum, quod incipit: NEMINEM LATET, *emanatum die decima nona Martii millesimi octingentesimi quinquagesimi septimi, et analogas instructiones Ministro Generali exhibitas, ac editas mediante alio Decreto, dato die decima quinta Junii millesimi octingentesimi quinquagesimi octavi, quod incipit:* SANCTISSIMUS DOMINUS NOSTER PIUS PAPA NONUS, ATTENTIS PRECIBUS, etc.

FORMULA PROFESSIONIS VOTORUM SOLEMNIUM.

Ego, Frater N. voveo et promitto Deo omnipotenti, beatæ Mariæ semper Virgini, beato Patri Francisco, omnibus Sanctis, et tibi, Pater, toto tempore vitæ meæ servare Regulam Fratrum Minorum, per Dominum Papam Honorium confirmatam, vivendo in obedientia, sine proprio, et in castitate.

Recipiens vero ad Professionem statim subjungit:

Et ego ex parte Dei omnipotentis, si hæc observaveris, promitto tibi vitam æternam.

Professus respondet *Amen.*

FORMULA PROFESSIONIS VOTORUM SIMPLICIUM IN LINGUA VERNACULA.

Ik, Broeder N. beloof aan God almachtig, aan de heilige Maagd Maria, aan den heiligen Vader Franciscus, aan alle Heiligen, en aan U, Vader, geheel den tijd mijns levens den Regel der Minderbroeders, door Zijne Heiligheid den Paus Honorius bevestigd, te onderhouden, levende in gehoorzaamheid, zonder eigendom, en in zuiverheid, volgens het Dekreet van Pius den Negenden, dat begint met de woorden: NEMINEM LATET, *uitgegeven*

den 19den Maart 1857. en volgens de overeenstemmende onderrichtingen, aan den Minister Generaal medegedeeld, en afgekondigd bij middel van een ander Dekreet, gegeven den 15den Juni 1858. hetwelk begint met de woorden: SANCTISSIMUS DOMINUS NOSTER PIUS PAPA NONUS, ATTENTIS PRECIBUS, enz.

FORMULA PROFESSIONIS VOTORUM SOLEMNIUM IN LINGUA VERNACULA.

Ik, Broeder N. beloof aan God almachtig, aan de heilige Maagd Maria, aan den heiligen Vader Franciscus, aan alle Heiligen, en aan U, Vader, geheel den tijd mijns levens den Regel der Minderbroeders, door Zijne Heiligheid den Paus Honorius bevestigd, te onderhouden, levende in gehoorzaamheid, zonder eigendom en in zuiverheid.

7. Quo facto, statim Cantores intonant in sexto tono Psalmum: ECCE QUAM BONUM, ET QUAM JUCUNDUM; qui alternantibus Choris usque in finem cum Versu GLORIA PATRI etc. decantatur. Interim, post Professionem votorum simplicium Sacerdos amovet a Novitii caputio probationis signum, et dans illi osculum pacis, dicit PAX TIBI, FRATER; et ille respondet AMEN. Tum Neo-Professus surgit, et facta Sacerdoti reverentia per capitis inclinationem, eodem modo pacem accipit a primo et deinde a secundo Assistente. Postea descendit de Altari, et facta genuflexione in plano, duce Patre Instructore, redit ad genuflexorium, ut dictum est § præc. 1. n. 11.

8. Post datam Neo-Professo pacem, Sacerdos cum Assistentibus ad medium Altaris accedit, ibique stans versus Crucem, finito Psalmo, cantat:

℣. *Confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis.*

℟. *A templo sancto tuo, quod est in Jerusalem.*

OREMUS.

Deus, qui corda fidelium sancti Spiritus illustratione docuisti; da nobis in eodem Spiritu recta sapere, et de ejus semper consolatione gaudere.

Deus, qui per coæternum Filium tuum cuncta creasti; quique mundum peccatis inveteratum, per mysterium Incarnationis ejus, renovare dignatus es: te supplices exoramus, ut super hunc famulum tuum, Fratrem nostrum N. qui hodie in hoc sancto templo tuo vanitatem mundi, et pompas diaboli, per nostræ servitutis ministerium, voto solemni (vel simplici) abrenuntiare decrevit, ita respicere digneris, ut spiritu mentis suæ renovatus, veterem hominem cum actibus suis exuere; et novum, qui secundum Deum creatus est, induere mereatur. Per eumdem Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

OREMUS.

Domine Jesu Christe, qui es via, sine qua nemo vadit ad Patrem, quæsumus clementiam tuam, ut hunc famulum tuum a carnalibus desideriis abstractum, per arctam ac tutam regularis disciplinæ viam deducas: et qui peccatores vocare dignatus es, dicens: Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos; præsta, ut hæc vox vocationis tuæ ita in eo convalescat, quatenus onera peccatorum deponens, et quam dulcis es degustans, tua refectione sustentari mereatur. Qui vivis et regnas in sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

OREMUS.

Sancte Spiritus, qui te Deum ac Dominum mortalibus revelare dignatus es, immensam tuæ pietatis abundantiam suppliciter exoramus; ut sicut, ubi vis, spiras, sic et huic famulo tuo, Fratri nostro N. affectum piæ devotionis inspires: et qui tua sapientia est conditus, tua quoque providentia gubernetur: quem etiam unctio tua de omnibus doceat: et per intercessionem beatæ Virginis Mariæ, sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, beati Patris nostri Francisci, ac beati N. (Patronus Ecclesiæ) *et omnium Sanctorum, fac eum a sæculi vanitate ita veraciter converti, ut, quod hodie, te inspirante, inchoat, sic juste, pie ac sancte per veram humili-*

tatem ac obedientiam, in fraterna charitate fundatus, te adjuvante, perficiat; ut in sancto Religionis proposito jugiter perseverans, ad vitam perveniat sempiternam. Qui cum Deo Patre et Filio ejus Domino nostro Jesu Christo, vivis et regnas Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

9. Postmodum Sacerdos cum Assistentibus ante infimum Altaris gradum descendit, ibique stans intonat Hymnum: TE DEUM LAUDAMUS; quem Religiosi de more prosequuntur. Interim NeoProfessus a singulis accipit pacem, ut dictum est § præc. 1. n. 20. et 21.

10. Post Hymnum Sacerdos cantat:

℣. *Confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis.*

℟. *A templo sancto tuo, quod est in Jerusalem.*

℣. *Post partum, Virgo, inviolata permansisti.*

℟. *Dei Genitrix, intercede pro nobis.*

℣. *Ora pro nobis, beate Pater noster Francisce.*

℟. *Ut digni efficiamur promissionibus Christi.*

OREMUS.

Adsit nobis, quæsumus Domine, virtus Spiritus sancti; quæ et corda nostra clementer expurget, et ab omnibus tueatur adversis.

Concede nos famulos tuos, quæsumus Domine Deus, perpetua mentis et corporis sanitate gaudere: et gloriosa beatæ Mariæ semper Virginis intercessione, a præsenti liberari tristitia et æterna perfrui lætitia.

Deus, qui Ecclesiam tuam, beati Patris nostri Francisci meritis, fœtu novæ prolis amplificas; tribue nobis, ex ejus imitatione, terrena despicere, et cœlestium donorum semper participatione gaudere. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

℣. *Dominus vobiscum.*

℟. *Et cum spiritu tuo.*

Deinde duo Cantores solemniter cantant:

Benedicamus Domino.

Omnes Religiosi eodem tono respondent:
Deo gratias.

11. Quo cantato, omnes genuflectunt; Sacerdos vero solus ad Altare ascendit, et dat Benedictionem, ut § præc. 1. n. 23.

12. Si duo simul, unus ad Vestitionem, alter ad Professionem, admittendi sint, tunc Cæremoniæ fiunt hoc modo: primo observat Sacerdos ea, quæ dicta sunt § 1. n. 10. et 11. Deinde cantatur Hymnus: VENI CREATOR SPIRITUS, ut supra n. 4. et 5. Oratione cantata, benedicit vestimenta et procedit ad Vestitionem, ut § 1. a n. 12. usque ad 18. inclusive. Postmodum Sacerdos se convertit ad illum, qui profiteri vult; et intelligens, quod in proposito perseveret, excipit illius Professionem, ut supra a n. 6. usque ad n. 11. præscriptum est, ita ut tam Novitius quam Neo-Professus pacis osculum a Religiosis accipiat sub Hymno: TE DEUM LAUDAMUS.

§ 3.

DE RENOVATIONE PROFESSIONIS, QUOTANNIS FACIENDA AB OMNIBUS FRATRIBUS ORDINIS NOSTRI SERAPHICI, DIE 16. APRILIS, CUM INDULGENTIIS PLENARIIS.

1. Sacrum solemne præfata die decantabitur per Superiorem loci, vel, illo absente aut impedito, per Digniorem Conventus.

2. Finita Missa, observantur ea, quæ dicta sunt § 1. n. 7. Cum ad Altare pervenerint, ut ibid. n. 8. Sacerdos solus illud ascendit, et Altare osculatus, sedet super scabellum, ut ibid. Assistentes vero per planum accedunt ad latus Evangelii, ibique in plano stant ante gradum Altaris lateralem; Ceroferarii et Acolythus eodem modo se sistunt ad latus Epistolæ.

3. Tum Sacerdos brevem habebit exhortationem de hujusmodi renovationis utilitate, aut alia pia materia.

4. Exhortatione finita, Sacerdos surgit, et stans in secundo gradu ante medium Altaris, facie ad illud conversa, omnibus aliis genuflectentibus, intonat Hymnum: VENI CREATOR SPIRITUS; quo

intonato, ipse etiam genuflectit. Post primam stropham omnes surgunt, et Sacerdos iterum suppedaneum ascendit, ac finito Hymno, ibidem stans cantat:

℣. *Emitte Spiritum tuum, et creabuntur.*

℟. *Et renovabis faciem terræ.*

OREMUS.

Actiones nostras, quæsumus Domine, aspirando præveni, et adjuvando prosequere: ut cuncta nostra oratio et operatio a te semper incipiat, et per te cœpta finiatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

5. Finita Oratione, Sacerdos iterum sedet, et omnibus aliis, etiam Assistentibus et aliis Ministris, genuflectentibus, ad ipsum accedit Dignior de Choro, (qui tamen non sit dignior ipso Sacerdote) et genuflexus ante eum, manibus junctis, ut § 2. n. 6. humili et clara voce renovat Professionem, dicendo:

Reverende Pater, ego, meo et omnium Fratrum meorum hic præsentium nomine, gratias ago infinitæ Majestati divinæ, pro singulari illo beneficio, quo me vilissimum peccatorem de hoc sæculo nequam, per suam pientissimam misericordiam, eduxit, et ad Professionem admisit. Doleo ex toto corde, quod gratiæ huic non satis responderim, tantoque beneficio fuerim ingratus. Detestor omnes transgressiones et negligentias meas, in hoc statu commissas; et ad obtinendum veræ renovationis spiritum, ego, Frater N. iterato voveo et promitto Deo omnipotenti, beatæ Mariæ semper Virgini, beato Patri nostro Francisco, ac omnibus Sanctis, et tibi, Pater, toto tempore vitæ meæ servare Regulam Fratrum Minorum, vivendo in obedientia, sine proprio, et in castitate: cupiens hunc actum renovationis votorum meorum coram sanctissima Trinitate gratum ac ratum haberi; semper durare, et collocatum in aspiratione et respiratione anhelitus mei, ut eumdem, quoad vixero, renovem, et sanctæ divinæque opis præsidio, quod humillime imploro, perfecte adimpleam usque in finem.

Recipiens vero Professionis renovationem dicit:

Et ego ex parte Dei omnipotentis, si hæc observaveritis, promitto vobis vitam æternam.

Respondent omnes *Amen.*

6. Quo facto, omnes assurgunt, et Sacerdos descendit ante infimum gradum Altaris, ubi Assistentes se illi adjungunt, ac statim Cantores intonant in sexto tono Psalmum: ECCE QUAM BONUM, ET QUAM JUCUNDUM.

7. Psalmo finito, Cantores cantant:

℣. *Confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis.*

℟. *A templo sancto tuo, quod est in Jerusalem.*

Sacerdos autem stans ante infimum gradum Altaris, cantat sequentes Orationes:

OREMUS.

Deus, qui corda fidelium sancti Spiritus illustratione docuisti; da nobis in eodem Spiritu recta sapere, et de ejus semper consolatione gaudere.

Deus, qui per coæternum Filium tuum cuncta creasti; quique mundum peccatis inveteratum, per mysterium Incarnationis ejus, renovare dignatus es: te supplices exoramus, ut super hos famulos tuos, qui hodie in hoc sancto templo tuo vanitatem mundi et pompas diaboli, per votorum suorum renovationem abrenuntiare decreverunt, ita respicere digneris, ut spiritu mentis renovati, veterem hominem cum actibus suis exuere; et novum, qui secundum Deum creatus est, induere mereantur. Per eumdem Christnm Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

OREMUS.

Domine Jesu Christe, qui es via, sine qua nemo vadit ad Patrem, quæsumus clementiam tuam, ut hos famulos tuos a carnalibus desideriis abstractos, per arctam ac tutam regularis disciplinæ viam deducas: et qui peccatores vocare dignatus es, dicens: Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam

vos; præsta, ut hæc vox vocationis tuæ ita in eis convalescat, quatenus onera peccatorum deponentes, et quam dulcis es degustantes, tua refectione sustentari mereantur. Qui vivis et regnas in sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

OREMUS.

Sancte Spiritus, qui te Deum ac Dominum mortalibus revelare dignatus es, immensam tuæ pietatis abundantiam suppliciter exoramus; ut sicut, ubi vis, spiras, sic et his famulis tuis affectum piæ devotionis inspires: et qui tua sapientia sunt conditi, tua quoque providentia gubernentur; quos etiam unctio tua de omnibus doceat: et per intercessionem beatæ Virginis Mariæ, sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, beati Patris nostri Francisci, ac beati N. (Patronus Ecclesiæ) *et omnium Sanctorum, fac eos a sæculi vanitate ita veraciter converti, ut, quod hodie, te inspirante, inchoant, sic juste, pie ac sancte per veram humilitatem ac obedientiam, in fraterna charitate fundati, te adjuvante, perficiant; ut in sancto Religionis proposito jugiter perseverantes, ad vitam perveniant sempiternam. Qui cum Deo Patre et Filio ejus, Domino nostro Jesu Christo, vivis et regnas Deus, per omnia sæcula sæculorum.* ℟. *Amen.*

8. His dictis, Sacerdos cum Assistentibus et Ministris, facta Altari debita reverentia, ad Sacristiam revertitur.

§ 4.

DE JUBILÆIS FRATRUM NOSTRORUM.

1. Secundum Statuta Provincialia nullus Pater, aut Frater Jubilæum celebrare poterit, absque consensu Capituli Provincialis, vel A. R. Patris Ministri. Habito dicto consensu, et die celebrandi jubilæum constituto, si ipse Jubilarius Missam non cantet, immediate ante summum Sacrum, vel aspersionem aquæ, si sit dies Dominica, Religiosi processionaliter pergunt ad domum capitularem, in qua

tunc erit Jubilaturus, superpelliceo indutus, exspectans cum aliis Jubilariis, si adsint, Communitatem. Præcedit Acolythus, superpelliceo indutus, portans Crucem processionalem, medius inter duos Ceroferarios cum candelabris accensis, similiter indutos. Sequuntur Religiosi bini et bini in habitu ordinario; tum Cantores superpelliceis induti; post quos veniunt tres Paranymphi, quorum unus portat sertum floridum, Sponso imponendum, alii duo deferunt corbulas, flosculis herbisque odoriferis repletas, et tandem sequitur Superior, indutus Pluviali coloris Officio congruentis, medius inter Diaconum et Subdiaconum, Dalmatica et Tunicella, vel duos Assistentes, superpelliceis indutos, quorum alter portat candelam, alter vero baculum Jubilario tradenda.

2. Cum ad domum capitularem pervenerint, Celebrans cum Diacono et Subdiacono illam intrat, et accedens ad Jubilarium, tradit illi candelam ardentem, floribus adornatam, dicens:

Accipe lumen in manibus tuis, ut hoc signo discas opera tenebrarum fugere, et lucis exempla sectari.

Jubilaturus manum Superioris et candelam exosculans, hanc reverenter accipit manu dextra, sed statim in sinistram ponit. Tum Superior ipsi tradit baculum, etiam floribus ornatum, dicens:

Accipe sustentaculum senectutis, tuæ, ut in via mandatorum Dei, et Regulæ tuæ indefessus ambulans, securus ad patriam cælestem pervenire valeas.

3. Deinde procedunt ad Ecclesiam hoc ordine: Acolythus, Ceroferarii, Religiosi et Cantores ut supra; tum Paranymphi, quorum duo flosculos et herbas spargunt per viam: hos sequitur Jubilaturus, duobus dignioribus Patribus ipsum ad latera comitantibus, et aliis Jubilariis, si adsint, ipsum immediate præcedentibus. Tandem sequitur Superior, medius inter Diaconum et Subdiaconum, vel Assistentes, ut supra. Interim decantatur in sexto tono Psalmus: LAUDATE DOMINUM DE CŒLIS, ut ad Laudes Dominicæ; Cantoribus illum in egressu domus capitularis intonantibus, et aliis alternatim respondentibus.

4. Cum ad Presbyterium pervenerint, genuflectit Jubilaturus super genuflexorium, ibidem a parte Evangelii præparatum; et candelam

suam collocat in candelabro, ante genuflexorium posito. A tergo Jubilaturi adsit quoque sedes, in qua, dum placuerit, sedere valeat. Religiosi vadunt ad Chorum; Superior vero cum Ministris ad Sacristiam, indumenta sacra pro Missa assumpturus.

5. Ante Missam Superior stans ante infimum gradum Altaris, cæteris omnibus genuflectentibus, intonat Hymnum: VENI CREATOR SPIRITUS. Quo finito, cantat versum et Orationem ut § præc. 3. n. 4. Deinde dicitur Missa.

6. Post Missam respective observentur ea, quæ dicta sunt § 1. n. 7. et 8. Superior sedens a Jubilario genuflexo requirit: QUID PETIT VENERANDUS PATER? vel FRATER? Respondet:

Adm. Ven. Pater, peto humillime a vestra Reverentia et a sacratissimo Ordine nostro gratiam Jubilæi, ut possim me quietius præparare ad mortem, et dein pervenire ad Jubilæum sempiternum.

7. Facta petitione, Superior jubet eum sedere, brevemque habet de beneficio Jubilæi, aut alia materia congrua sermonem, hortaturque ad constantem usque in finem vitæ in exercitio virtutum perseverantiam, et agens illi gratias pro laboribus, in Ordine habitis, concludit exhortationem.

8. Postea Superior stans ante medium Altaris, medius inter Assistentes, et facie ad Altare conversa, cantat:

℣. *Salvum fac servum tuum.*

℟. *Deus meus, sperantem in te.*

℣. *Mitte ei, Domine, auxilium de sancto.*

℟. *Et de Sion tuere eum.*

℣. *Nihil proficiat inimicus in eo.*

℟. *Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.*

℣. *Esto ei, Domine, turris fortitudinis.*

℟. *A facie inimici.*

℣. *Domine, exaudi orationem meam.*

℟. *Et clamor meus ad te veniat.*

℣. *Dominus vobiscum.*

℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS.

Omnipotens sempiterne Deus, qui per legislatorem tuum, annum quinquagesimum, Jubilæum mystice nominari voluisti, eodemque anno cunctis longe amplissimo, onera ac debita relaxare, ac servitute oppressos libertate donari jussisti; tribue, quæsumus, huic famulo tuo, Fratri nostro N. gratiam anni Jubilæi, hoc est, remissionem omnium peccatorum, ac culparum relaxationem toto corde poscenti, piæ petitionis effectum, ut a peccatis omnibus exutus, ac primævæ libertati et innocentiæ restitutus, posthac in mandatorum tuorum ac Regulæ suæ observatione indefessus perseveret; gratiæ tuæ munere de virtute in virtutem, de fortitudine in fortitudinem ambulet; tandemque, emenso hujus vitæ curriculo, cœlestis gloriæ jubilationem, et in domo illa, non manu facta, perennem consequatur mansionem. Per illum, qui quondam dixit: In domo Patris mei mansiones multæ sunt, Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum. ℟. *Amen.*

9. Hac Oratione finita, Superior vadit ad cornu Evangelii, et sedens dicit Jubilario, quod, si placeat accipere gratiam Jubilæi, accedat; et mox duo Seniores deducunt illum ad Altare, portantem secum candelam, (n. 2.) quam Diaconus accipiens, super Altare collocat in candelabro, ad hoc ibidem disposito. Tunc genuflexus ante Superiorem, Jubilarius incipit Antiphonam: PORTIO MEA, DOMINE, SIT IN TERRA VIVENTIUM; deinde Cantores stantes intonant in tono quinto Psalmum 65. JUBILATE DEO OMNIS TERRA: PSALMUM DICITE etc. quem Chorus, etiam stans, absolvit, cum GLORIA PATRI in fine. Deinde resumitur Antiphona: PORTIO MEA, a Cantoribus.

10. Finito Psalmo et repetita Antiphona, erigit se Superior et cantat:

OREMUS.

Deus, qui nos famulos tuos, a sæculi vanitate conversos, ad supernæ vocationis accendis amorem, pectoribus nostris purificandis illabere, et gratiam nobis, qua in te perseveremus, infunde; ut

protectionis tuæ muniti præsidiis, quod te donante promisimus, impleamus, et nostræ Professionis executores effecti, ad ea, quæ credentibus in te promittere dignatus es, pertingamus. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

11. Post Orationem sertum floridum capiti Jubilarii imponit, dicens:

Coronet te Dominus post decursum præsentis stadii, non corruptibili, sed incorrupta corona bravii cælestis. Amen.

OREMUS.

Domine Jesu Christe, qui olim per Apostolum tuum intonuisti: Nemo coronabitur nisi qui legitime certaverit; quique ad perseverantem in tua voluntate famulatum mirifica illa promissione nos excitare dignaris, qua dicis: Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitæ; propitiare omnibus iniquitatibus hujus famuli tui N. qui annum quinquagesimum tuo munere in hoc statu expletum transegit: sana omnes infirmitates ejus; redime de interitu vitam ejus; corona eum in misericordia et miserationibus; et reple in bonis desiderium ejus; et velut aquilæ renova juventutem ejus; quatenus bonum certamen certando, repositam sibi coronam justitiæ mereatur accipere a te, qui redditurus es unicuique secundum opera ejus. Qui vivis et regnas cum Deo Patre, in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

12. Post Orationem Jubilarius, comitantibus duobus Senioribus, redit ad genuflexorium. Interim Cantores in sexto tono incipiunt Psalmum: ECCE QUAM BONUM, ET QUAM JUCUNDUM, quem Chorus prosequitur cum GLORIA PATRI in fine. Sub hoc Psalmo poterit Jubilarius pro sua commoditate stare vel sedere; sed illo finito, genuflectit; et Superior stans et conversus ad illum, dicit:

℣. *Confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis.*

℟. *A templo sancto tuo, quod est in Jerusalem.*

℣. *Domine, exaudi orationem meam.*

℟. *Et clamor meus ad te veniat.*

℣. *Dominus vobiscum.*
℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS.

Da nobis, quæsumus Domine, perseverantem in tua voluntate famulatum, ut in diebus nostris et merito et numero populus tibi serviens augeatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

13. Qua Oratione finita, Superior dat Benedictionem Jubilario genuflexo, et humiliter caput inclinanti, dicens:

Bene ✝ dicat tibi Deus Pater, qui te creavit; et ab omni malo culpæ et pœnæ corporis animæque immunem te præservet in sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

Bene ✝ dicat te Deus Filius, Dominus noster Jesus Christus, qui te pretioso suo Sanguine redemit; detque pacem cordis in præsenti, et in futuro pacem æternitatis. ℟. *Amen.*

Bene ✝ dicat te Deus Spiritus Sanctus, qui te sanctificavit; et gratiam suam copiosam tibi infundat, ut sacri Jubilæi privilegio omnique benedictione spirituali repletus, tandem inveniaris in consortio illorum, de quibus dictum est: Beati, qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te. ℟. *Amen.*

14. Deinde Superior benedicit adstantes, dicens:

Benedicat et custodiat vos omnipotens et misericors Dominus, Pater, et Filius ✝, et Spiritus Sanctus. ℟. *Amen.*

15. Benedictionibus finitis, Superior, stans cum Assistentibus ante infimum gradum Altaris, intonat Hymnum: TE DEUM LAUDAMUS, quem Religiosi de more prosequuntur. Quo finito, Superior cantat in tono solemni:

℣. *Benedicamus Patrem et Filium cum sancto Spiritu.*
℟. *Laudemus et superexaltemus eum in sæcula.*
℣. *Benedictus es, Domine Deus, in firmamento cœli.*
℟. *Et laudabilis, et gloriosus, et superexaltatus in sæcula.*
℣. *Domine, exaudi orationem meam.*
℟. *Et clamor meus ad te veniat.*

℣. *Dominus vobiscum.*

℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS.

Deus, cujus misericordiæ non est numerus, et bonitatis infinitus est thesaurus: piissimæ Majestati tuæ pro collatis donis gratias agimus, tuam semper clementiam exorantes; ut qui petentibus postulata concedis, eosdem non deserens, ad præmia futura disponas. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

16. Oratione hac finita, Superior cum suis Assistentibus ad Sacristiam revertitur, subsequente Jubilario cum suis ductoribus senioribus, retinente coronam seu sertum in capite, et baculum in manibus. Postea Fratres illi de celebrato Jubilæo congratulantur.

17. Si Jubilaturus ipse cantet Missam, ad Altare procedit more solito; sed ante Missam cantatur Hymnus: VENI CREATOR SPIRITUS, ut n. 5. Post Missam depositis in Sacristia vestibus sacris, Jubilarius induitur superpelliceo; traditur illi candela et baculus, (n. 2.) et e Sacristia ad Presbyterium ducitur, ut n. 3. et reliqua omnia fiunt, ut dictum est a n. 6. usque ad n. 16.

§ 5.

DE VESTITIONE TERTIARIORUM.

1. Dum aliquis, conformiter ad Statuta Provincialia, ad habitum Tertii Ordinis est admissus, triduo ante Vestitionem, ut § 1. n. 1. Præsidi interroganti, quid petat, respondet: (in plurali, si sint plures)

Eerwaarde Vader, ik vraag om de liefde Gods het kleed der Derde Orde van Penitentie van onzen Heiligen Vader Franciscus, ten einde God beter te dienen door eene oprechte onderhouding van zijne geboden, en van den regel dezer Orde.

2. Petitione facta, Præses brevem habebit exhortationem de excellentia Tertiæ Regulæ etc.

3. Tertiariorum Vestitio, uti et Professio, fiat in Sacristia. Ibidem parabitur genuflexorium, tapete tantum coopertum, cui imponitur Crucifixus. Apud genuflexorium aptabitur candelabrum cum candela. Ante genuflexorium collocatur sedes pro Superiore, ad cujus dextram præparatur parva mensa, mappa alba cooperta, super quam deponuntur habitus, collare et chorda. Præsto quoque erit vas aquæ benedictæ cum aspersorio.

4. Tempore magis congruo, Superior, vel alius Sacerdos, (§ 1. n. 4.) indutus superpelliceo et Stola coloris Officio diei convenientis, et sedens, interrogat Candidatum, in genuflexorio genuflexum, quid petat; qui respondet, ut n. 1.

5. Post brevem exhortationem Sacerdos legit Hymnum: VENI CREATOR. Quo finito, dicit:

℣. *Emitte spiritum tuum, et creabuntur.*

℞. *Et renovabis faciem terræ.*

OREMUS.

Actiones nostras, quæsumus Domine, aspirando præveni, et adjuvando prosequere; ut cuncta nostra oratio et operatio a te semper incipiat, et per te cœpta finiatur. Per Christum Dominum nostrum. ℞. *Amen.*

6. Dicta oratione, Sacerdos benedicit indumenta, id est, habitum et chordam, dicens:

℣. *Adjutorium nostrum in nomine Domini.*

℞. *Qui fecit cœlum et terram.*

℣. *Sit nomen Domini benedictum.*

℞. *Ex hoc nunc et usque in sæculum.*

℣. *Domine, exaudi orationem meam.*

℞. *Et clamor meus ad te veniat.*

℣. *Dominus vobiscum.*

℞. *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS.

Omnipotens sempiterne Deus, qui propter tuam solitam bonitatem, et per mortem unigeniti Filii tui Domini nostri Jesu Christi, mundum fractum restaurare misericorditer dignatus es, ut a morte perpetua nos liberes, et ad gaudia Paradisi perducas; respice, humiliter quæsumus, pietatis tuæ oculo præsentem et devotam familiam tuam, hic hodie in tuo nomine congregatam, cujus famulus tuus beatus Franciscus, ut tibi augeatur credentium numerus, exstitit Institutor, ut eam supra firmam petram, quæ Christus est, taliter semper confirmes, quod ab omnibus turbationibus mundi, carnis et diaboli sit secura, et incedens per tuorum semitam mandatorum, post ergastulum præsentis vitæ, meritis acerbissimæ Passionis Filii tui, et immaculatæ ejus Matris semper Virginis Mariæ, ac beati Patris nostri Francisci, tuorumque omnium Sanctorum, gaudia vera possideat. Qui vivis et regnas in sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

BENEDICTIO HABITUS.

OREMUS.

Domine Jesu Christe, qui tegumen nostræ mortalitatis induere dignatus es, quique gloriosum Confessorem tuum, Patrem nostrum, beatum Franciscum, tres Ordines instituere salubriter inspirasti, ac per operis tui Vicarios, Summos Eeclesiæ tuæ Pontifices, ipsos approbare fecisti; immensam tuæ clementiæ largitatem suppliciter exoramus, ut hæc indumenta, quæ idem beatus Franciscus ad innocentiæ, mortificationis et honestatis indicium, ac pro valida contra sæculum, carnem et dæmones armatura, commilitones suos, Fratres de Pœnitentia in Tertio Ordine portare decrevit, ita bene ✝ dicere et sancti ✝ ficare digneris, ut hic famulus tuus, ea devote suscipiens, te intra se taliter induat; quod quolibet vitio, te juvante, subacto, veraciter corde, ore et opere vivere mereatur, ut a te

nullis umquam tentationibus valeat separari. Qui vivis et regnas in sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

BENEDICTIO CHORDÆ SEU CINGULI.

ORÉMUS.

Deus, qui ut servum redimeres, Filium tuum per manus impiorum ligari voluisti, bene ✝ dic, quæsumus, cingulum istud, et præsta, ut famulus tuus, qui eo velut ligamine pœnitentiali sui corporis cingetur, vinculorum ejusdem Domini nostri Jesu Christi perpetuo memor existat, et in Ordine, quem assumit, perenniter perseveret, tuisque cum affectu semper obsequiis se alligatum esse cognoscat. Per eumdem Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

6. His lectis, Sacerdos Habitum et Chordam aspergit aqua benedicta. (Cfr. § 1. n. 14.) Deinde iterum sedet, et Candidatum, ante se genuflexum, exuit vestimento aliquo exteriori dicens:

Exuat te Dominus veterem hominem cum actibus suis, et eripiat de corde tuo sæculi pompas, quibus abrenuntiasti, dum Baptismum suscepisti. ℟. *Amen.*

Hoc facto, induens Candidatum Habitu et collari, dicit:

Induat te Dominus novum hominem, qui secundum Deum creatus est, in justitia et sanctitate veritatis. ℟. *Amen,*

Deinde cingit Candidatum Chorda, dicens:

Præcingat te Dominus cingulo puritatis, et extinguat in lumbis tuis humorem libidinis, ut maneat in te virtus continentiæ et castitatis. ℟. *Amen.*

Tandem Sacrista accipit candelam, eamque accensam dat Sacerdoti, qui illam Sponso tradit, dicens:

Accipe, Frater charissime, lumen Christi, in signum immortalitatis tuæ, ut mortuus mundo, Deo vivas. Exurge a mortuis et illuminabit te Christus. ℟. *Amen.*

7. Novitius, accepta candela, et salutatus a Sacerdote ut § 1. n. 17. redit ad genuflexorium, ibique genuflectit, et candelam ponit super candelabrum.

8. Mox Sacerdos stans legit Psalmum: LAUDATE DOMINUM OMNES GENTES. Quo finito, dicit:

℣. *Confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis.*

℟. *A templo sancto tuo, quod est in Jerusalem.*

℣. *Salvum fac servum tuum.*

℟. *Deus meus, sperantem in te.*

℣. *Mitte ei, Domine, auxilium de Sancto.*

℟. *Et de Sion tuere eum.*

℣. *Nihil proficiat inimicus in eo.*

℟. *Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.*

℣. *Domine, exaudi orationem meam.*

℟. *Et clamor meus ad te veniat.*

℣. *Dominus vobiscum.*

℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS.

Deus, qui corda Fidelium Sancti Spiritus illustratione docuisti: da nobis in eodem Spiritu recta sapere, et de ejus semper consolatione gaudere. Deus, qui per immaculatam Virginis Conceptionem dignum Filio tuo habitaculum præparasti; quæsumus, ut qui ex morte ejusdem Filii tui prævisa, eam ab omni labe præservasti, nos quoque mundos ejus intercessione ad te pervenire concedas.

Deus, qui Ecclesiam tuam beati Patris nostri Francisci meritis, fœtu novæ prolis amplificas, tribue nobis ex ejus imitatione terrena despicere, et cœlestium donorum semper participatione gaudere.

Deus, qui beatum Ludovicum, Confessorem tuum, de terreno regno ad cœlestis regni gloriam transtulisti; ejus, quæsumus, meritis et intercessione, Regis Regum Jesu Christi Filii tui facias nos esse consortes.

Tuorum corda Fidelium, Deus miserator, illustra; et beatæ Elisabeth precibus gloriosis fac nos prospera mundi despicere, et cœlesti semper consolatione gaudere. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

℣. *Dominus vobiscum.*

℟. *Et cum spiritu tuo.*

℣. *Benedicamus Domino.*

℟. *Deo gratias.*

9. Deinde Sacrista et etiam aliis, si adsint, genuflectentibus addit: *Benedictio Dei omnipotentis Patris, et Filii, ✝ et Spiritus sancti, descendat super vos et maneat semper.* ℟. *Amen.*

§ 6.

DE PROFESSIONE TERTIARIORUM.

1. Triduo ante finitum Probationis tempus Tertiarius petit admitti ad Professionem, his verbis:

Eerwaarde Vader, ik smeek u ter liefde Gods, toegelaten te worden tot de Professie van den Derden Regel van onzen heiligen Vader Franciscus; ten einde beter mijne ziel zalig te kunnen maken.

2. Ipsa autem die Professionis per Sacristam in Sacristia parabitur genuflexorium coopertum tapete, cui imponitur Crucifixus. Apud genuflexorium aptabitur candelabrum cum candela, et ante genuflexorium sedes pro Superiore.

3. Superior, vel Sacerdos, indutus superpelliceo et Stola coloris Officio diei convenientis, et sedens interrogat Novitium genuflexum, quid petat, qui respondet ut n. 1.

4. Deinde facta brevi exhortatione, dicitur Hymnus: VENI CREATOR, cum Versu et Oratione ut § præc. 5. n. 5.

5. Post Orationem Novitius surgit, et ante Sacerdotem sedentem genuflexus, manibusque suis positis inter manus Sacerdotis, emittit Professionem, ut sequitur:

Ik Broeder N. neem vastelijk voor, gedurende geheel mijn leven de geboden van God te onderhouden; en ik beloof aan God Almachtig, aan de heilige Maagd Maria, aan onzen heiligen Vader Franciscus, aan alle Heiligen, en aan U, Vader, naar behooren te voldoen voor de overtredingen, die ik mocht begaan tegen den Regel en de levenswijze der Derde Orde van Penitentie, ingesteld door onzen heiligen Vader Franciscus, en bevestigd door Paus

[illegible]

[illegible]

En ik beloof u van God: [illegible] *eeuwige leven.* ℟. *Amen.*

6. Mox Sacrista offert Sacerdoti candelam accensam, quam Sacerdos tradit Professo, [illegible]. Reliqua fiunt ut in Vestitione § praec. [illegible] n. 7. usque ad finem.

§ 7.

DE ORDINE RECIPIENDI SAECULARES AD HABITUM ET PROFESSIONEM TERTIÆ REGULÆ S. P. N. FRANCISCI.

„*Il Terz' Ordine secolare di S. Francesco d'Assisi, secondo le recenti Disposizioni del Sommo Pontefice Leone XIII.*" est titulus Opusculi, quod Romæ cum approbatione S. Congregationis de Prop. Fide 1883. in lucem prodiit, eodem anno pro Nostratibus e lingua Italica traductum ac typis longe lateque divulgatum. Cumque idem Opusculum inter alia exactum et omnibus suis numeris absolutum Cæremoniale Vestitionis ac Professionis tam latine quam vernacule contineat, nullusque sit in Ordine nostro hujus ministerii Sacerdos, qui commodioris usus libellum voluminoso codici non præferat, ideo haud necesse visum est actum agere in hoc Opere illudque foliis permultis inutiliter exaggerare.

§ 8.

DE CONFRATERNITATE CHORDÆ.

1. Confraternitatis Chordæ diligens habenda est ratio, populusque tum per Concionatores tum per Confessarios ad eamdem specialiter est incitandus.

2. Superior, vel alius Sacerdos, ad hoc specialiter deputatus, Alba

et Stola coloris Officio diei congruentis indutus, stans ad cornu Epistolæ absolute incipit:

℣. *Adjutorium nostrum in nomine Domini.*

℟. *Qui fecit cœlum et terram.*

℣. *Domine, exaudi orationem meam.*

℟. *Et clamor meus ad te veniat.*

℣. *Dominus vobiscum.*

℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS.

Omnipotens et misericors Deus, oramus immensam clementiam tuam, ut hanc chordam (vel has chordas) benedicere ✝ *et sanctificare* ✝ *digneris, ut quicumque sub invocatione S. Francisci ea cinctus fuerit, vel cincti fuerint,) et misericordiam tuam imploraverit, (vel imploraverint,) veniam et indulgentiam tuæ sanctæ misericordiæ consequatur. (vel consequantur.)*

Deus, qui ut servum redimeres, Filium tuum per manus impiorum ligari voluisti, benedic ✝, *quæsumus, cingulum istud: et præsta, ut famulus tuus, qui (vel famula tua, quæ) hoc pœnitentiæ ligamine præcingitur, vinculorum ejusdem Domini nostri Jesu Christi perpetuo memor existat, tuisque semper obsequiis alligatum (vel alligatam) se esse cognoscat. Per Dominum nostrum etc.*

℟. *Amen.*

3. Deinde aspergit Chordam aqua benedicta eaque præcingens confratrem, ante se genuflexum, dicit:

Accipe chordam B. P. N. Francisci, ut sint lumbi tui præcincti in signum continentiæ, et castitatis. In nomine Patris, et Filii ✝, *et Spiritus sancti.* ℟. *Amen.*

OREMUS.

Deus, qui beato Petro Apostolo tuo, significans, qua morte clarificaturus esset Deum, prædixisti ipsum in senectute ab alio fore

cingendum; famulum tuum, (vel famulam tuam,) quem (vel quam) cingulo nostræ Fraternitatis præcingimus, tua, quæsumus, caritate præcinge, tui nominis salutari metu constringe, et cor ejus alliga tuorum ligamine mandatorum, ut auxilio gratiæ tuæ liberatus (vel liberata) a mundo, tuoque vinctus (vel vincta) servitio, in devotione, quam assumit, usque in finem jugiter perseveret. Qui vivis et regnas in sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

4. Tandem Sacerdos subjungit:

Ego auctoritate qua fungor, et mihi concessa est, recipio te (vel vos) et suscipio ad participationem omnium bonorum spiritualium, quæ in toto Ordine Seraphici Patris nostri Francisci ex gratia Dei habentur. In nomine Patris, et Filii ✝, *et Spiritus sancti. Amen.*

Benedictio Dei omnipotentis Patris, et Filii ✝, *et Spiritus sancti descendat super te (vel vos) et maneat semper.* ℟. *Amen.*

5. Si plures adsint, qui Confraternitati adscribi postulant, Chordæ omnes unica Benedictione ut supra benedicuntur, singuli vero præcinguntur, repetendo semper Accipe etc. Cæterum pro numero singulari substituatur pluralis, etiam quoad pronomen relativum, (ubi occurrit) et quidem in genere masculino, si postulantes diversi sint sexus.

6. Ad servandam honestatem Sacerdos non cingat mulieres, sed porrecta ipsis Chorda ipsæ se cingant; quo facto, Sacerdos, tenens Chordæ extremitatem, dicit ut supra, Accipe etc.

7. Illi, qui prima vice Chordam suscipiunt, libro Confraternitatis inscribuntur. Convenit tamen, ut non detur Chorda nisi illis, qui jam ad primam Communionem fuerunt admissi: et si alii pueri accesserint, arceantur.

8. Si aliquis, qui jam est Confraternitati adscriptus, Chorda indiguerit, necesse non est ut aliam benedictam accipiat, neque ut illa denuo per Superiorem vel alium ad hoc deputatum Sacerdotem cingatur, sed se ipsum cingere potest.

§ 9.

DE MODO RECIPIENDI SOLEMNITER MINISTRUM GENERALEM ET ALIOS PRÆLATOS.

1. Cum Minister Generalis pro prima vice Conventum aliquem est ingressurus, debito cum honore et reverentia a Fratribus recipiendus erit.

2. Quapropter Altare et genuflexorium parabitur uti § 10. n. 2. sed insuper ad cornu Evangelii Altaris majoris aderit sedes, super suppedaneum contra Altare posita. Ad januam vero Ecclesiæ, sed intra Ecclesiam, extendatur tapetum et desuper ponantur duo pulvinaria, in quorum uno, versus Altare posito, collocetur Crux, et in altero Minister Generalis genuflectet.

3. In Sacristia Superior localis assumat Amictum, superpelliceum et Pluviale album; Cantores vero duo, item duo Ceroferarii, duo Acolythi, et Crucifer, qui sit Clericus, vel hoc deficiente, Laicus, superpelliceis se induant.

4. E Sacristia exeunt, et ad januam Ecclesiæ sistunt se eodem ordine ut dicitur § 10. n. 4. et 5. Primus Acolythus semper deferat thuribulum cum navicula, sive Visitatio sequatur, sive non.

5. Adveniente Ministro Generali, pulsantur campanæ, quoadusque Ecclesiam ingressus fuerit. Tum debitam illi reverentiam exhibent omnes per profundam capitis inclinationem; eique super pulvinum genuflexo Crucem, super alterum pulvinum collocatam, deosculandam offert Superior localis stans, qui postea illam, tradit Fratri, qui curam habet auferendi tapetum cum pulvinis.

6. Mox Ministro stanti Superior cum solitis osculis porrigit aspersorium, quod Minister apprehendens aspergit primo se ipsum, dehinc cæteros stantes. Quo facto, Superior cum solitis osculis Ministro præbet naviculam dicens BENEDICITE, PATER REVERENDISSIME; et imposito cum Benedictione incenso in thuribulum, ab Acolytho sustentatum, idem Superior stans triplici ductu Ministrum stantem thurificat, facta ante et post profunda capitis inclinatione.

7. His expletis, Minister medius inter Superiorem localem para-

tum et Ministrum Provinciæ, vel, eo absente, digniorem Patrem Conventus incedens deducitur ad Altare ut § 10. n. 7.

8. In Processione, scilicet statim postquam Minister Generalis thurificatus fuerit, (n. 6.) cantatur Antiphona: ECCE FIDELIS SERVUS ET PRUDENS, QUEM CONSTITUIT DOMINUS SUPER FAMILIAM SUAM; cui adduntur alii Hymni aut Cantica v. g. BENEDICTUS, MAGNIFICAT, si necesse fuerit.

9. Ubi ad Altare majus ventum est, Acolythi res suas ad credentiam deponunt; Ceroferarii candelabra accensa super credentiam collocant; Crucifer Crucem processionalem ad latus Evangelii extra Altare constituit, imagine Crucifixi ad Ministrum Generalem conversa. Minister Generalis, facta Cruci Altaris, vel SS. Sacramento, si adsit, debita reverentia, super genuflexorium paratum paulisper orabit, et omnes Religiosi cum eo, hinc inde in plano genuflexi.

10. Interim Superior localis, ut supra paratus, exhibitis Ministro Generali ac Altari debitis reverentiis, per latus Epistolæ suppedaneum conscendit, et stans ubi legitur Introitus Missæ, aliquantulum ad orantem Ministrum conversus, ex libro, super Altare posito, cantat in tono solemni Versus et Orationem sequentes:

℣. *Salvum fac servum tuum.*
℟. *Deus meus, sperantem in te.*
℣. *Mitte ei, Domine, auxilium de Sancto.*
℟. *Et de Sion tuere eum.*
℣. *Nihil proficiat inimicus in eo.*
℟. *Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.*
℣. *Domine, exaudi orationem meam.*
℟. *Et clamor meus ad te veniat.*
℣. *Dominus vobiscum.*
℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS.

Omnipotens sempiterne Deus, qui facis mirabilia magna solus, prætende super hunc famulum tuum, et cunctas congregationes illi commissas, spiritum gratiæ salutaris; et ut in veritate tibi compla-

habitas, tuum in nobis sentiamus adventum. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

2. Si immediate post receptionem solemnem instituatur Visitatio, tunc omnibus absolutis, quæ præscribuntur § præc. 9. usque ad n. 12. inclusive, Minister Generalis, facta Altari reverentia, ad scamnum secedit, ubi supra Amictum et superpelliceum induitur Stola et Pluviali nigri coloris; Secretarius autem Ordinis et alius Pater superpelliceum dumtaxat assumunt. Insuper aderit Clericus, superpelliceo indutus, qui palmatoriam deferat. Interea Superior localis indumenta sua ad credentiam deponit; ac sedes amovetur ab Altari, cujus frons antipendio nigro obtegitur, et Religiosi ad Chorum se conferunt. Deinde omnes se sistunt ut infra n. 5.

3. Si vero Visitatio ad aliud tempus differatur, tunc hora statuta, dato signo per campanellam refectorii, omnes Religiosi ad Chorum vel ad Presbyterium (§ 11. n. 2.) conveniunt. Minister Generalis, Secretarius Ordinis et alius Pater in Sacristia se induunt ut n. præc. Duo Cantores, duo Acolythi, duo Ceroferarii, Crucifer et Clericus de palmatoria superpellicea induunt.

4. Ad Ecclesiam procedunt ut § 11. n. 3. præscribitur. Clericus vero, manu dextra palmatoriam accensam deferens, incedit a dextris Thuriferarii.

5. Facta Altari reverentia, omnes se sistunt ut § 11. n. 5. Clericus de palmatoria stat a latere dextro primi Assistentis, et semper, dum Generalis cantat, palmatoriam sustinet manu, quæ libro propior est.

6. Omnibus locis suis stantibus, Minister Generalis inchoat et perficit Absolutionem Defunctorum ut præscribitur § 11. a. n. 5. usque ad n. 11.

7. Precibus pro Defunctis expletis, vel, si transferantur, cantata a Superiore locali Oratione S. P. N. Francisci, ut § præc. 9. n. 12. dictum est, Minister Generalis, facta Altari reverentia, ad scamnum recedit, ibique paramentis induitur, et deinde Visitatio SS. Sacramenti et cæterorum peragitur, ut § 11. a n. 12. usque ad n. 18.

8. Quoad Sermonem, Absolutionem generalem et discessum vid. etiam § 11. a n. 19. usque ad finem paragraphi.

§ 11.

DE SOLEMNI RECEPTIONE VISITATORIS GENERALIS VEL MINISTRI PROVINCIALIS, ETC.

1. Visitator Generalis, vel Minister Provincialis seu Custos Regiminis, eximium Visitationis munus completurus, etiam debito cum honore, et reverentia a Fratribus recipiendus erit.

2. Quapropter Altare tum majus seu Chori, tum SS. Sacramenti (si ab illo distinctum fuerit) paramentis coloris Officio congruentis decenter ornabitur, cum sex candelabris et cereis accensis. Ante hæc Altaria in medio Presbyterii parabitur genuflexorium, tapete coopertum, cum pulvinis superius et inferius.

3. In Sacristia Superior localis assumit superpelliceum tantum; item duo Cantores, duo Ceroferarii, duo Acolythi, et Crucifer, qui sit Clericus, vel, hoc deficiente, Laicus, superpelliceis se induunt.

4. Dum tempus est egrediendi, pergunt hoc ordine: antecedunt duo Acolythi, alter cum thuribulo et navicula, alter a sinistris ejus cum vase aquæ benedictæ et aspersorio: (si vero statim post receptionem Visitatio non instituatur, primus Acolythus non habeat thuribulum cum navicula, sed tunc deferat aspersorium) sequitur Crucifer Crucem processionalem deferens, medius inter Ceroferarios, candelabra accensa portantes; tum veniunt Religiosi in Ordinis habitu quotidiano pro ratione temporis, ac tandem Cantores et Superior localis.

5. Cum ad Ecclesiæ januam (intra Ecclesiam) pervenerint, Crucifer medius inter Ceroferarios sistit se ad sinistram ingredientium Ecclesiam, seu versus cornu Evangelii; Superior vero localis a parte opposita, aliquantulum post se habens duos Acolythos. Cæteri autem Religiosi, in duas alas divisi, hinc inde consistunt, sic ut digniores et duo Cantores sint Superiori viciniores.

6. Advenienti Visitatori debitam reverentiam exhibent omnes per profundam capitis inclinationem, et mox Superior localis aspersorium madidum ipsi tangendum præbet.

7. Quo facto, Visitator medius inter duos digniores Patres Con-

ceat, perpetuum ei rorem tuæ benedictionis infunde. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

11. Postmodum Minister Generalis surgit a genuflexorio, et facta Altari debita reverentia, se confert ad sedem paratam, (n. 2.) in qua sedens recipiet omnes (præter Superiorem localem Pluviali indutum) ad obedientiam per manus osculum, Provincialem primo inclinatum, cæteros subinde suo ordine genuflexos; et interim festivo sonitu pulsabuntur Organa.

12. Quo facto, Generalis ab Altari descendit, et in genuflexorio iterum procumbit. Tum cantatur a Choro Antiphona S. P. N. Francisci: SALVE SANCTE PATER etc. ℣. ORA PRO NOBIS, BEATE PATER NOSTER FRANCISCE. ℟. UT DIGNI etc. deinde Superior localis, stans ut n. 10. sed facie ad Altare conversa, cantat:

OREMUS.

Deus, qui Ecclesiam tuam beati Patris nostri Francisci meritis, fœtu novæ prolis amplificas; tribue nobis ex ejus imitatione terrena despicere, et cœlestium donorum semper participatione gaudere. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

13. Postmodum Minister Generalis se erigit, et facta Altari debita reverentia, cum Religiosis Conventum ingreditur.

14. Prima et solemnis receptio S. R. E. Cardinalis, Legati, Patriarchæ, Archiepiscopi et Episcopi in Ecclesia Conventus, siti in loco ipsorum jurisdictionis, fit eodem solemni ritu, his solummodo mutatis: *a*) ad fores Ecclesiæ præparatur baldachinum, sub quo Prælatus in Processione incedit; *b*) loco Antiphonæ: ECCE FIDELIS SERVUS, cantatur Antiphona: SACERDOS, ET PONTIFEX, vel alia juxta Pontificale Romanum; *c*) immediate ante Versum SALVUM FAC, additur juxta idem Pontificale:

℣. *Protector noster aspice Deus.*

℟. *Et respice in faciem Christi tui.*

d) Orationem S. P. N. Francisci cantat ipse Prælatus, aliquo Clerico superpelliceo induto palmatoriam ministrante; *e*) post Ora-

tionem Prælatus dat solemnem Benedictionem; *f*) omittuntur ea, quæ præscribuntur supra n. 11.

15. Cum aliquis ex Prælatis, numero præcedenti recensitis, nec prima vice, nec in publica forma ad Ecclesias, sitas in locis eorum jurisdictionis venerit, pari quidem reverentia, ut supra, excipietur, sed absimili ritu. Altare SS. Sacramenti decenter ornatur, et super illud sex accenduntur cerei. Præparatur item coram eo genuflexorium cum suo tapete et pulvinis. Superior localis, superpelliceo amictus, una cum Religiosis in habitu quotidiano, it obviam ei ad fores Ecclesiæ, absque Cruce, et porrigit ei aspersorium, aqua benedicta madidum, ut seipsum aspergat. Tum illum ad Altare deducit, subsequentibus Religiosis; et postquam Prælatus in genuflexorio aliquantulum oraverit, ad Conventum, vel ad Ecclesiæ limen, debitis cum reverentiis reducitur. Organa festive pulsantur ab ingressu ad exitum ejusdem.

16. Si vero aliquis ex dictis Prælatis devotionis gratia ad Ecclesiam venerit privatim, tunc Superior localis, assumptis sibi duobus saltem ex dignioribus Patribus, Prælato ingredienti aquam benedictam exhibet, ut supra, ad Ecclesiæ januam. Deinceps comitatur illum ad genuflexorium, ac denuo ad Ecclesiæ portam, prætermisso Organorum sono.

§ 10.

DE SOLEMNI VISITATIONE MINISTRI GENERALIS.

1. Quum Minister Generalis Visitationis causa accesserit, eodem plane ritu recipietur, ac § præc. 9. dictum est; sed loco Orationis: Omnipotens sempiterne Deus, (n. 10.) dicitur hæc:

OREMUS.

Deus, humilium visitator, qui eos paterna dilectione consolaris; prætende Societati nostræ gratiam tuam, ut per eos, in quibus

dein eodem modo incensat. Quo facto, ex libro ab Assistentibus sustentato pronuntiat:

℣. *Et ne nos inducas in tentationem.*

℟. *Sed libera nos a malo.*

℣. *In memoria æterna erunt justi.*

℟. *Ab auditione mala non timebunt.*

℣. *A porta inferi.*

℟. *Erue, Domine, animas eorum.*

℣. *Requiem æternam dona eis, Domine.*

℟. *Et lux perpetua luceat eis.*

℣. *Domine, exaudi orationem meam.*

℟. *Et clamor meus ad te veniat.*

℣. *Dominus vobiscum.*

℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS.

Deus, veniæ largitor, et humanæ salutis amator, quæsumus clementiam tuam, ut nostræ Congregationis Fratres, propinquos, et benefactores, qui ex hoc sæculo transierunt, beata Maria semper Virgine intercedente cum omnibus Sanctis tuis, ad perpetuæ beatitudinis consortium pervenire concedas. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

6. Deinde vadunt ad cœmeterium: præcedunt duo Acolythi, et Crucifer cum Ceroferariis ut n. 3. Sequuntur Religiosi, cantantes Responsorium: QUI LAZARUM RESUSCITASTI etc. tandem venit Visitator cum Assistentibus recitans Antiphonam: SI INIQUITATES, et Psalmum: DE PROFUNDIS, et in fine REQUIEM ÆTERNAM; postea tota Antiphona repetitur.

7. Quum fuerint in medio cœmeterii, subsistunt ordine suo, et Chorus cantat Responsorium LIBERA ME, DOMINE, etc. Dum Responsorium repetitur, Visitator thus ponit in thuribulum ut supra, et cantatis a Choro KYRIE etc. subjungit PATER NOSTER, et aspergit ac incensat, uti fecit in Ecclesia. Postmodum cantat Versiculos, ut supra n. 5. quibus finitis, subdit:

OREMUS.

Deus, qui inter Apostolicos Sacerdotes famulos tuos Pontificali seu Sacerdotali fecisti dignitate vigere; præsta quæsumus, ut eorum quoque perpetuo aggregentur consortio.

Deus, veniæ largitor etc. ut supra n. 5.

Deus, cujus miseratione animæ Fidelium requiescunt, famulis ac famulabus tuis omnibus, hic et ubique in Christo quiescentibus, da propitius veniam peccatorum; ut a cunctis reatibus absoluti, tecum sine fine lætentur. Per eumdem Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

℣. *Requiem æternam dona eis, Domine.*

℟. *Et lux perpetua luceat eis.*

Tum duo Cantores cantant:

℣. *Requiescant in pace.*

℟. *Amen.*

8. Mox producto a Visitatore signo Crucis versus omnem partem super cœmeterium, reditus fit ad Ecclesiam, recitando sine cantu Psalmum: MISERERE, cum REQUIEM ÆTERNAM etc. in fine.

9. Tandem Visitator stans ante Altare majus, dicit KYRIE ELEISON. CHRISTE ELEISON. KYRIE ELEISON. PATER NOSTER, reliquum sub silentio; deinde:

℣. *Et ne nos inducas in tentationem.*

℟. *Sed libera nos a malo.*

℣. *A porta inferi.*

℟. *Erue, Domine, animas eorum.*

℣. *Domine, exaudi orationem meam.*

℟. *Et clamor meus ad te veniat.*

℣. *Dominus vobiscum.*

℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS.

Absolve, quæsumus Domine, animas famulorum famularumque tuarum ab omni vinculo delictorum; ut in resurrectionis gloria

ventus incedens, processionali ritu et ordine ut n. 4. deducitur prius ad Altare SS. Sacramenti. (n. 2.) Ibi facta genuflexione usque ad terram ante ipsum SS. Sacramentum, Visitator genuflectet in genuflexorio parato, et paulisper orabit; quod cæteri quoque in plano genuflexi præstabunt, præter Cruciferum et Ceroferarios ad latus Evangelii sistentes. Deinde, surgente Visitatore, omnes similiter surgunt, et facta iterum genuflexione ante SS. Sacramentum, eodem ordine progrediuntur ad Altare majus. Nihil interea cantatur, sed Organa festive pulsantur.

8. Cum in Chorum pervenerint Religiosi et Cantores stalla sua occupant; cæteri vero usque ad Altare progrediuntur; ubi Acolythi sistunt ad latus Epistolæ, Crucifer vero cum Ceroferariis ad latus Evangelii. Si vero Chorus non sit ante Altare, Religiosi hinc inde in plano Presbyterii genuflectunt in duas alas divisi. Dum Visitator, facta Cruci Altaris, vel SS. Sacramento si adsit, debita reverentia, super genuflexorium paulisper orat, omnes alii etiam genuflectunt, exceptis Crucifero et Ceroferariis.

9. Deinde immediate post receptionem solemnem, aut alio tempore determinato instituitur Visitatio, incipiendo per Absolutionem Defunctorum, prout § 12. seq. præscribitur.

10. Visitator a Provinciali electus, vel subdelegatus a Visitatore Generali, quum ad Conventum Visitationis causa accesserit, prætermisso campanarum et Organorum sonitu, ad Ecclesiæ januam, non tamen processionali ritu, excipietur a Religiosis, eorum digniore aspersorium per contactum eidem porrigente. Ad Altare inde procedet, cæteris subsequentibus, ubi brevi facta oratione super pulvinum in infimo Altaris gradu appositum, Visitationis munus sibi concreditum auspicabitur et peraget eodem modo ut § 12. seq. præscribitur.

§ 12.

DE SOLEMNI VISITATIONE VISITATORIS GENERALIS, VEL MINISTRI PROVINCIALIS, ETC.

1. Si immediate post receptionem, de qua § præc. 11. instituatur

Visitatio, tunc Visitator, post brevem orationem assurgit, et facta Altari debita reverentia, ad scamnum secedit, ubi supra Amictum et superpelliceum induitur Stola et Pluviali nigri coloris; duo Assistentes, Patres scilicet digniores Conventus, superpelliceis tantum induuntur. Interea frons Altaris antipendio nigro obtegitur; et Crucifer cum Ceroferariis et alii omnes sistunt se ut infra n. 4.

2. Si vero Visitatio ad aliud tempus differatur, Visitator post brevem orationem assurgit, et facta Altari debita reverentia, Conventum ingreditur, sequentibus Religiosis: alii vero depositis rebus suis in loco congruo, in Sacristia superpelliceis se exuunt. Hora pro Visitatione statuta, dato signo per campanellam refectorii, omnes Religiosi ad Chorum vel ad Presbyterium ante Altare, ubi asservatur SS. Sacramentum, conveniunt. Visitator et duo digniores Patres Assistentes in Sacristia se induunt, ut n. præc. Duo Cantores, duo Acolythi, duo Ceroferarii et Crucifer superpellicea induunt.

3. Ad Ecclesiam procedunt hoc ordine: antecedunt duo Acolythi, alter cum thuribulo et navicula, alter a sinistris ejus cum vase aquæ benedictæ et aspersorio; sequitur Crucifer, medius inter duos Ceroferarios, candelabra accensa deferentes; tum veniunt Cantores, et ultimo Visitator medius inter duos Assistentes.

4. Facta Altari debita reverentia, Visitator vadit ad latus Epistolæ, ibique in plano juxta Altare sistit medius inter duos Assistentes, et conversus ad populum. Duo Acolythi stant a latere dextro primi Assistentis, sed paulo post ipsum. Crucifer et Ceroferarii stant etiam a latere Epistolæ, sed ad Visitatorem conversi; Cantores vero ad loca sua inter cæteros Religiosos se conferunt.

5. Omnibus sic stantibus, Visitator in cantu incipit Antiphonam: SI INIQUITATES: Chorus vero decantat Psalmum: DE PROFUNDIS, cum REQUIEM ÆTERNAM etc. in fine. Dum, primo Cantore intonante, Antiphona repetitur, Visitator thus cum Benedictione in thuribulum injicit, naviculam ministrante sine osculis primo Assistente; dein subdit KYRIE ELEISON; Chorus CHRISTE ELEISON; ipse denuo KYRIE ELEISON. PATER NOSTER, quod secreto completur. Interim accepto a primo Assistente aspersorio, ter aspergit ante se, ac

inter Sanctos et Electos tuos resuscitati respirent. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

10. Verum ubi cœmeterium non habeatur intra septa Conventus, preces pro Defunctis fiunt hoc modo: omnibus stantibus ut supra n. 4. canitur Responsorium: LIBERA ME, DOMINE, sub cujus finem thus imponitur in thuribulum ut n. 5. Cum a Choro ultimum KYRIE cantatum fuerit, (n. 7.) Visitator subjungit PATER NOSTER, et aspergit ac incensat ut n. 5. Quo facto, cantat Versiculos, et Orationem DEUS, VENIÆ etc. ut ibidem. Cantata Oratione, statim subdit REQUIEM ÆTERNAM etc. dextra signum Crucis producens ante se; tum duo Cantores cantant REQUIESCANT IN PACE, et Chorus respondet AMEN.

11. Ast si dies foret, qua juxta Rubricas Missa solemnis de *Requiem*, etiam præsente corpore, prohibeatur, hasce Defunctorum preces transferri opus esset ad insequentem diem, vel, si id fieri nequeat, sub vesperam recitari.

12. Precibus pro Defunctis expletis, vel omissis juxta dicta n. præc. Visitator, facta cum aliis Altari reverentia, ad scamnum recedit, ibique, adjuvantibus Assistentibus, Pluviali ac Stola nigri coloris (si ea deferat) depositis, supra Amictum et superpelliceum Stola et Pluviali albi coloris induitur. Interim ab Altaris fronte antipendium nigrum amovetur; ac duo, vel quatuor Acolythi cum intorticiis accensis Thuriferarium sequentes ante Altare accedunt, et hinc inde ad latus Thuriferarii in plano genuflectunt.

13. Mox Visitator cum suis Assistentibus ad medium Altaris se confert, ubi facta in plano genuflexione, in infimo gradu super pulvinum genuflectit. Tum primus Assistens, aut alius Sacerdos, imposita sibi Stola alba supra superpelliceum, ascendit ad Altare, genuflectit, Tabernaculum aperit, iterum genufleetit, Pyxidem extrahit, illamque in medio Altaris super Corporale collocat; et mox repetita genuflexione, descendit in planum, sibique Stolam detrahit.

14. Postmodum Visitator, facta cum Assistentibus capitis inclinatione, surgit cum ipsis, et tantillum deflectens ad cornu Evangelii, thus injicit in thuribulum absque Benedictione, naviculam ministrante sine osculis primo Assistente, et altero Pluvialis fimbriam

sublevante. Flexis exinde genibus SS. Sacramentum triplici ductu adolet, facta cum Assistentibus, qui ei hinc inde Pluvialis fimbrias sublevant, profunda capitis inclinatione ante et post.

15. Interim Cantores intonant TANTUM ERGO, quod Chorus prosequitur, omnibus de more caput inclinantibus. Post verba VENEREMUR CERNUI Visitator ad Altare ascendit, et postquam SS. Sacramentum genuflexione adoraverit, Pyxidem aperit, et inspicit, an ipsa, sacræ particulæ, ac Tabernaculum sint prout ordinatur Part. I. cap. IV. §§ 1. et 2. Quibus peractis, Pyxidem cooperit, et facta genuflexione, se aliquantulum retrahens ad cornu Evangelii, descendit in planum, et absque nova thuris impositione, SS. Sacramentum denuo genuflexus thurificat, Choro interea canente GENITORI GENITOQUE etc.

16. Quo finito, Cantores genuflexi cantant Versum: PANEM DE CŒLO; et Visitator surgens cantat Orationem: DEUS, QUI NOBIS etc. sub brevi conclusione. Post quam genuflexus velum humerale accipit, moxque se erigens ad Altare ascendit, genuflectit, Pyxidem apprehendit, et more solito dat Benedictionem. Deposita exinde Pyxide super Altare uti prius, genuflectit, in planum descendit, et velum humerale exuit. Tum Assistens aut alius Sacerdos (n. 13.) more consueto Pyxidem in Tabernaculum reponit.

17. Postmodum assurgunt omnes, et prævia genuflexione, Thuriferarius et alii ministri inferiores ad Sacristiam revertuntur; Visitator vero cum suis Assistentibus visitat Baptisterium, si adsit, deinde sacra Olea, Reliquias, Imagines, Altaria, Sacristiam cum supellectilibus etc.

18. Si rationabili de causa Visitator existimaverit Ecclesiæ Visitationem prosequendam hora magis sibi commoda, vel rebus locisque magis opportuna, tum post Benedictionem sacris depositis indumentis, in quotidiano Ordinis habitu id peragere poterit, quemadmodum efficiet visitando Conventum.

19. Ad finem Visitationis dato signo per campanellam refectorii, Religiosi ad domum capitularem conveniunt, ubi Visitator de regulari disciplina hortatorium ad eos habet sermonem. Quo finito, imponit sibi Stolam violaceam, et impertitur ipsis Absolutionem generalem, adhibita formula ut cap. III. § 3. n. 3.

20. Quum Visitator, confecta Visitatione, discedere voluerit, ad Ecclesiam prius accedit; ubi omnibus Religiosis in locis suis stantibus, ad Altare conversis, ipse Visitator in habitu ordinario stans ante Altare ad cornu Epistolæ versus illud, recitat Psalmum: DE PROFUNDIS cum REQUIEM ÆTERNAM, et Antiphona: SI INIQUITATES etc. Deinde subdit PATER NOSTER, reliquum secreto, tum:

℣. *Et ne nos inducas in tentationem.*
℟. *Sed libera nos a malo.*
℣. *A porta inferi.*
℟. *Erue, Domine, animas eorum.*
℣. *Requiescant in pace.*
℟. *Amen.*
℣. *Domine, exaudi orationem meam.*
℟. *Et clamor meus ad te veniat.*
℣. *Dominus vobiscum.*
℟. *Et cum spiritu tuo.*



OREMUS.

Deus, cujus miseratione animæ Fidelium requiescunt, famulis et famulabus tuis omnibus, hic et ubique in Christo quiescentibus, da propitius veniam peccatorum; ut a cunctis reatibus absoluti, tecum sine fine lætentur. Per eumdem Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

21. Post hæc ad portam usque Ecclesiæ a Religiosis comitatus, in nomine Domini discedit; et incipiens iter agere Itinerarium Clericorum inchoabit, prout in fine Breviarii vel Diurni.

§ 13.

DE ORDINE, SERVANDO IN DIE CAPITULI PROVINCIALIS.

1. De precibus, ante diem Capituli per aliquod tempus in Choro dicendis, vide Part. II. cap. IV. § 3. n. 8.

2. Ipsa die Electionis omnes Religiosi preces particulares fundant

ad implorandum divinum auxilium pro felici successu Electionis. Hora vero competenti solemniter cantatur Missa votiva (salvis tamen Rubricis) de Spiritu Sancto, juxta ordinationem Præsidis Capituli.

3. Missa completa, statim cantatur Hymnus: VENI CREATOR SPIRITUS, præintonante Officiatore, et Choro prosequente, ut moris est. Hymno absoluto, Cantores cantant:

℣. *Emitte Spiritum tuum, et creabuntur.*

℟. *Et renovabis faciem terræ.*

Deinde Officiator cantat:

℣. *Dominus vobiscum.*

℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS.

Deus, qui corda Fidelium Sancti Spiritus illustratione docuisti; da nobis in eodem Spiritu recta sapere, et de ejus semper consolatione gaudere. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

4. Hora a Præside Capituli statuta, Vocales ad locum determinatum conveniunt, ubi præmisso Hymno: VENI CREATOR, cum Versibus et Oratione ut n. præc. Electio facienda est juxta Statuta Generalia.

5. Peracta Electione Ministri Provincialis, Custodis et Definitorum, datur signum per campanellam refectorii, et omnes Religiosi ad locum Capituli vel ad domum capitularem conveniunt.

6. Electione Ministri, Custodis et Definitorum publicata, statim Præses Capituli intonat Hymnum: TE DEUM LAUDAMUS; et omnes alternatim canentes, in forma Processionis ad Ecclesiam pergunt.

7. In Choro Patres Vocales juxta ordinem suum superiora stalla occupant, ita ut Minister officio functus a latere Evangelii primus sistat; a latere Epistolæ dignior Pater Provinciæ, et sic consequenter alii consistant, relictis stallis vacuis pro Custode et Definitoribus electis, ad quæ, accepta confirmatione, et osculata Ministri manu, accedant.

8. Præses Capituli, præcedentibus Definitoribus, Custode et Ministro Provinciali noviter electis, accedit ad Altare, ubi facta re-

verentia debita, stat ante infimum ejus gradum, medius inter Ministrum Provincialem a dextris, et Custodem a sinistris, et sic per ordinem.

9. Absoluto Hymno Ambrosiano, Præses Capituli cantat Versiculos et Orationem sequentes:

℣. *Benedicamus Patrem et Filium cum Sancto Spiritu.*

℟. *Laudemus et superexaltemus eum in sæcula.*

℣. *Benedictus es, Domine Deus, in firmamento cœli.*

℟. *Et laudabilis, et gloriosus, et superexaltatus in sæcula.*

℣. *Domine, exaudi orationem meam.*

℟. *Et clamor meus ad te veniat.*

℣. *Dominus vobiscum.*

℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS.

Deus, cujus misericordiæ non est numerus, et bonitatis infinitus est thesaurus; piissimæ Majestati tuæ, pro collatis donis, gratias agimus, tuam semper clementiam exorantes: ut qui petentibus postulata concedis, eosdem non deserens, ad præmia futura disponas. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

10. Cantata Oratione, Præses Capituli ad Altare ascendit, et sedem occupat, in suppedaneo Altaris ad cornu Evangelii præparatam, ibidemque sedens Ministrum Provincialem, Custodem et Definitores, super infimum gradum Altaris genuflexos confirmat.

11. Quo facto, Minister Provincialis etiam ad Altare ascendit, et sedem occupat, in suppedaneo Altaris ad cornu Epistolæ præparatam. Mox omnes Patres et Fratres juxta ordinem, reverentiam et obedientiam præstaturi, accedunt, et genuflexi manum ejus deosculantur.

12. Absoluto hoc reverentiæ et obedientiæ actu, Præses Capituli et Minister Provincialis descendunt in planum, et iis præcedentibus, post exhibitam Altari reverentiam, ordinatim Choro egrediuntur.

igiosis, et tandem populo. Cfr. dicta Part. I. cap. VIII. § 4. in Append.

CAPUT III.

DE DIVERSIS PIETATIS AC HUMILITATIS OPERIBUS.

§ 1.

DE DISCIPLINA, SEU CASTIGATIONE SUI.

1. Ad meliorem carnis mortificationem convenienter institutum est, ut Disciplina ab omnibus adhibeatur ter in qualibet hebdomada, juxta Statuta Provincialia.

2. Postquam omnes ad cellas suas recesserint, Præsidens in dormitorio ante aliquod Altare aut aliquam Crucifixi imaginem genuflexus alta voce intonat Antiphonam: NE REMINISCARIS, et statim inchoat Psalmum: MISERERE MEI, DEUS, legitque primum Versum; alii Fratres legunt secundum, et sic alternatim prosequuntur usque ad finem, cum GLORIA PATRI, etc.

3. Absoluto Psalmo, Communitas repetit simul Antiphonam:

Ne reminiscaris, Domine, delicta nostra vel parentum nostrorum, neque vindictam sumas de peccatis nostris.

Et postea addit:

Christus factus est pro nobis obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis; propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium et infernorum, et omnis lingua confiteatur, quia Dominus noster Jesus Christus in gloria est Dei Patris.

4. Deinde Præsidens dicit:

℣. *Proprio Filio suo non pepercit Deus.*

℟. *Sed pro nobis omnibus tradidit illum.*

OREMUS.

Respice, quæsumus Domine, super hanc familiam tuam, pro qua Dominus noster Jesus Christus non dubitavit manibus tradi nocentium, et Crucis subire tormentum. Qui tecum vivit et regnat in sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

℣. *Divinum auxilium maneat semper nobiscum.*

℟. *Amen.*

5. In Majori Hebdomada, qualibet die fiat prolixior Disciplina, durantibus nempe Psalmis: Miserere et De profundis, cum Antiphona: Ne reminiscaris, et reliquis ut supra.

6. In die Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum, incipitur a Psalmo: Miserere mei, Deus; et illo finito, dicitur Requiem æternam etc. postea subjungitur Psalmus: De profundis, et in fine Requiem æternam etc.

℣. *A porta inferi.*

℟. *Erue Domine, animas eorum.*

℣. *Requiescant in pace.*

℟. *Amen.*

℣. *Domine, exaudi orationem meam.*

℟. *Et clamor meus ad te veniat.*

℣. *Dominus vobiscum.*

℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS.

Fidelium Deus omnium Conditor et Redemptor, animabus famulorum, famularumque tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum; ut indulgentiam, quam semper optaverunt, piis supplicationibus consequantur. Qui vivis et regnas in sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

℣. *Requiescant in pace.*

℟. *Amen.*

7. Prima nocte, postquam aliquis Frater in Conventu obierit, Disciplina pro solatio animæ Defuncti ab omnibus habeatur, duran-

tibus Psalmis: MISERERE et DE PROFUNDIS, cum Versibus, ut supra n. 6. Recitantur autem in numero singulari; et Collecta variatur, prout defunctus fuerit Sacerdos, Clericus vel Laicus; sic ut pro Sacerdote dicatur Oratio: DEUS, QUI INTER APOSTOLICOS SACERDOTES, pro Clerico vel Laico autem Oratio sit: INCLINA, DOMINE, AUREM TUAM.

§ 2.

DE CAPITULIS CULPARUM.

1. Capitulum culparum communiter servatur a Patre Guardiano vel Vicario (nisi alii illis superiores illud servare desiderent) ter in qualibet hebdomada, nempe Feria tertia, quinta, et Sabbatho. Si vero hi dies ob Festa occurrentia impediantur, tunc Feria secunda, quarta aut sexta Capitulum servetur.

2. Post prandium dictis in refectorio gratiis, omnes bini et bini, a junioribus incipiendo, vadunt ad domum capitularem, ibidemque facta Cruci reverentia, stant in locis suis usque dum Præsidens sederit, qui statim incipit commendationes Fidelium tam vivorum, quam defunctorum; et quidem duobus primis Capituli diebus, hoc modo:

Venerandi Patres, ac in Christo Jesu dilectissimi Fratres, commendo precibus ac Sacrificiis nostris statum tam vivorum, quam defunctorum. Quoad vivos; specialiter commendo statum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, Pontificem Summum N. omnes Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, Archiepiscopos, Episcopos, Diœcesanum nostrum, Clerum, tam oppidi quam termini, omnes Ordines Religiosos ab Ecclesia Dei approbatos, Reges et Principes cum universo populo Christiano, omnes benefactores nostros ac benefactrices, nosmet ipsos nobis, ut in mutua pace et charitate Domino Deo serviamus.

Quoad statum defunctorum, commendo animas Summorum Pontificum, animas Cardinalium Protectorum Ordinis, animas benefactorum ac benefactricum, Confratrum, maxime recenter defunc-

torum, animas omnium Christi Fidelium misericordiam Dei in Purgatorio præstolantium; pro quibus commendatis et aliis merito commendandis dicamus orationes et suffragia consueta.

3. Tunc surgens Præsidens, aliis etiam surgentibus, intonat sine cantu Psalmum: AD TE LEVAVI OCULOS MEOS; et Fratres, qui stant a latere dextro Præsidentis, eodem tono legunt: QUI HABITAS IN CŒLIS, aliis ab altero latere secundum Versum dicentibus; et sic alternatim usque ad finem prosequentibus, cum GLORIA PATRI etc. Deinde, nullo intonante, incipitur a latere sinistro Præsidentis, quia ibi dictum fuit GLORIA PATRI, (Part. II. cap. II. § 1. n. 10.) Psalmus: DE PROFUNDIS, cum REQUIEM ÆTERNAM in fine.

4. Postea Hebdomadarius, vel secundus Hebdomadarius, vel junior Sacerdotum, juxta dicta Part. II. cap. V. § 3. stans a latere dextro Præsidentis, dicit PATER NOSTER, quod omnes corpore profunde inclinati secreto recitant, sese erigentes, dum dicitur:

℣. *Et ne nos inducas in tentationem.*

℟. *Sed libera nos a malo.*

℣. *Salvos fac servos tuos.*

℟. *Deus meus, sperantes in te.*

℣. *Oremus pro Fidelibus defunctis.*

℟. *Requiem æternam dona eis, Domine; et lux perpetua luceat eis.*

℣. *Requiescant in pace.*

℟. *Amen.*

℣. *Domine, exaudi orationem meam.*

℟. *Et clamor meus ad te veniat.*

℣. *Dominus vobiscum.*

℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS.

Prætende, Domine, Fidelibus tuis dextram cœlestis auxilii; ut te toto corde perquirant, et quæ digne postulant, consequi mereantur.

Fidelium Deus omnium Conditor et Redemptor, animabus famulorum, famularumque tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum; ut indulgentiam, quam semper optaverunt, piis sup-

plicationibus consequantur. Qui vivis et regnas in sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

℣. *Requiem æternam dona eis, Domine.*

℟. *Et lux perpetua luceat eis.*

℣. *Requiescant in pace.*

℟. *Amen.*

Dictoque secreto, et cum profunda corporis inclinatione, PATER NOSTER, Præsidens dicit DEUS DET NOBIS SUAM PACEM. ℟. AMEN.

5. In ultimo hebdomadæ Capitulo commendationes fiunt hoc modo:

Venerandi Patres, et in Christo Jesu dilectissimi Fratres, commendo precibus et Sacrificiis nostris statum tam vivorum, quam defunctorum.

Quoad vivos, commendo in primis statum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, Pontificem nostrum N. omnes Cardinales, Ordinis nostri Protectorem, omnes Archiepiscopos, Episcopos, et nominatim Diœcesanum nostrum cum Clero illis subjecto; omnes Ordines tam mendicantes quam non mendicantes, specialiter Ordinem nostrum Seraphicum, tam quoad Superiores quam Subditos; Reverendissimum Patrem nostrum Ministrum Generalem, omnes Prælatos et Provinciales, præcipue Admodum Reverendum Patrem Ministrum hujus almæ Provinciæ nostræ, omnes Definitores, Guardianos, Lectores, Vicarios, omnesque Patres et Fratres, nosmet ipsos nobis, ut in mutua pace et charitate Domino Deo serviamus; Ordinem Clarissarum, Tertiariorum; omnes denique religiosas personas, sub quacumque Regula Domino Deo famulantes.

Quoad statum politicum, commendo Regem nostrum cum domo sua regia, Magistratum hujus civitatis, Syndicum cum sua familia, Medicos, omnes parentes, amicos, benefactores et benefactrices, omnes afflictos, omnes denique personas, quæ suas necessitates precibus nostris commendarunt.

Quoad statum defunctorum, commendo animas Summorum Pontificum, præsertim eorum, qui suis privilegiis ac favoribus Ordinem nostrum munierunt, animas Cardinalium Protectorum Ordinis, animas Parentum, Confratrum nostrorum maxime recenter defunctorum, animas benefactorum ac benefactricum, præsertim illorum,

qui hunc locum fundarunt, vel aliud beneficium præstiterunt, vi cujus meruerunt inscribi libro recommendationis, quorum nomina, si quæ occurrant, recitentur.

6. Tunc surgens Hebdomadarius legit nomina, quæ intra illam hebdomadam in libro recommendationis sunt annotata; et postquam omnia legit, dicit NON OCCURRUNT PLURA. Hebdomada autem intelligitur subsequens, ita ut recitari debeant nomina Defunctorum, illa ipsa die, qua Capitulum celebratur, et aliis diebus usque ad proximum Capitulum sabbathinum sequentibus occurrentium. Si vero nulla nomina recitanda occurrant, Hebdomadarius statim Præsidi respondet NULLA OCCURRUNT.

7. Deinde Præsidens superaddit:

Pro quibus commendatis, et aliis merito commendandis, dicamus preces et suffragia consueta.

Quo dicto, surgit et intonat ut supra Psalmum: AD TE LEVAVI OCULOS MEOS, cum GLORIA PATRI in fine; dein dicitur Psalmus: DE PROFUNDIS, cum REQUIEM ÆTERNAM et PATER NOSTER, ut n. 3. et 4.

℣. *Et ne nos inducas in tentationem.*
℟. *Sed libera nos a malo.*
℣. *Memento congregationis tuæ.*
℟. *Quam possedisti ab initio.*
℣. *Fiat pax in virtute tua.*
℟. *Et abundantia in turribus tuis.*
℣. *Salvos fac servos tuos.*
℟. *Deus meus, sperantes in te.*
℣. *Oremus pro Fidelibus defunctis.*
℟. *Requiem æternam dona eis, Domine; et lux perpetua luceat eis.*
℣. *Requiescant in pace.*
℟. *Amen.*
℣. *Domine, exaudi orationem meam.*
℟. *Et clamor meus ad te veniat.*
℣. *Dominus vobiscum.*
℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS.

Ecclesiæ tuæ, quæsumus Domine, preces placatus admitte; ut destructis adversitatibus et erroribus universis, secura tibi serviat libertate.

Omnipotens sempiterne Deus, qui facis mirabilia magna solus; prætende super famulos tuos, Ministros nostros, et super cunctas Congregationes illis commissas, spiritum gratiæ salutaris; et ut in veritate tibi complaceant, perpetuum eis rorem tuæ benedictionis clementer infunde.

Excita, quæsumus Domine, in nobis spiritum, cui beatus Pater noster Franciscus, Confessor tuus, servivit; ut eodem nos repleti, studeamus amare quod amavit, et opere exercere quod docuit.

Prætende, Domine, Fidelibus tuis dextram cœlestis auxilii; ut te toto corde perquirant, et quæ digne postulant, consequi mereantur.

Adesto, Domine, supplicationibus nostris, et viam famulorum tuorum in salutis tuæ prosperitate dispone; ut inter omnes viæ et vitæ hujus varietates tuo semper protegantur auxilio.

Omnipotens sempiterne Deus, salus æterna credentium, exaudi nos pro famulis ac famulabus tuis infirmis, pro quibus misericordiæ tuæ imploramus auxilium; ut, reddita sibi sanitate, gratiarum tibi in Ecclesia tua referant actiones.

Fidelium Deus omnium Conditor et Redemptor, animabus famulorum famularumque tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum; ut indulgentiam, quam semper optaverunt, piis supplicationibus consequantur. Qui vivis et regnas in sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

℣. *Requiem æternam dona eis, Domine.*

℟. *Et lux perpetua luceat eis.*

℣. *Requiescant in pace.*

℟. *Amen.*

Deinde dicitur PATER NOSTER totum secreto; et postea Præsidens voce demissa dicit DEUS DET NOBIS SUAM PACEM. ℟. AMEN.

8. Ad primam Orationem: ECCLESIÆ TUÆ omnes profunde se inclinant; ad alias vero stant erecti, vultibus ad invicem conversis.

9. Si Guardianus vel Vicarius præsideat in Capitulo, postquam dixit DEUS DET NOBIS SUAM PACEM, et responsum fuit AMEN, Novitii et Tertiarii qui sub ultima Collecta venerant ad medium Capituli, ibidem flexis genibus, et osculata prius terra, se erigunt, et junctis ante pectus manibus, oculisque in terram demissis, simul agnoscunt suas culpas, dicendo: EST MEA CULPA, REVERENDE PATER, DE OMNIBUS DEFECTIBUS MEIS; et statim se in terram prosternunt, facie manibus simul junctis apposita. Superior imponit illis pro generalibus defectibus pœnitentiam postea persolvendam.

10. Imposita pœnitentia, et, si Superior expedire judicaverit, admonitione quadam peracta, jubet illos surgere, dicens SURGITE ET ORATE PRO NOBIS; et statim illi terram exosculantes se erigunt, et simul, reverentia prius facta Cruci, domo capitulari egrediuntur.

11. Deinde Professi, in genua provoluti, terram exosculantur, et erecti culpas simul agnoscunt. Quo facto, se in terram prosternunt et Superior primum Sacerdotibus, deinde Clericis, postea Laicis, pro defectibus generalibus pœnitentiam imponit, et eos per ordinem surgere jubet.

12. Finitis omnibus, Superior solvit Capitulum, dicendo: AMBULEMUS IN PACE ET CHARITATE: ADJUTORIUM NOSTRUM IN NOMINE DOMINI. Interim omnes se signant signo Crucis, et respondent QUI FECIT CŒLUM ET TERRAM. Deinde facta Cruci reverentia, bini et bini, a junioribus incipiendo, ad Chorum vadunt, lecturi orationes in Cruce, et pœnitentiam in Capitulo impositam.

13. Si neque Guardianus, neque Vicarius in Capitulo adesset, commendationes tamen et preces dicendæ numquam omittuntur; sed dicto DEUS DET NOBIS etc. omnes discedunt, quin tunc culpæ agnoscantur.

§ 3.

DE ABSOLUTIONE GENERALI IN CAPITULO IMPERTIENDA.

1. In Vigiliis Nativitatis Domini, Cœnæ Domini, Pentecostes, Assumptionis B. Virginis Mariæ et Festivitatis S. P. N. Francisci,

servato de more Capitulo ut § præc. 2. atque si celebratum fuerit Capitulum sabbathinum, Novitiis et Tertiariis domum capitularem denuo ingressis, Superior brevem et efficacem pro qualitate Solemnitatis, ad Fratres, suis locis sedentes, habebit exhortationem.

2. Hac absoluta, Superior suam agnoscens culpam coram Communitate genuflexus, petit a Digniore qui est in Capitulo, pro defectibus sibi imponi pœnitentiam. Dum autem Superior culpam agnoscit, omnes alii, excepto Digniore, ob reverentiam erga Superiorem, etiam genuflectunt versus Crucem; Dignior autem stans agit Superiori gratias pro curis et laboribus, petitque nomine Communitatis, sibi aliisque impendi Absolutionis Generalis beneficium.

3. Quo dicto, Superior surgit et accepta Stola violacea, (quam Sacrista tempestive ad Capitulum detulit) stans conversus ad Fratres genuflexos, Absolutionem Generalem impertitur sequenti formula, a SS. Leone XIII. die 7. Julii anni 1882. præscripta:

ANT. *Ne reminiscaris, Domine, delicta nostra, vel parentum nostrorum; neque vindictam sumas de peccatis nostris.*

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster.

℣. *Et ne nos inducas in tentationem.*

℟. *Sed libera nos a malo.*

℣. *Ostende nobis Domine misericordiam tuam.*

℟. *Et salutare tuum da nobis.*

℣. *Domine, exaudi orationem meam.*

℟. *Et clamor meus ad te veniat.*

℣. *Dominus vobiscum.*

℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS.

Deus, cui proprium est misereri semper et parcere: suscipe deprecationem nostram; ut nos et omnes famulos tuos, quos delictorum catena constringit, miseratio tuæ pietatis clementer absolvat.

Exaudi, quæsumus Domine, supplicum preces, et confitentium tibi parce peccatis: ut pariter nobis indulgentiam tribuas benignus et pacem.

Ineffabilem nobis, Domine, misericordiam tuam clementer ostende: ut simul nos et a peccatis omnibus exuas, et a pœnis, quas pro his meremur, eripias.

Deus, qui culpa offenderis, pœnitentia placaris: preces populi tui supplicantis propitius respice; et flagella tuæ iracundiæ, quæ pro peccatis nostris meremur, averte. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

Completis precibus, ab uno ex adstantibus dicitur *Confiteor*. Deinde Sacerdos dicit:

Misereatur vestri etc. Indulgentiam, absolutionem etc.

Postea subjungit:

Dominus Noster Jesus Christus per merita suæ sacratissimæ Passionis vos absolvat et gratiam suam vobis infundat. Et ego auctoritate ipsius, et beatorum Apostolorum Petri et Pauli et Summorum Pontificum Ordini nostro ac vobis concessa, et mihi in hac parte commissa, absolvo vos ab omni vinculo excommunicationis majoris vel minoris, suspensionis et interdicti, si quod forte incurristis, et restituo vos unioni et participationi fidelium, nec non sacrosanctis Ecclesiæ Sacramentis. Item eadem auctoritate absolvo vos ab omni transgressione votorum et regulæ, constitutionum, ordinationum et admonitionum Majorum nostrorum ab omnibus pœnitentiis oblitis, seu etiam neglectis, concedens vobis remissionem omnium peccatorum, quibus contra Deum et proximum fragilitate humana, ignorantia, vel malitia deliquistis, ac de quibus jam confessi estis. In nomine Patris, † et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.

4. Deinde Superior significat, quod quilibet Frater eligere possit Confessarium, juxta Statuta Prov. Cap. VII. § 1. n. 2.

5. Mox injuncta aliqua pœnitentia, Superior subjungit: ITE IN PACE, NOLITE AMPLIUS PECCARE, ET ORATE DEUM PRO ME. Quo dicto, omnes recedunt ut § præc. 2. n. 12.

§ 4.

DE ABSOLUTIONE GENERALI EX CONCESSIONE LEONIS X.

1. Ex concessione Leonis X. et S. Congregationis Indulgentiarum

declaratione, data die 12. Martii 1855. omnes personæ trium Ordinum S. P. N. Francisci consequi possunt plenariam Absolutionem et Indulgentiam in omnibus Solemnitatibus seu Festis Domini nempe: Nativitatis, Circumcisionis, Epiphaniæ, Paschatis, Ascensionis, Pentecostes, SS. Trinitatis, et Corporis Christi. Item in Festis B. Mariæ Virginis, nempe: in Festo Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis, Nativitatis, Præsentationis, et Immaculatæ Conceptionis. Item in Festis Omnium Sanctorum, SS. Apostolorum Petri et Pauli, S. P. N. Francisci, S. Claræ, S. Catharinæ V. M. (25. Nov.) et per totam Hebdomadam Majorem.

2. Prædictis itaque diebus, lectis orationibus in Cruce post prandium, Fratres omnes in locis suis genuflectunt, vultibus ad medium Chori conversis.

3. Superior, accepta Stola coloris Officio diei convenientis, (quam Sacrista una cum Cæremoniali ad Chorum detulit) stans in loco suo, (cap. I. § 2. n. 5.) Absolutionem Generalem impertitur ut § præc. 3.

4. Deinde injuncta aliqua pœnitentia, Superior subjungit: ITE IN PACE ET GRATIA DEI, ET ORATE PRO ME.

5. Si quis adesse non potuerit, dum Absolutio Generalis Communitati datur, poterit illam privatim petere et accipere.

6. Insuper ex concessione Leonis X. possunt Religiosi quater in anno, diebus quibus maluerint, consequi eamdem plenariam Absolutionem et Indulgentiam, nec non Papalem Benedictionem. Hæc autem Benedictio Papalis detur cum formula, approbata in Constitutione Benedicti Papæ XIV. *Exemplis Prædecessorum*, et a Leone Papa XIII. in brevi: *Quo universi* præscripta; scilicet:

7. Superior, superpelliceo et Stola albi coloris indutus, sed sine ministris, vadit ad Altare, et ibi genuflexus dicit:

℣. *Adjutorium nostrum in nomine Domini.*

℟. *Qui fecit cœlum et terram.*

℣. *Salvum fac populum tuum, Domine.*

℟. *Et benedic hæreditati tuæ.*

℣. *Dominus vobiscum.*

℟. *Et cum spiritu tuo.*

Deinde stans recitat sequentem Orationem:

OREMUS.

Omnipotens et misericors Deus, da nobis auxilium de sancto, et vota populi hujus in humilitate cordis veniam peccatorum poscentis, tuamque benedictionem postulantis et gratiam, clementer exaudi: dexteram tuam super eum benignus extende; ac plenitudinem divinæ benedictionis effunde; qua bonis omnibus cumulatus, felicitatem et vitam consequatur æternam. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

His dictis, vadit ad cornu Epistolæ, et ibidem stans unico signo Crucis dat benedictionem, alta voce pronuntiando hæc verba:

Benedicat vos omnipotens Deus, Pater, ✝ *et Filius, et Spiritus Sanctus.* ℟. *Amen.* Reliqua ut supra.

§ 5.

DE ABSOLUTIONE GENERALI FRATRIBUS NOSTRIS IN ARTICULO MORTIS CONSTITUTIS IMPERTIENDA.

1. Curent Superiores, ut Fratribus nostris infirmis tempestive impertiatur Absolutio Plenaria, Nostratibus, in articulo mortis constitutis, concessa.

2. Pro hac Absolutione adhibenda est formula, in Constitutione Benedicti Papæ XIV. *Pia Mater*, et noviter in Brevi Leonis Papæ XIII. *Quo universi* præscripta.

3. Sacerdos igitur infirmi cubiculum ingressus, primum dicat:

℣. *Pax huic domui.*

℟. *Et omnibus habitantibus in ea.*

Mox infirmum, cubiculum ejus et adstantes aspergat aqua benedicta, dicens sequentem Antiphonam:

Asperges me, Domine, hyssopo et mundabor: lavabis me, et super nivem dealbabor: et primum Versum Psalmi: *Miserere* cum *Gloria Patri, etc. Sicut erat etc.*

Deinde repetat Antiphonam: *Asperges me, etc.*

℣. *Adjutorium nostrum in nomine Domini.*

℟. *Qui fecit cœlum et terram.*

Ant. *Ne reminiscaris, Domine, delicta famuli tui, neque vindictam sumas de peccatis ejus.*

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster.

℣. *Et ne nos inducas in tentationem.*

℟. *Sed libera nos a malo.*

℣. *Salvum fac servum tuum.*

℟. *Deus meus, sperantem in te.*

℣. *Domine, exaudi orationem meam.*

℟. *Et clamor meus ad te veniat.*

℣. *Dominus vobiscum.*

℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS.

Clementissime Deus, Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, qui neminem vis perire in te credentem atque sperantem, secundum multitudinem miserationum tuarum respice propitius famulum tuum N. quem tibi vera fides et spes christiana commendant. Visita eum in salutari tuo, et per Unigeniti tui passionem et mortem, omnium ei delictorum suorum remissionem et veniam clementer indulge: ut ejus anima in hora exitus sui te judicem propitiatum inveniat, et in Sanguine ejusdem Filii tui ab omni macula abluta, transire ad vitam mereatur perpetuam. Per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen.

Dicto ab uno e Clericis *Confiteor*, Sacerdos subjungit *Misereatur*, deinde:

Dominus noster Jesus Christus, Filius Dei vivi, qui beato Petro Apostolo dedit potestatem ligandi atque solvendi, per suam piissimam misericordiam recipiat confessionem tuam, et restituat tibi stolam primam, quam in Baptismate recepisti; et ego facultate mihi ab Apostolica Sede tributa, indulgentiam plenariam et remissionem omnium peccatorum tibi concedo. In nomine Patris, ✝ et Filii, et Spiritus Sancti.

Per sacrosancta humanæ reparationis mysteria, remittat tibi omnipotens Deus omnes præsentis et futuræ vitæ pœnas, Paradisi portas aperiat, et ad gaudia sempiterna perducat. Amen.

Benedicat te omnipotens Deus, Pater, ✝ Filius, et Spiritus Sanctus. Amen.

CAPUT IV.

DE COMMUNI MENSA ET QUIBUSDAM DOMESTICIS EXERCITIIS.

§ 1.

DE JENTACULO.

1. Hora statuta pro sumendo jentaculo, Fratres accedunt ad refectorium; ubi, præmissa Cruci capitis inclinatione, omnes suis locis se sistunt ut ante prandium. § seq. 2. n. 6.

2. Dictis precibus, quas præscribunt Statuta Provincialia, ad suum quisque locum accedit.

3. Jentaculo finito, Præses dat signum per unum ictum campanellæ, et mox omnes surgunt, ac se sistunt suis locis ut prius.

4. Dicta gratiarum actione, ut in Statutis Provincialibus, omnes caput Cruci inclinant, et in silentio discedunt.

5. Communitate e refectorio exeunte, si qui forte jentaculum non absolverint, ad gratiarum actionem cum aliis surgunt, et manent stantes donec Communitas transierit, exceptis Prælatis, et Definitorii Patribus, qui ad gratiarum actionem etiam surgunt, sed in transitu Communitatis sedere poterunt. Idem observandum est in prandio et in cœna.

§ 2.

DE PRANDIO.

1. Paululum ante horam meridianam, dato signo per campanellam

refectorii, ant alio modo, omnes Fratres ad Capitulum conveniunt, ibidemque suis locis sedentes, exspectant in silentio adventum Præsidis. Adveniente autem Patre Guardiano omnes assurgunt, donec ipse suo sederit loco.

2. Audita hora duodecima, tintinnatur pro Salutatione Angelica, quæ recitatur alta voce in communi, stando vel genuflectendo uti dictum est Part. II. cap. II. § 3. n. 10.

3. Finita Oratione, omnes sedent, et Præses incipit legere Psalmum: DE PROFUNDIS pro Fidelibus defunctis, Fratres, qui sedent a latere dextro Præsidis, (vel si Præses non in medio sederit, tunc illi, qui ab eodem latere sedent) Psalmi Versum perficiunt; alii vero ab altero latere alterum Versum prosequuntur, et sic alternatim usque in finem, cui additur REQUIEM ÆTERNAM DONA EIS, etc.

4. Dicto Psalmo, Præses dicit:

℣. *A porta inferi.*

℟. *Erue, Domine, animas eorum.*

℣. *Requiescant in pace.*

℟. *Amen.*

℣. *Domine, exaudi orationem meam.*

℟. *Et clamor meus ad te veniat.*

℣. *Dominus vobiscum.*

℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS.

Absolve, quæsumus Domine, animas famulorum famularumque tuarum, et omnium Fidelium defunctorum, ab omni vinculo delictorum; ut in resurrectionis gloria inter Sanctos et Electos tuos resuscitati respirent. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

℣. *Requiescant in pace.*

℟. *Amen.*

5. Quibus dictis, surgunt universi, factaque Cruci reverentia, de loco capituli egrediuntur, a junioribus incipiendo, ac bini et bini ad refectorium vadunt cum gravitate et silentio. Qui non interfuerint

Psalmo: DE PROFUNDIS, legent illum in refectorio, flexis genibus, et facie ad Crucem versa.

6. Cum Fratres incipiunt refectorium intrare, pulsatur a juniore ministro mensæ uno alterove ictu campanella, dependens ad primam mensam in Præsidis loco. Interim Fratres, facta prius Cruci reverentia, sistunt se hinc inde ad refectorii latera, in linea recta, sic ut juniores stent inferius. Fratribus propemodum ingressis, pulsabitur ab eodem ministro aliquanto prolixius, donec unusquisque suo loco constiterit. Interim Superiori transeunti omnes se inclinant, sed profundius Fratres juniores.

7. Quod si Superior tempore mensæ intret refectorium vel de eo exeat, omnes surgunt, donec Superior sederit, vel exiverit; excipiuntur Patres Definitorii, qui Guardiano non assurgunt. Item assurgunt Novitii primi novitiatus in egressu vel ingressu sui Instructoris.

8. Finita pulsatione, et Fratribus omnibus, facie ad invicem versa, stantibus, datur a Præside signum per unum ictum campanellæ, et Hebdomadarius, manibus junctis, incipit, ut in Breviario, BENEDICITE, et ab aliis, manibus intra manicas compositis, repetito BENEDICITE, dicit OCULI OMNIUM, vel aliquid aliud pro temporis diversitate, ut infra § 4. Ad GLORIA PATRI, et ad PATER NOSTER omnes profunde se inclinant.

9. Cum Hebdomadarius dicit: OREMUS, manibus ante pectus junctis, caput Cruci inclinat; et ad verba: BENEDIC, DOMINE, NOS, ipse et omnes alii se signant signo Crucis; dum autem dicit: ET HÆC TUA DONA, format Crucem versus panem in prima mensa positum.

10. Interea primus lector mensæ, deposito mantello, manibusque ante pectus junctis, procedit ad medium circiter refectorii, ibidemque facta Cruci reverentia, erectus dicit JUBE, DOMNE, BENEDICERE. Quo dicto, se profunde versus Crucem inclinat, donec Hebdomadarius, manibus ante pectus junctis, Benedictionem absolverit.

11. Responso AMEN, omnes modeste assideant mensæ, uti præscribunt Statuta Provincialia Cap. IV. § 5. n. 5. et 12. Omnibus sedentibus, leguntur orationes in Cruce, vel culpæ agnoscuntur, ante et post terram exosculando; nisi adsint extranei vel etiam Religiosi ad Provinciam nostram non pertinentes.

12. Qui orationes in Cruce legere debet, vel qui tam ad prandium, quam ad cœnam aut collationem tardius accedit, locum occupet ultimum in eadem mensa.

13. In initio mensæ juniores Laici, qui actu non inserviunt mensæ, infundunt pro Communitate cerevisiam, a Præside incipiendo.

14. Ministri mensæ sollicite curent, ne quid alicui desit; attendantque diligenter, si quid a Præside, vel a dispensatore requiratur; invigilent quoque, ut omnia sua sine tumultu et cum religiosa honestate peragant.

15. Si ministri mensæ, vel etiam Fratres mensæ assidentes, errorem notabilem commiserint, (v. g. si frangendo aliquid, vel tumultum excitando majorem Communitatis partem perturbaverint) statim culpam suam more solito agnoscant. Cfr. tamen supra n. 11.

16. Præses, dato per ictum campanellæ signo pro fine ultimæ lectionis (vide § 5. n. 1) modica interposita mora, iterum tangit campanellam. Quo facto, Clerici et Laici omnia auferunt, et ministri mensæ mensam abstergunt.

17. In ultima septimanæ refectione, mensa abstersa, ministri et lectores mensæ prodeunt ad medium circiter refectorii, ubi genuflexi terram exosculantur, et deinde culpas suas agnoscant de erroribus, sive in ministrando sive in legendo commissis. Cfr. tamen n. 11. et § 6. n. 1.

18. Omnibus absolutis, Præses campanellam unico ictu tangens, surgit, et omnes cum ipso e mensa descendunt, et facta Cruci reverentia, se sistunt ut n. 6.

19. Quando concessum fuit colloquium ad mensam, Præses, mensa abstersa, dat signum per ictum campanellæ, et mox omnibus silentibus, legitur punctum ex *Imitatione Christi* in lingua vernacula, donec Præses altero campanellæ ictu dederit signum cessandi. Quo dato, Præses surgit, et omnes cum ipso e mensa descendunt, ut n. 18.

20. Dum omnes in suis locis consistunt, dato signo a Præside per ictum campanellæ, primus lector mensæ manibus junctis et facie ad Crucem conversa, cantat TU AUTEM, DOMINE, MISERERE

NOBIS. Responso DEO GRATIAS, Hebdomadarius inchoat gratiarum actionem. (vide § 4.) Dum dicit AGIMUS TIBI GRATIAS etc. ipse stat erectus, sed alii caput profunde inclinant.

21. Dicto DEUS DET NOBIS SUAM PACEM; et responso AMEN, omnes, facta Cruci reverentia, bini et bini in silentio vadunt ad Chorum, vel ad domum capitularem.

22. Fratres utensilia mensæ abluturi, sub initium lotionis, incipiente digniore, recitabunt Psalmum: MISERERE cum DE PROFUNDIS et in fine REQUIEM ÆTERNAM etc. ℣. A PORTA INFERI, etc. ℣. REQUIESCANT etc. ℣. DOMINE, EXAUDI etc. ℣. DOMINUS VOBISCUM. etc. OREMUS, FIDELIUM DEUS OMNIUM CONDITOR etc. ℟. AMEN. Postea dicitur LABOREMUS IN PACE. ℟ IN NOMINE DOMINI. AMEN. Et lotione finita, dicitur a digniore SIT NOMEN DOMINI BENEDICTUM. ℟. EX HOC, NUNC ET USQUE IN SÆCULUM.

23. Concionatores, qui post prandium concionari debent, sive in Ecclesia Conventus, sive alibi, antequam assideant mensæ, depositis mantellis, genuflexi petunt Benedictionem, uno nomine omnium, si sint plures, dicente JUBE, DOMNE, BENEDICERE. Respondet Præsidens: DOMINUS SIT IN CORDE TUO ET IN LABIIS TUIS, UT DIGNE ET COMPETENTER ANNUNTIES EVANGELIUM SUUM. IN NOMINE PATRIS, ✝ ET FILII, ET SPIRITUS SANCTI. AMEN. Si sint plures, dicatur in plurali. Hanc Benedictionem concionaturi excipiunt cum capitis inclinatione, illaque accepta, statim surgunt. Concionaturi mane idem facient vesperi, ante cœnam vel collationem.

14. Feria sexta Parasceves nullus in prandio assidebit mensæ in refectorio, sed omnes humi comedent in memoriam Dominicæ Passionis.

§ 3.

DE CŒNA ET VESPERTINA COLLATIONE.

1. In cœna sunt omnia fere, sicut in prandio peragenda, quoad Psalmum: DE PROFUNDIS, Benedictionem, gratiarum actionem etc. Ad illa verba: BENEDICTUS DEUS etc. Hebdomadarius, manibus ante pectus junctis, stat erectus, alii vero caput profunde inclinant.

2. Post gratiarum actionem (§ præc. 2. n. 21.) Hebdomadarius inchoat Canticum: MAGNIFICAT, quod alii inter eundum ad Chorum prosequuntur, laudantes ac benedicentes Deum. Cantico hoc absoluto, legitur Hymnus: O GLORIOSA DOMINA, et Antiphona: SUB TUUM PRÆSIDIUM; et dein Hebdomadarius, stans in loco suo, manibus junctis dicit Versum: ORA PRO NOBIS, SANCTA DEI GENITRIX. ℟. UT DIGNI etc. Deinde adjungitur Oratio: CONCEDE, ut ad Antiphonam finalem B. M. V. post Purificationem.

3. Post Orationem leguntur orationes in Cruce et servatur recollectio etc. ut in Stat. Prov. Cap. II. § 4. n. 3.

4. In diebus jejuniorum, ad collationem vespertinam, prætermisso Psalmo: DE PROFUNDIS, omnes ad refectorium conveniunt, et facta Cruci reverentia, sistunt se in locis suis, ut § præc. 2. n. 6.

5. Cum autem ad suum in mensa locum accedit Præses, et alii omnes ad suum accedunt et sedent. Lector mensæ veniens ad medium circiter refectorii ante lectorile, dato a Præside signo per ictum campanellæ, cantat BENEDICITE: quo cantato, vadit ad lectorile; et Hebdomadarius stans, format signum Crucis super potum, in medio refectorii, ante primam mensam positum, canens POTUM SERVORUM SUORUM BENEDICAT REX ANGELORUM. Communitas respondet AMEN.

6. In fine collationis, mensa abstersa, Præses per ictum campanellæ, dat surgendi signum, et intonat Psalmum: MISERERE, quem bini et bini ad Chorum euntes, alternatim continuant, cum GLORIA PATRI in fine.

7. Deinde leguntur orationes in Cruce, et reliqua fiunt ut supra n. 3.

§ 4.

DE BENEDICTIONE MENSÆ, AGNI PASCHALIS, BUTYRI, OVORUM ET PANIS.

1. Modus benedicendi mensam, et gratias agendi, tam in prandio quam in cœna, servandus est, ut habetur in Breviario. Pro

uniformitate autem servanda, dicatur in gratiarum actione semper Psalmus: LAUDATE DOMINUM OMNES GENTES.

2. Quando semel tantum comeditur, licet habeatur collatio vespertina, in meridie omnia dicuntur, ut alias in cœna; non tamen mutantur Versus, si mutandi forent in cœna ob Festum sequens; v. g. si Vigilia Epiphaniæ occurrat in Feria sexta vel Sabbatho.

3. Mutatio Versuum pro varietate Festorum regulariter fit a primis Vesperis Festi, si vespere cœnatur. In diebus vero, quibus jejunatur, quamvis comestio illa in meridie vocetur cœna, non tamen in ea dicendi sunt Versus proprii sequentis Festi. Unde;

a) VERBUM CARO etc. dicitur tantum in ipso Festo Nativitatis Domini, usque ad cœnam in Vigilia Epiphaniæ exclusive. Quando vero Vigilia Nativitatis Domini incidit in diem Dominicam, tunc in cœna ipsius Dominicæ adhibenda est formula Nativitatis.

b) REGES THARSIS etc. dicitur a cœna in Vigilia Epiphaniæ inclusive, usque ad comestionem in meridie diei Octavæ inclusive.

c) VESPERE AUTEM SABBATHI, etc. dicitur tantum in meridie Sabbathi Sancti.

d) HÆC DIES, etc. dicitur a Dominica Resurrectionis, usque ad meridiem sequentis Sabbathi inclusive.

e) ASCENDIT DEUS etc. dicitur a cœna in Vigilia Ascensionis Domini inclusive, usque ad Vigiliam Pentecostes exclusive.

f) SPIRITUS DOMINI etc. dicitur a meridie in Vigilia Pentecostes inclusive, usque ad meridiem Feriæ sextæ sequentis inclusive.

4. In Nativitate Domini etc. ad Versum: VERBUM CARO FACTUM EST, omnes unum genu flectunt versus Crucem.

5. In Cœna Domini, dum dicitur CHRISTUS FACTUS EST PRO NOBIS OBEDIENS, cui Communitas respondet USQUE AD MORTEM, omnes genu utrumque flectunt. Item genuflectunt Feria sexta Parasceves, dum hæc verba dicuntur et dum additur MORTEM AUTEM CRUCIS. Deinde surgunt, et profunde versus invicem inclinati, subjungunt PATER NOSTER, totum secreto. Quo facto, omnes se erigunt, et Hebdomadarius signat mensam signo Crucis, nihil dicendo. Post mensam eodem modo dicitur CHRISTUS FACTUS EST etc. et legentes Psalmum: MISERERE, ad Chorum procedunt. Cum

in Choro ad loca sua pervenerint, mox genuflectunt omnes, facie ad invicem conversa, et Psalmo absoluto, dicitur secreto PATER NOSTER, post quod Hebdomadarius absolute dicit Orationem: RESPICE, QUÆSUMUS, etc. Et non pronuntiatur QUI TECUM, nec FIDELIUM ANIMÆ, sed secreto dicitur PATER NOSTER; nec additur DEUS DET NOBIS SUAM PACEM.

6. In die sancto Paschæ fiat in omnibus Conventibus Agni Paschalis etc. Benedictio, hoc modo: Absoluta Benedictione mensæ, Fratribusque ante mensam in locis suis stantibus, intrat Acolythus cum vase aquæ benedictæ et aspersorio; et Sacrista portans Stolam albam manu dextra, et hoc Cæremoniale manu sinistra. Hos sequitur coquus portans assatum Agnum Paschalem integrum, floribus ornatum, quem super mensam ante locum Præsidis deponit, inter ova, panem et butyrum, antea jam in mensa posita.

7. Tum Præses, accepta Stola, benedicit Agnum, ova, panem et butyrum, in tono feriali cantando; ad quæ Communitas stans, et facie ad Crucem conversa, respondet ut sequitur:

BENEDICTIO AGNI PASCHALIS.

℣. *Adjutorium nostrum in nomine Domini.*
℟. *Qui fecit cœlum et terram.*
℣. *Dominus vobiscum.*
℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS.

Deus, qui per famulum tuum Moysen, in liberatione populi tui de Ægypto, Agnum occidi jussisti, in similitudinem Domini nostri Jesu Christi, et utrosque postes domorum de sanguine ejusdem Agni perungi præcepisti: tu bene ✝ dicere, et sancti ✝ ficare digneris hanc creaturam carnis, quam nos famuli tui ad laudem tuam sumere desideramus, per Resurrectionem ejusdem Domini nostri Jesu Christi; qui tecum vivit et regnat in sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

BENEDICTIO OVORUM.

OREMUS.

Subveniat, quæsumus Domine, tuæ bene ✝ dictionis gratia, huic ovorum creaturæ: ut cibus salubris fiat fidelibus tuis, in tuarum gratiarum actione sumentibus, ob Resurrectionem Domini nostri Jesu Christi; qui tecum vivit, et regnat in sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

BENEDICTIO PANIS.

OREMUS.

Domine Jesu Christe, panis Angelorum, panis vivus æternæ vitæ, bene ✝ dicere dignare panem istum, sicut benedixisti quinque panes in deserto: ut omnes ex eo gustantes, inde corporis et animæ percipiant sanitatem. Qui vivis, et regnas in sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

BENEDICTIO BUTYRI.

OREMUS.

Bene ✝ dic, Domine, creaturam istam butyri, ut sit remedium salutare generi humano: et præsta per invocationem sancti nominis tui, ut quicumque ex ea sumpserint, corporis sanitatem, et animæ tutelam percipiant. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

8. Deinde, ministrante Sacrista aspersorium, omnia supra nominata Præses aspergit aqua benedicta: quo facto, Sacrista accipit aspersorium, illudque reddit Acolytho; Præses exuit Stolam, quam tradit Sacristæ; et tum Religiosi modeste ad loca sua se recipiunt, et assident mensæ.

§ 5.

DE LECTIONE MENSALI.

1. In tabula hebdomadaria duo scribantur lectores mensæ, quorum primus legit a principio mensæ, (post lectas orationis in Cruce, si legendæ sint) usque dum Præses per ictum campanellæ signum dederit; post quod legit secundus, donec alterum signum datum fuerit. Attendant lectores, ut tractim et sonora voce legant; et ut ante mensam suas lectiones prævideant, ne balbutiendo, aut contra quantitatem et accentum peccando risum moveant, vel extranei, si qui adsint, male ædificent.

2. In omnibus Communitatis refectionibus legantur illi libri, qui in Statutis Prov. Cap. IV. § 5. assignantur, nec non Constitutiones et Decreta Apostolica, suo tempore in publica mensa legenda.

3. Sermones sancti Bernardi leguntur in Nativitate, Circumcisione et Epiphania Domini; Dominica Palmarum, Feria quinta in Cœna Domini, Dominica Resurrectionis, in Festo Ascensionis Domini, et Dominica Pentecostes. Item in Festis Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis et Nativitatis B. V. Mariæ.

4. Tempore Quadragesimæ hoc Cæremoniale totum legendum est, juxta Statuta Prov. Insuper ante quasdam Festivitates et sacras functiones, quæ in Cæremoniali hoc describuntur, respectivæ Cæremoniæ prælegantur.

5. Dum Regula Fratrum Minorum lingua Latina vel vernacula cantatur vel legitur, omnes, etiam qui cantat vel legit, manent stantes, uti sub mensæ Benedictione, donec dicta sint verba: VIVENDO IN OBEDIENTIA, SINE PROPRIO ET IN CASTITATE: et dum lector stans pronuntiat Regulæ confirmationem, et verba exhortatoria S. P. N. Francisci, omnes a comestione cessant.

6. Singulis Feriis sextis, ad collationem vespertinam, cantatur tabula hebdomadaria et extraordinaria.

7. Feria sexta Parasceves, in meridie, legitur Passio D. N. J. C. secundum Joannem.

§ 6.

DE QUIBUSDAM DOMESTICIS EXERCITIIS.

1. Quandocumque Patentes aliquæ litteræ, quibus mandatum Prælatorum Generalium aut Provincialium continetur, alicui a Superiore in Communitate traduntur legendæ, tunc accipiuntur et redduntur, uno genu flexo, cum osculo manus Superioris. Et si lectio contigerit in refectorio, lector, finita lectione, flexis genibus agnoscit culpam, dicendo EST MEA CULPA, REVERENDE PATER, QUOD MALE LEGERIM.

2. Frater, cujus litteræ obedientiales a Superiore præleguntur, humi se prosternit, et postea has litteras accipit et, uno genu flexo, osculatur manum Superioris et dictas litteras.

3. Meminerint Fratres, de Conventu exeuntes, ut in domo locutoria ante Imaginem Divæ Virginis in scabello, ad hoc disposito, genuflexi, introitum et exitum suum devote recommendent hac brevi precandi formula.

℣. *Vias tuas, Domine, demonstra nobis.*

℟. *Et semitas tuas edoce nos.*

℣. *Utinam dirigantur viæ nostræ.*

℟. *Ad custodiendas justificationes tuas.*

OREMUS.

Iter, actus et voluntates nostras, quæsumus Domine, in salutis tuæ prosperitate dispone, ut inter omnes viæ et vitæ hujus varietates, tuo semper protegamur auxilio. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

4. Cum vero per aliquot dies a Conventu abesse debent, Fratres Sacerdotes et Clerici, in ipso itineris ingressu, *Itinerarium Clericorum* recitare non omittant, ut in fine Breviarii.

5. Fratres cum domum aliquam ingrediuntur, præmittant salutationem beatissimi Patris nostri Francisci: PAX HUIC DOMUI, et respondeat socius ET OMNIBUS HABITANTIBUS IN EA.

6. Et quandoquidem sæpissime Fratres ad ægrotos evocentur, ea, qua Sacerdotes Domini decet, honestate et gravitate se habeant; ut non ægris solum, sed sibi et domesticis verbo et exemplo prosint ad salutem, proponendo breves aliquas orationes et pias mentis ad Deum excitationes, quibus et infirmus sublevetur et assistentes ad pietatis affectum excitentur.

7. Exhibito erga infirmum obsequio necessario, antequam discedant, infirmum et lectum ejus, et cubiculum aspergant aqua benedicta, dicentes Antiphonam: ASPERGES ME, DOMINE, etc. Aspersione finita, manu super infirmum signum Crucis efforment, dicendo BENEDICTIO DEI OMNIPOTENTIS, PATRIS, ✝ ET FILII, ET SPIRITUS SANCTI, DESCENDAT SUPER TE, ET MANEAT SEMPER. ℟. AMEN. Vide Rituale Romanum, Tit. *De visitatione et cura infirmorum.*

8. Quoad alia, a Fratribus nostris observanda, et tamen in hoc Cæremoniali non præscripta, quisque se conformabit S. Romanæ Ecclesiæ et Superiorum legibus, decretis, mandatis et ordinationibus; magisque attendant, quid sit communiter receptum, quam quod cuilibet videatur placitum.

9. Finaliter omnes (exhortante sic Apostolo, ad Coloss. Cap. I.) ita ambulent, *digne Deo per omnia placentes: in omni opere bono fructificantes, et crescentes in scientia Dei; in omni virtute confortati secundum potentiam claritatis ejus, in omni patientia et longanimitate, cum gaudio, gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum in lumine: qui eripuit nos de potestate tenebrarum, et transtulit in regnum filii dilectionis suæ*, ut hic in vera ac sincera dilectione per ipsum radicati et fundati, post hanc vitam Deum unum in essentia, trinumque in Personis æternaliter videamus et diligamus in cœlis. Amen.

FINIS PARTIS TERTIÆ.



PROFESSIO FIDEI

JUXTA FORMULAM PII P.P. IV. ET PII P.P. IX.

Ego N. firma fide credo, et profiteor omnia et singula, quæ continentur in Symbolo Fidei, quo sancta Romana Ecclesia utitur, videlicet: Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem cœli et terræ, visibilium omnium, et invisibilium. Et in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei unigenitum. Et ex Patre natum ante omnia sæcula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum, non factum, consubstantialem Patri: per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de cœlis. Et incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria virgine: Et homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis, sub Pontio Pilato passus, et sepultus est. Et resurrexit tertia die, secundum Scripturas. Et ascendit in cœlum: sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria, judicare vivos et mortuos; cujus regni non erit finis. Et in Spiritum sanctum, Dominum et vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit. Qui cum Patre et Filio simul adoratur, et conglorificatur: qui locutus est per prophetas. Et unam sanctam Catholicam et Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum. Et exspecto resurrectionem mortuorum. Et vitam venturi sæculi. Amen. Apostolicas et ecclesiasticas traditiones, reliquasque ejusdem Ecclesiæ observationes, et constitutiones firmissime admitto et amplector.

Item sacram Scripturam juxta eum sensum, quem tenuit et tenet sancta Mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu et interpretatione sacrarum Scripturarum, admitto: nec eam umquam nisi juxta unanimem consensum Patrum accipiam et interpretabor.

Profiteor quoque septem esse vere et proprie Sacramenta novæ legis, a Jesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis necessaria, scilicet: Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem et Matrimonium; illaque gratiam conferre,

et ex his Baptismum, Confirmationem, et Ordinem, sine sacrilegio, reiterari non posse. Receptos quoque et approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus, in supradictorum omnium Sacramentorum solemni administratione recipio et admitto: omnia et singula quæ de peccato originali, et de justificatione, in sacrosancta Tridentina Synodo definita, et declarata fuerunt, amplector et recipio.

Profiteor pariter in Missa offerri Deo verum, proprium, et propitiatorium sacrificium, pro vivis et defunctis; atque in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento esse vere, realiter et substantialiter Corpus, et Sanguinem, una cum anima et Divinitate Domini nostri Jesu Christi, fierique conversionem totius substantiæ panis in Corpus, et totius substantiæ vini in Sanguinem, quam conversionem Catholica Ecclesia Transsubstantiationem appellat.

Fateor etiam sub altera tantum specie, totum atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi. Constanter teneo Purgatorium esse, animasque ibi detentas Fidelium suffragiis juvari. Similiter et Sanctos, una cum Christo regnantes, venerandos, atque invocandos esse; eosque orationes Deo pro nobis offerre; atque eorum reliquias esse venerandas. Firmissime assero, imagines Christi, ac Deiparæ semper virginis, nec non aliorum Sanctorum habendas et retinendas esse, atque eis debitum honorem ac venerationem impertiendam. Indulgentiarum etiam potestatem a Christo in Ecclesia relictam fuisse; illarumque usum Christiano populo maxime salutarem esse affirmo. Sanctam, Catholicam, et Apostolicam Romanam Ecclesiam, omnium Ecclesiarum matrem et magistram agnosco; Romanoque Pontifici, beati Petri Apostolorum Principis successori, ac Jesu Christi Vicario, veram obedientiam spondeo ac juro. Cætera item omnia a sacris Canonibus, et Oecumenicis Conciliis, ac præcipue a sacrosancta Tridentina Synodo et ab Oecumenico Concilio Vaticano tradita, definita, ac declarata, præsertim de Romani Pontificis Primatu et Infallibili Magisterio, indubitanter recipio atque profiteor; simulque contraria omnia, atque hæreses quascumque ab Ecclesia damnatas, et rejectas, et anathematizatas, ego pariter damno, rejicio, et anathematizo. Hanc veram Catholicam fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam

in præsenti sponte profiteor, et veraciter teneo, eamdem integram et inviolatam, usque ad extremum vitæ spiritum constantissime (Deo adjuvante) retinere et confiteri, atque a meis subditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri, et prædicari, quantum in me erit, curaturum, ego idem N. spondeo, voveo ac juro. Sic me Deus adjuvet, et hæc sancta Dei Evangelia.

GELOOFSBELIJDENIS DER H. KATHOLIEKE KERK

VOLGENS HET FORMULIER, DOOR DE PAUSEN PIUS IV. EN PIUS IX. VOORGESCHREVEN.

Ik N. geloof met een vast geloof en belijd alles, zoo in het algemeen als in het bijzonder, wat vervat is in de Geloofsbelijdenis, welke de heilige Roomsche Kerk gebruikt, te weten: Ik geloof in éénen God, den Almachtigen Vader, Schepper van hemel en aarde, van alle zichtbare en onzichtbare dingen. En in éénen Heer Jesus Christus, Gods eeniggeboren Zoon. En uit den Vader geboren voor alle eeuwen. God van God, licht van licht, waren God van den waren God. Geboren, niet gemaakt, één van wezen met den Vader, door wien alles gemaakt is. Die om ons menschen en om onze zaligheid is nedergedaald uit den Hemel. En het vleesch heeft aangenomen door den Heiligen Geest uit de Maagd Maria: en is mensch geworden. Die voor ons ook gekruist is, onder Pontius Pilatus geleden heeft en begraven is. En verrezen is ten derden dage, volgens de Schriften. En is opgeklommen ten Hemel, zit aan de rechterhand des Vaders. En zal wederkomen met heerlijkheid, om te oordeelen de levenden en de dooden; aan wiens rijk geen einde zal zijn. En in den Heiligen Geest, den Heer en levendmakende, die van den Vader en den Zoon voortkomt. Die met den Vader en den Zoon te zamen aangebeden en mede verheerlijkt wordt: die gesproken heeft door de Profeten. En ééne, heilige, Katholieke en Apostolische Kerk. Ik belijd één Doopsel tot vergeving der zonden. En ik verwacht de verrijzenis der dooden. En het toekomstig eeuwig leven. Amen.

Ik neem zeer vastelijk aan en omhels de Apostolische en kerkelijke overleveringen, en de overige gebruiken en Constituties van dezelfde Kerk.

Insgelijks neem ik de Heilige Schriftuur aan volgens dien zin, welken gehouden heeft en nog houdt de heilige Moeder de Kerk, aan wie het toekomt te oordeelen over den waren zin en de uitlegging der heilige Schriften; en ik zal die nooit anders verstaan en uitleggen dan volgens de eenparige overeenstemming der Vaderen.

Ik belijd ook, dat er zeven ware en eigenlijke Sacramenten der nieuwe Wet zijn, door Jesus Christus onzen Heer ingesteld, en tot zaligheid van het menschelijk geslacht noodzakelijk, schoon niet allen voor een ieder; namelijk: het Doopsel, het Vormsel, het Heilig Sacrament des Altaars, de Biecht, het Laatste Oliesel, het Priesterschap en het Huwelijk; en dat zij genade mededeelen, en dat van dezen het Doopsel, het Vormsel en het Priesterschap, zonder heiligschennis, niet weer herhaald kunnen worden. Ook neem ik aan en erken ik de aangenomen en goedgekeurde gebruiken der katholieke Kerk, bij de plechtige toediening van al de voornoemde Sacramenten. Alles, zoo in het algemeen als in het bijzonder, wat over de erfzonde en de rechtvaardigmaking in de heilige Kerkvergadering van Trente is vastgesteld en uitgesproken, omhels ik en neem ik aan.

Ik belijd insgelijks, dat in de Mis aan God wordt opgedragen eene ware, eigenlijke en verzoenende offerande, voor levenden en dooden; en dat in het Allerheiligste Sacrament des Altaars waarlijk, wezenlijk en zelfstandig tegenwoordig is het Lichaam en Bloed, te zamen met de ziel en de Godheid van onzen Heer Jesus Christus, en dat er eene verandering geschiedt van de geheele zelfstandigheid van het brood in het Lichaam, en van de geheele zelfstandigheid van den wijn in het Bloed, welke verandering de Katholieke Kerk Transsubstantiatie noemt.

Ik belijd, dat ook onder slechts ééne gedaante Christus geheel en volkomen, en het ware Sakrament ontvangen wordt. Onwankelbaar houd ik vast, dat er een Vagevuur is, en dat de zielen, aldaar opgehouden, door de voorbeden der Geloovigen geholpen

worden. Insgelijks ook, dat de Heiligen, die te zamen met Christus heerschen, behooren vereerd en aangeroepen te worden; dat zij gebeden aan God voor ons opdragen; en dat hunne overblijfselen behooren vereerd te worden. Zonder eenigen twijfel betuig ik, dat men de beelden van Christus, en van de Moeder Gods, altijd Maagd, alsmede van de andere Heiligen behoort te hebben en te behouden, en daaraan de verschuldigde eer en vereering te bewijzen.

Ik belijd, dat ook de macht om aflaten te verleenen door Christus in de Kerk is achtergelaten; en dat derzelver gebruik voor het Christenvolk hoogst heilzaam is. De heilige, Katholieke, Apostolische Roomsche Kerk erken ik voor de moeder en leermeesteres van alle kerken; en aan den Roomschen Paus, die de opvolger van den gelukzaligen Petrus den Prins der Apostelen en de Plaatsbekleeder van Jesus Christus is, beloof en zweer ik ware gehoorzaamheid. Eveneens neem ik zonder eenigen twijfel aan en belijd ik al het overige dat door de heilige Kerkregels en door de Algemeene Kerkvergaderingen, en bijzonder door de heilige Kerkvergadering van Trente en door het Algemeen Concilie van het Vaticaan geleerd, vastgesteld, en uitgesproken is, vooral over het Primaatschap van den Roomschen Paus en zijn Onfeilbaar Leeraarsambt; en tevens veroordeel, verwerp, en doem ik al wat daarmede in strijd is, en de ketterijen, welke ook, op dezelfde wijze als ze door de Kerk veroordeeld, en verworpen, en gedoemd zijn. Dit waar katholiek Geloof, buiten hetwelk niemand zalig kan worden, hetwelk ik op dit oogenblik vrijwillig belijd, en in waarheid houd, datzelfde geloof verzeker, beloof, en zweer ik dezelfde N. met Gods hulp, tot den laatsten adem mijns levens geheel en ongeschonden standvastig te behouden en te belijden, alsook naar vermogen te zullen zorgen, dat het door mijne onderhoorigen, of door hen, voor wie ik in mijne betrekking zal te zorgen hebben, gehouden, geleerd, en verkondigd worde. Zoo helpe mij God en deze heilige Evangeliën Gods. (†)

(†) Overgedrukt uit het aanhangsel van het RITUALE ROM. — Uitgave PUSTET 1882.

INDEX

CAPITUM ET PARAGRAPHORUM,

QUÆ IN HOC CÆREMONIALI CONTINENTUR.

PARTIS PRIMÆ

CAPUT PRIMUM.

CAPUT SECUNDUM.

INDEX.

CAPUT TERTIUM.

De Ritibus in celebratione Missæ solemnis observandis. Pag. 56

CAPUT QUARTUM.

De quibusdam Missis privatis et solemnibus in particulari. Pag. 106

CAPUT QUINTUM.

CAPUT SEXTUM.

CAPUT SEPTIMUM.

CAPUT OCTAVUM.

INDEX

CAPITUM ET PARAGRAPHORUM

PARTIS SECUNDÆ.

CAPUT PRIMUM.

De disciplina in Choro servanda. Pag. 244

CAPUT SECUNDUM.

De Officio quotidiano in Choro recitando. Pag. 256

CAPUT TERTIUM.

De Officio divino solemni et cantato. Pag. 269

INDEX.

CAPUT QUARTUM.

De Officiis addititiis. Pag. 286

CAPUT QUINTUM.

De Officiis et Officialibus Chori. Pag. 293

CAPUT SEXTUM.

De Cantu, Psalmodia, Organis et Organista. Pag. 312

INDEX

CAPITUM ET PARAGRAPHORUM

PARTIS TERTIÆ.

CAPUT PRIMUM.

CAPUT SECUNDUM.

CAPUT TERTIUM.

CAPUT QUARTUM.

INDEX.



